

FRIDERICI SPANHEMII F.

SUMMA HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

A Christo Nato

Ad

Seculum XVI. Inchoatum.



Præmittitur

DOCTRINA TEMPORUM,

Cum Oratione

DE CHRISTIANISMO DEGENERE.



LUGD. BATAVORUM,

Apud JOHANNEM VERBESSEL.

M D C LXXXIX.



SERENISSIMO,
POTENTISSIMOQUE
PRINCIPI
AC
DOMINO
D. GUILIELMO
D. G. MAGNÆ BRITANNIÆ,
FRANCIÆ, HYBERNIÆQUE
REGI,
FIDEI DEFENSORI,
PIO, CLEMENTI,
MAGNANIMO,

FOEDERATÆ BELGICÆ

SUPREMO

GUBERNATORI,

REFORMATÆ ECCLESIÆ

STATORI AC CONSERVATORI,

OPPRESSÆ EUROPÆ

LIBERATORI AC VINDICI,

RESTITUTORI

HUMANI GENERIS,

Hæc ipſo Regiæ Unctionis & Conſecrationis die Voto Nuncupabat

FRIDERICUS SPANHEMIUS.

S E-

SERENISSIME
POTENTISSIMEQUE
PRINCEPS.



Onvertuntur hodiernâ luce in REGIAM TUAM MAJESTATEM vota Orbis & Urbis, & ad Consecrationis Tuæ celebritatem, ac conregnantis MARIÆ, ut ad sacra Oecumenica, accurrunt universi, qui modò nec alterum Orbem incolunt, nec contabescenti Gloriâ Tuâ invidiæ deserviunt. Et auspicatissimo quidem illo Mense, cui ab *aperiendo* nomen esse censuit Varro, aperturo verè Aureum Seculum, ac Felicia Tempora; veriori omine quàm de violento Imperio atque infelicissimo Dominatu prædicatum nuper est, pari adulatione quâ Diocletianus, quondam Persecutorum maximus, Parens Aurei seculi

appellatus eſt. Hoc ſolenni die Soteria quaquaversùm offeruntur, ſolutis in commune gaudium animis, non jam Æſculapio, ſed DEO Opt. Max. qui in unum idem concluſit res tantas tamque inſperatas, Religionis, Libertatis, Legum, Juriumque & Regni & Regnantum, in Britannias Tuas reditum, ac ſpei propè collapſæ in Eccleſiam Univerſam, animorum etiam & ſpirituum in oppreſſam ac colla jugo jam penè aptantem Europam. Tu unus, REGUM MAXIME, inter omnes Chriſtianæ Reipublicæ Principes relictus in perfugium eras, qui res ubique laceras ac perditas inſtaurares, inauditâ antè Expeditione, quæ Regnorum Tuorum una ſalus, perindè atque Orbis ſtupor, Regum conſternatio, Hoſtium terror, Reformatæ rei titulus, Batavæ Reip. ſecuritas, ac venturæ Ætatis admiratio, imminuendâ quanquàm Annalium apud hanc fide atque

que authoritate. Te maximum Cœli munus, tot pulſati laborantium votis ac ſuſpiriis, omnes pari concentu vocum & animorum deprædicant, cujus Fronti æternis characteribus impreſſum eſt, *A Deo omne*; dùm aliorum jactatis facinoribus rectè ſubdendum, *Hîc Deus nihil fecit.* Tu verè ac reipsâ, quod alii nomine, A DEO DATUS, iſti ſæpè in flagellum ac perniciem, tu in reparationem ac ſolatium Humanæ ſocietatis, illi proterendæ Eccleſiæ, tu erigendæ reſtituendæque, ac tantum futurus omnium ſaluti, quantum alii ſunt omnibus exitio. Tu contumulatæ ſuis ruinis Germaniæ, ſupplicis in auxilia Galliæ afflictæ violatæque, profanatæ Templorum, Pulvinarium, Sepulchrorum, Divini omnis atque Humani juris ſanctitatis, ac conſtupratæ totiens Fœderum religionis, exoratus es Terris aut Opitulator, aut Ultor, ſed & malorum nobis incuban-

tium, ac paratæ Orbi servitutis, Depulsor & Averruncus. Utque olim Corn. Scipio, lectis plurimorum stipendiorum militibus, eo consilio in Africam trajecit, ut suetum aliena invadere ac vastare Annibalem, jamque Urbi ipsi imminentem, ad propria tuenda compelleret, & ad petendam aliquando sibi suisque Carthaginensibus pacem, quam dare se potuisse Romanis crediderat; alterum Tu nobis Scipionem repræsentas, hoc disparem, quod ille ingratam Romam expertus sit. Pari sanè consilio, trajecto in Britanniam milite, invenisti viam, quin invênere Fata, quâ communem totîus Europæ hostem revocasti intrà Regni sui fines, quibus Te nulla deinceps aut vis armorum, aut sparsorum libellorum infamia, vel auri, quo retundere hostile ferrum Gallus consueverat, reverentia prohibebit.

Talis tantusque quum ostendendus

dus Terris esses, INVICTISSIME GUILIELME; magis formidandus hodierno quoad religionem ac fidem Annibali, etiam quiescens à pugnâ, quàm sunt alii fortiter pugnantes, edendus primò in lucem eras non absque miraculo, in futuri augurium; siquidem nec Alexandri Macedonis, nec Octavii Augusti, sed nec Jacobi I. Proavi Tui, præsagiis ac portentis Cunæ caruerunt. Ex Paternis nempè cineribus, atque odorato funere, prodire debuisti, qui futurus esses liberatæ Europæ Phœnix; qui Britanniæ Tuæ nasciturus, Phœnicis ad instar, ex funeribus quasi suæ Libertatis ac Religionis; imò utrique Germaniæ, ex tot Provinciarum Urbiumque fumantibus bustis. Verè Tu Postumus Augustus, qualem Nummi expressêre, tanquam Herculem Pacificum, omnium Amorem, ac qui Romanum Imperium in pristinam securitatem assserturus fuit. Atque

ut Britannici Tui non CONQUÆSTOR, Provinciis Regni devastatis, aut Vexillo à Pontifice accepto, sed GUILIELMUS LIBERATOR existeres, mox Lege Regiâ potiturus sceptro, oriri Te oportuit ex mixturâ utriusque sanguinis, Liberatorum potentissimæ Reipubl. & Regum amplissimi Imperii, juncturum rarâ societate Libertatem & Regnum. Hinc nihil nisi suprà humanam sortem, humanasque vires observari toto vitæ Tuæ decursu debuit, totus ut MIRACULUM esses. Fuit istud sanè Infantia Tua, tot eluctatura Divinitùs insidiarum morborumque discrimina: Fuit Pueritia, quâ παιδαριογέροντος, inter viriles curas & certamina, appellationem merebare, ut sapere fermè inceperis quum incepisti vivere, secùs ac Themistocles, qui senio confectus indoluit quod *vivere tùm desineret, quum sapere incepisset*: Fuit Tua quoque Adolescentia, non duo-

duodecimâ jam messe lasciviens, non otio aut voluptatibus emollita, & cui Gymnasium, Stadium, decens Palæstra, ac Docta consuetudo unicè placuerunt, nunquam Floralia inverecunda, turpes Scenæ, saltatrices Thessalæ, aut prætextata verba, vel irritamenta libidinum: Fuit denique Juventus, tot duris exercita probataque, sed ab iis opes animumque ductura, immota cunctis casibus, & quæ Senum modò prudentiam atque authoritatem, modò Veteranorum militiæ peritiam ac fortudinem, obscuraret. Omnis sanè indoles Tua, exurgens antè annos in ortus suos, ac Mens cumprimis illa excelsa & sublimis, æqua semper rebus in arduis, major adversis quibuscunque aut periculis, portendebat antè primam lanuginem quàm excelso ponendus esses loco, pari jam tùm Animi Tui magnitudine futuræ Potentiæ atque Imperii magnitudi-

ni, quod olim in ultimos Eoi & Occidui Orbis fines, quà Sol uterque illustrat, sese diffunderet.

In privatâ illâ sorte Tuâ si Divina omnia apparuerunt, ac nihil sine Numine, cujus nutu res humanæ temperantur; quid de Te statuendum seu admovendo ad Fœderatæ Belgicæ Gubernacula, properantibus Populorum votis, inter Potentum odia, & Edictorum inimica; seu admoto jam Te ad eam Rempublicam quam à Senibus labefactatam Adolescens Tu restituisti, contrà quàm censuit apud Tullium Cato Major? Nihil unquàm de Te humile aut promiscuum, nihil propè mortale, etiam illi prædicarunt per quos antè aut protrita aut contempta Juventus Tua fuerat, & qui proclives magis in procacis linguæ maledicentiam, quam in præconia laudum. Parùm istis videbantur Mavortii illi spiritus, quos cum sangui-

guine in Te traduxiſſent Pater, Avus, Proavuſque, & quos pericula magis accendere atque inflammare, necdùm adultâ robuſtis viribus ætate, conſpicarentur. Percellebantur multo magis ad authoritatem Tui regiminis, oris gravitatem, moderationem affectuum, conſiliorum ſagacitatem, majeſtatem ac facilitatem eloquii, curarum laborumque patientiam, ac pro firmandis pacis bellique nervis & ſumptibus temperandis, ſollicitudinem, qui & domi calculos ponere didiciſſes, & Ærarium in futurum inſtruere, procul inſanâ perdendi, aut abliguriendi, vel etiam immodico luxu profundendi cupiditate, familiari iis qui in excelſo vitam agunt. Nimis quàm ſunt vulgata iſta atque diſperſa communi famâ ac ſermone hominum, jamque ad citeriora & noviſſima me vocat oratio.

Et ab eo ordiendum eſt undè tantarum mutationum exordium, atque

attentionis ad res Britannicas, hinc concepti doloris, mox accessuræ indignationis, tùm expeditionis susceptæ, ac delati tandem Tibi, nec appetiti Regni. Solaque providentis Ecclesiæ suæ Numinis virgula fuit, quæ MARIAM BRITANNICAM signavit Tibi tori Sociam, futuram & pietatis, virtutis, sapientiæ, jurium, consiliorum, ac Sceptrorum denique. Et Regiis illis quos petisti Hymenæis, & quibus Θεογάμια rectiùs consecrentur, quàm olim Proserpinæ sacris, suam debet felicitatem Britannia, suum præsidium Belgica, suam salutem Ecclesia, spes omnes deinceps suas Christianus Orbis. Hæc illa *Fæmina* est, ferè qualem rarissimus Othonis nummus repræsentat, quæ *Columnæ innixa*, Sponso Tibi, in fulcrum & columen accepto, *dextrâ Coronam* tenuit, hæreditatis intemerando jure: Quam dùm in Extraneum transferre, simulque prodere Religionem,

nem, Libertatem, & quicquid Sacrum eſt atque inviolatum, molita eſt ea peſtis Societatis quæ ipſi humanitati bellum indixit, ac Naturam ipſam, Paternamque pietatem, ſed & fidem, honorem, pudoremque, cedere ſuis commodis aſſuefecit, Tuum fuit, GUILIELME AUGUSTE, conſervare incomparabili Tuâ prudentiâ ac fortitudine Regni Anglicanæ ac Regiæ Succeſſionis jura, & illis adſerere, quibus ea vendicabant Sanguis, Leges, Sacra, deſideria preceſque, & ſalus ipſa tot Populorum. Feciſti iis primò cogitatis quæ, ut magnarum rerum eventus ſolent, incerta oppidò & fallacia videbantur, mille caſibus ſubjecta, ac paradoxa univerſis, præterquam Tibi uni, videre aſſueto divinâ mentis perſpicaciâ, ad quæ omnes caligant. Promoviſti tantum opus eâ conſiliorum providentiâ, & eâ ſecretorum fide, dùm etiam parietes hujus arcani conſcii timeren-

rentur, ut hoc ipſo illîus Imaginem reddideris, quem totum Oculeum, totum Auritum, ſed Ore obligato obſignatoque, expreſſit Antiquitas. Ac perfeciſti ad extremum eâ auſi fiduciâ, eâ virium ac copiarum in ſpeciem exiguitate, circumſeptus magis publici amoris ac communium votorum, quàm præſidiarii militis ſatellitio, eo denique ſuſceptæ profectionis ſucceſſu, ut unâ hac omnium voce, per omnes oras propagandâ, perſonarint Tribunalia, Acroateria, Templa, Adyta, Fora, Domus etiam perfidæ & inimicæ, *A Domino factum eſt iſtud!* familiari Majoribus Tuis Symbolo. Ac ſtupent hærentque attonitæ mentes, ſolâ recordatione eorum in quæ obtuliſti Te ſalutemque Tuam diſcriminum, inter Anni deficientis ac procelloſi Oceani, inter Syrtium, litorum, inſidiarum, totîuſque hoſtilis apparatûs, metuenda pericula; vallato JACOBO marium, vadorum

por-

portuum, navalium, legionum, propugnaculorum, Regnorumque, mediâ in Regiâ ſuâ, ſepimento, adſpiciente ſumul frementeque minaci LUDOVICO: Sed perculſo utroque rei magnitudine, expaveſcenteque non ad terrorem ſed ad amorem Nominis Tui, undè animorum membrorumque quidam veluti rigor, qui ſummos & imos, Reges, Duces, Milites, Nauarchos, ſocioſque pervaſit. Acceſſit in omen iratis Regibus, in augurium Britannis Tuis, quod pari Cœli beneficio, quo olim Julii, Pompeji, Caroli, maximi Imperatores, Natalem ſibi menſem ac diem fortunatis ſucceſſibus auſpicatiſſimum habuêre, Te in Britannicum litus Prætoria navis eodem Menſe, eodemque Die, quo Te Regia Mater in Belgii hujus ſinum, expoſuit. Quæ dùm attentiore animo reputamus, in his poſthac ne profanæ quidem turbæ

dubium est habitasse Deum,

aut æternam illam Mentem, per omnes artus tantæ molis insulam, agitasse temperasseque supremo nutu singula, quæ nulli mortalium, ne Orbis Dominis, vertisse licuit. Cætera quis nescit, quæ excensionem illam Tuam, perpetuâ mirabilium eventuum successione, exceperunt, tot aut Sermonibus celebrata, aut exornata Carminibus, aut memoriis in ultimos Terrarum fines transmissa, quæ

nec ventura silebunt
Lustra, nec ignotâ rapiet sub nube vetustas,

vix admissura tamen, quemadmodum nec Ægypti aut Palæstinæ prodigia, vetustas Græca Romanave. Ac ipsa REGIA MAJESTAS TUA illi uni tantum opus attribuit, qui fuit Tibi

Prin-

Principium, Rector, Dux, Semita, Terminus idem,

qui ſolus & maria moderatur, & ventis imperat, & fluctus decumanos compeſcit, & ſuperbos vertices dejicit, & feroces animos coërcet, & conſilia quò vult inclinat, voluntates pro nutu inflectit, movet omnia ſupercilio ſuo, ipſaque ſceptra ſuo jure transfert à Saulis ad Davides, prout Reges in ipſos Dei ſummi imperium eſt.

Fuêre alii, REX MAGNANIME, qui Imperia primi condiderunt, qui condita fundataque diuturnitate curarum laborumque aut legibus firmarunt, aut armis tutati ſunt, aut finibus ampliarunt, aut munimentis circumdederunt, aut obſtrinxerunt Sacrorum religione, aut bonis artibus ab exilio revocatis exornarunt, qui denique piâ ſolicitudine & ſagaci providentiâ, clauſo Quirini Jano, retulerunt agris

ubertatem, urbibus abundantiam, honorem literis, mercaturæ quæstum ac censum. Sed qui mensis unîus intervallo, superandis eo ipso tot Maribus, non vi copiarum, solo prudentiæ & magnanimitatis auxilio, accedente gratiâ & veneratione sui Nominis, sustinuerint in alieno Regno tantas exercituum classiumque moles, concusserint quasi solo nutu ac dissiparint, nullo prælio nullis stragibus, nullo stratagematum, aut proditionum, vel potentioris ictu fulmineo auri præsidio, ac Tria amplissima Regna gratitudinis & pietatis vinculo æternùm sibi suæque Posteritati devinxerint, & cum iis tot utroque Orbe Principatus, Insulas, Propugnacula, fuêre post memoriam hominum nulli, præter GUILIELMUM AURIACUM. Et quod multo maximum est, nihil fuisse à Te susceptum regni causâ, nullâ emendæ famæ, aut alienæ dominationis cupiditate; non te incitasse æstuan-

æstuantis cujuspiam animi, angusto quasi tot Ditionum Tuarum limite, vehementiorem impetum, non spes avaras plerumque deludendas, & quas ambusti Phaëtontis exemplum meritò terreat, testes sunt quotquot interioris apud Te admissionis fuerunt, testis ipse egomet quum pro solitâ Clementiâ intrà Secretum Tuum proximæ expeditionis meminisses, ac vota precesque nostras, id est propitium piis justisque cœptis Tuis Numen, in auxilium advocares. Sed neque ut regnares jus ullum violasti, qui jura redditurus eras Regno, ac Regem juribus. Nec magis censeri potes fecisse Tibi gradum ad sublime adeò solium, Rege priore deturbato, quàm putandus es author consiliorum ac perfidiæ, quæ illum tandem deturbarunt, aut proculcationis juratarum Legum, quæ parem JACOBO *Secundo* sortem portendebant, qualem exuituris Regium animum Johanni *sine*

Ter-

Terrâ, Guilielmo, Eduardo, Richardove, infortunato cognomine *Secundis*, prout

Semper ſub Sextis perdita Roma fuit.

Quin Rege utroque poſtremo ſententià decretoriâ, in Regni Comitiis latâ, ex authorando, quia in propriam Sobolem, in Proceres primi Ordinis, in Suprimum Regni Senatum, in Comitatuum jura, in Libertatem Suffragiorum, in firmata ipſo Regiæ Unctionis die Legum ac Privilegiorum Sacramenta malè perfidis. An fortaſſis inſidiæ per Te aut Tuos Regi illi ſtructæ qui, quod potuit nemo, violenta imperia continere diutiùs non valebat? An per actos occultè cuniculos, vel onuſtis auro aſellis, vel accenſâ præmiis rebellione, vel feralibus paſſim pegmatis erectis, aut admotis jugulo gladiis, aut publicis opibus attritis, vel in gazas Tuas illatis, aut denique immiſſis Bimachis,

chis, qui vim conſcientiis adferrent, incendia facerent, depopulationibus, cædibus, rapinis, ſtupris, ac miſerando luctu omnia miſcerent, viam feciſti Tibi ad Imperii majeſtatem? ſed fortaſſis Religionis mantelum Tibi pro operimento fuit, quo obtegere Incendiarii hodierni tyrannidem, atque invaſionem alienorum Principatuum & paratam Europæ omni teterrimam ſervitutem, conſueverunt? CHRISTIANISSIMI forſan, affectatum aliquod cognomentum, ſubſerviturum Tuæ æmulationi atque ambitioni fuit? Quâ tollentes ſe pluſquàm Arſacio faſtu Reges alii, Divis nefariè componendi, omnia etiam ſanctiſſima metiuntur: Quomodò profligatiſſimæ etiam vitæ, âtque immodicæ ſuperſtitionis Principes abuſos fuiſſe legimus cognominum ſanctitate: quà Commodus PIETATIS AUTOR, Heliogabalus DEI SACERDOS, Gallienus

CONSERVATOR PIETATIS, Valerianus ab ipso Dionysio Alexandrino, vel Theodoricus Arianus à Romanâ Synodo, RELIOGISSIMI PIISSIMIQUE Principes, audiverunt. Ea autem GUILIELME REX, fuit ab ipsis incunabilis, & in ipsis primæ ætatis tyrociniis, tua in DEUM OPT. MAX. & in avita SACRA veneratio, nullis contaminata cupiditatibus, nullâ licentiâ scelerum profanata, quibus succiduntur nervi veræ pietatis, ut de superstitiosâ aliquâ Tuâ, aut simulatâ Religione, vel in subsidium futuræ dominationis vertendâ, ne ipsa furentis invidiæ, aut sceleratæ linguæ improbitas, cujus Tu fines Heroicis virtutibus reliquisti ac superasti pridem, suspicata vel minimum fuerit, ac neque sibi ipsi persuaserit nupera præstigiatoris Galli vênalisque Pagina, perductura in sententiam suam neminem, nisi qui in Siamensium fortè regiâ, divisi

Orbe

Orbe toto, versantur. Tibi, AUGUSTISSIMI REGUM, *Sol* & *Clypeus* in omnibus incœptis Tuis ille fuit, cui uni ut primæ lucis usuram, sic conservationis stupendæ beneficium, ac cætera omnia quæ in Te prodigia suspicimus, debere Te gratus ac supplex profiteris: Dùm immemores alii mortalis ævi, & in Arbitrum illum vitæ, potentiæque omnis ac felicitatis sacrilegi, Reges suos tanquàm Orbis soles adorant, ac Terris reliquis ostentant, tanquàm parantes iis tonitrua, fulgura, & incendia; Qui tamen *Soles*, ubi Aquilas aut Pegasos imminere sibi conspiciunt, *Caput* condunt, *intrà Crescentem Lunam*, qualiter ferè in Nummo Severæ Augustæ observare memini, & ab istâ auxilium præsidiumque mutuantur, certo instantis Deliquii præsagio. Non tu is Fulgurator Prædatorque Jupiter, Eversor ac Destructor Imperiorum, sed Salvator, sed Eleu-

therius, sed Serenus ac Feretrius idem, qui salutem ac pacem Populis adferres, qui simulac affulsisti Britannis Tuis, non prohibituris profectò aditu litorum, sed ruituris in amplexus ac penè in cultum Tutelaris Genii, atra continuò nubila, minacesque turbines vultûs Tui Serenitate, ac solo adspectu difflasti. Fuit is verè GUILIELMI adventus, quem MARIÆ alter excepit, ADVENTUS FELICISSIMUS, Anglicani Pop. GAUDIUM, SECULI GLORIA, exoptatissimaque TEMPORUM REPARATIO, ut præ cæteris in Constantini Magni Nomismatibus pia Antiquitas expressit. Venisti redditurus Supremo Senatui authoritatem, Legibus vigorem, Libertatem Populis, Judiciis Sanctitatem, Successioni jura sua, ac FIDEI isti securitatem cujus TE DEFENSOREM non Britannicus modò sed Protestans Orbis universus veneratur. Intendisti hoc unum,

unum, collapſa erigere, deſtructa inſtaurare, divulſa conjungere, nutantia firmare, quin non tam de Religione quàm de mediis Ritibus diſſidentes, atque æternis in ſpeciem odiis diſtractos, æterno fœdere ac nexu conſociare. Nec jam abjectæ aſſentantium turbæ hæ voces, ac compoſito vultu ad falſas, fictaſque acclamationes feſtinantis, ſed grata hæc ſunt Utriuſque Domûs, totîuſque Populi Britannici Chariſteria, illorum etiam qui ferre Imperia quidem, non amare didicerunt.

Hinc ne ſpecies quidem in Te ulla uſurpatæ dominationis, non ſubjectâ profectò à Te Britanniâ, ſed ultrò ſemet ſubjiciente illi Imperatori, quem non gravis admiſit, ſed ſuus ut eſſet, ſupplex exoravit, futura præda Tyrannidi, niſi præmium GUILIELMO fuiſſet. Nec erat quod Regnum invaderes, qui regnabas pridem in omnium animis, votis, deſideriis, proclamandus in-

trà tertium ab Adventu menſem, pari Concordiâ Procerum & Civium; JACOBO ipſo non obſequenti fortunæ Tuæ ceſſuro, ſed cauſæ meliori, non impetito à Te ſed defenſo, nec fugato ſed fugiente, propriæ conſcientiæ ſtimulis etiam alas volucres addituris. Ac vix ſolium aſcendiſti, quum ecce viſus magis es accipere leges quàm dare, nec novas figere ſed priſtinas ſtabilire, referendo nobis in mentem Adriani Auguſti illa ad Servianum Coſ. de Ægypto à ſe nuper aditâ; *Huic ego cuncta conceſſi, vetera privilegia reddidi, & nova ſic addidi, ut præſenti gratias agerent.* Imò verò nihil Tu ſine Prytanibus, Summo Regni Senatu, quos non tam Conſiliorum participes quàm arbitros, verèque ſocios Poteſtatis habes, ſacro Regnis Tuis nec ſatis admirando Principatûs temperamento. Quo fit ut cotidie à ſummis & imis in laudes grateſque certatim eatur, & feſtis

cla-

clamoribus cœlum undequaque perstrepat, perculsis Tuorum subditorum mentibus tam insperatâ felicitate, & insolito nec prius intellecto DEI munere. Et sive GUILIELMUM animo contemplantur, Restitutorem tantæ Libertatis, Religionis vindicem, Pacis custodem, formidinem Hostium, arbitrum Europæ, atque impotenter Regnantum deinceps frænum; sive in MARIAM convertunt oculos, delicias Humani generis, Gratiarum omnium ac virtutem sedem, ultimum Naturæ conatum; sive denique indivisam in duobus Capitibus mentem atque individuam Regni Societatem, verè CONCORDIAM AUGUSTORUM, recente cogitatione complectuntur, subsiliunt animi, exultantque præcordia, ac pariter sese

— diffundit in omnia Regni
Membra vigor, vivusque color redit Urbibus ægris.

Et felicem hanc reparationem rerum omnium, dùm componunt cum priorum temporum calamitate, depulſamque ſentiunt atque eliminatam æternâ Edictorum lege eam peſtem Cucullatæ Gentis, ac Pullatæ Societatis, cui dicatur poſthac, *Socii quid hic rerum agitis?* dùm intelligunt fractam eſſe *virgam Dominatorum*, excuſſum ſuis cervicibus jugum, tyrannidem oppreſſam, amotas culpas, onera levata, auri vim ablatam, ſed & præſtigiarum, quibus ut faſcinò quodam Reges Populique dementantur, atque ità GUILIELMO REGE ſolutas eſſe perpetuâ formidine Terras, vix habent ſuis oculis fidem, caligantibus iis etiam nunc ex priori atque obſcuriſſimâ nocte, & in novum quendam Orbem, ignotum majoribus, delatos ſeſe arbitrantur.

O fortùnatum illum diem, cujus memoriam nulla Ætas obliterabit nulli Annales conticeſcent, cuju'

gloriam, lætitiamque nulla unquàm alia adæquabit, quo nec hominum favor, nec vera magnitudo reddet celebratiorem alium, & in quo

Simul ista Mundi Conditor posuit Deus,

insociabili hactenùs nexu, amorem atque regnum, dum *odium* necessariâ veluti habitudine *regno* Tragicus conjunxerat! Diem! quem maximum hujus Reipubl. pignus esse censeo, non *delendæ* amplius sed juvandæ tutandæque *Carthaginis*, & quo in illibatum æternumque fœdus communi Sacrorum, commerciorum, copiarum, signorumque vinculo, quia colligante GUILIELMO, coalescent Britannia, Belgicaque, quas occultis antè aculeis stimulare æmulatio quædam videbatur, aversis nonnunquam ac concussis Classibus, imò horrendis inter se fragoribus collidendis. Diem! luctuosum illis Regibus, conversâ rerum scenâ, qui luctum

Orbi toti apparabant, & tremendum iis ad quorum nomen contremiſcere, tot furoris exemplis, Provinciæ, Urbes, Agri, Populique didicerunt. Diem verè decretorium! quo Deus velut è machinâ ad interdictum illos vocat, qui quod Dei unius Imperium eſt mortalibus ſibi, in Animos, & in ipſam Æternitatem vendicabant. Et quorum jam rationibus inferentur, tot inductæ Terris vaſtitates, tot Sacrariis admotæ faces, tot Aræ cædibus cruentatæ, tot prædæ Sacrilegiis actæ, tot Fana in ſpolium ac rapinam verſa, tot Sacerdotes exuti, Virgines ſtupratæ, Viduatæ Conjuges, Senes mutilati, Infantes aut illiſi ſaxis, aut ignibus traditi, & ſeu colles luxuriantes, ſeu flaveſcentes campi, ſylveſtri & incultâ deformique imagine horrentes; Et iſta quidem ſolâ libidine dominantum, jus dantium ſceleri; nam

— *Scelera ipsa nefasque*
Hac mercede placent!

Sed quantam posthac felicitatem, ac pleno cornu rerum omnium abundantiam & copiam, quantam animis ac conscientiis tranquillitatem, nec fallaci augurio, vel ancipiti fide, Regna sibi Tua GUILIELMO REGE polliceantur! Vix natum eum Principem crediderunt Civilis prudentiæ Magistri, quantum vis amabiliorem Tito, justiorem Augusto, vel Trajano meliorem, atque ab iis omnibus instructum, quæ Principem absolvunt, quem placere omnibus laudarique contigerit. Sed ibit in Secula fuisse fortunatæ Genti eum aliquando Regem, in quo uno concentus omnium laudum, omnisque virtutis, in quo uno concentus omnium laudum, omnisque virtutis, in quo uno conjuncta quæ in aliis separata, summa quæ in aliis mediocria, propria &

ſingularia quæ nullâ hominum memoriâ de Imperante hactenùs tradita literis; & de quo tacere præſtet, quàm dicere quæ de Principe quoque alio dici potuiſſe videantur.

Nolumus verecundiam Tuam vincere, qui noſtram modò vincimus dicendi cupiditatem, ſecuri licet contrà adulationis invidiam; ut quem minimè omnium Principum hoc ludi ſchemate, his falli blanditiis poſſe, novit Orbis ac ſuſpicit. Et quemadmodum uni quondam Apelli, aut uni Phydiæ, ſuam Alexander Macedo fingendam permiſit imaginem ſic Artis magiſtris Effigiem Tuam, GLORIOSISSIME REGUM, id eſt veriſſimam Principis, delineandam ac perficiendam relinquimus, æternum ſanctiſſimumque regnaturis exemplra, & quàm iſti diſſimile, quod Nicol. Machiavellus, in Cæſare Borgiâ imitandum *Principi* ſiſtit, perfidiæ ſcilicet atque impietatis compendio, & qui dùm

aut

aut *Cæsar* aut *nihil* esse voluit, utrumque tandem fuit. Intendent in id omnes nervos ingenii & eloquentiæ nostrorum Suadæ temporum, ac desudabunt in eo lecti Orbe toto Literario scriptores, ut quâ decet majestate ac fide, majori certe hacce quam de Ajace Homerus, de Alexandro Arianus, de Trajano Plinius, transmittant ad omnem posteritatem, nec adscititiis ullis vel peregrinis laudibus, quæ de GUILIELMO BRITANNICO, FRANCICO, HYBERNICO, GERMANICO, BELGICO, dici aut scribi oportere summo jure crediderint. Exornabunt isti condigna oratione, præter ea & majora quæ publica expectatio concepit, primam illam Tuam, in ipso Regni aditu sollicitudinem, Christianamque curam, ut nihil in Religione intutum, nihil in Ecclesiâ impacatum superesset, sollicitatis peramanter fortiterque populis in concentum animorum, laudum, precumque, quas funderent

Immortali Deo, quorum concinerent ſine offenſione ullâ Doctrina, Fides, Sacramenta, Cultus, Leges, Cauſa omnium una, una Societas, unum Regimen, unus Senatus, Rex unus, unum denique inviôlatâ religione Numen. Efferent iſti, ut conveniet, Animum illum Tuum, ubi ſemel erexit cauſæ fiducia, periculis etiam ſummis invictum, tam potentem affectuum quàm imperii, ubique ſui ſimilem in Aulâ, in Senatu, in Caſtris, domi foriſque, ſeu jam ineunda conſilia ſeu exequenda fuerint, ſeu regere alios ſeu Temet difficillimo omnium imperio, conſpiciaris. Laborabunt circà divinam illam Mentis aciem; quæ ſola ut Hominem ſic Principem oſtendit, quâ Tu ſic penetras in rerum eventus, ac receſſus animorum, ut pectora Tibi ſint quaſi feneſtrata; ut primo adſpectu hominem totum, larvâ detractâ, perſpicias, ut non tam reſponſa interrogando deſideres, quàm re-

reſpondenda cogitatione prævertas; ac futura ipſa veluti præſentia, occulta velut in apertam lucem protracta, contempleris; eaque agites vaſtiſſimâ mente quorum vel eventum, vel fructum, ſola retrò tempora patefacient. Prædicabunt ſuam quandam arcem in Te ſtruxiſſe Prudentiam, quæ propria Imperantium virtus eſt, & quâ unâ Hoſtibus tuis longè Te magis formidabilem, quàm vel Arcium munimentis, vel exercituum præſidiis effeciſti: Adeò quidem ut conſiliorum participes ea doceas quæ antè nec Politicus Stagirita, nec prudens Annalium Scriptor, nec Hetruſcus ille Magiſter cui vix larva honeſtatis placuit; ità etiam aliorum conſilia ac cogitata obſerves, ut nemo Tua. Commendabunt flexanimem illam ſuadam quâ mirabili jam arte, ſed quam unus calles, mancipas Tibi, & in aſſenſum vel in amorem cogis, quicquid modò oculos Tuos ſubit. Con-

celebrabunt moderationem illam Tuam, quâ impetu nunquam, judicio ſemper & electione duceris, atque ad exactiſſimam rationis juſtitiæque trutinam maxima & minima, tenaciſſimâ juris & æqui voluntate, penſitas. Denique, nec enim ad dicendum REGIÆ TUÆ MAJESTATI Panegyricum Feſtâ hac Luce invitamur, memorabunt haud alium antè Principem pari Tecum vigiliarum moleſtiâ, aut aſſiduitate laborum, incubuiſſe adminiſtrandis rebus: Ut non tam Princeps quàm publicus Miniſter, ſuſtineas rei publicæ pondus, curarumque molem; & ſi quæ Tibi ſunt ludorum aut venationum otia, aliorum hæcce negotiis præponderent: Ut guſtes adeò non blanda & amœna Principatûs, inter lenocinia cupiditatum, ſed ingrata & aſpera; hinc nec ignavos deſideſque Silanos, *pecudes aureas* falsè dicebat Cajus, omninò feras, minùs in pocula aut in voluptates

tes demersas sæpè mentes.

Sed ad vota nunc tandem vocor, publica illa, atque ardentissimis studiis nuncupanda, pro Regalis Solii Tui æternitate, atque auspicatissimi Imperii, à quo surgit hodiè nova Periodus Britannica, & ÆRA GUILIELMINA, scribendis Annalibus signanda. Pari nunc omnes, cujuscunque tandem sumus Ordinis, animorum contentione, & supplicationum ritu, Pulvinaribus advolvimur, ut Tibi quidem, volucribus in futurum votis, nec destituendâ unquàm spe; impetremus iteranda TRICENNALIA, simulque gloriam Regiminis, ampliationem Imperii, & consiliorum quæ solus catenatâ serie animo complexus es, fortunatum optatumque successum; MARIÆ verò AUGUSTÆ, nunc Matri Senatûs alteram hanc felicitatem, ut sit eadem Patriæ fœcunda Mater, simul ipsa

Magnorum Soboles Regum, parituraque Reges.

Non ingemiscat Orbis Britannicus ad novum Imperii Tui successorem, nisi exacto seculo, quando exactas omnes Ætates Immortalibus meritis transcendis; nec occasus Tuus, nisi in longum ævi & ingravescentem Senectam protractus, exeat unquam in certam Regnis Tuis calamitatem; indignato verissimè Romanæ Historiæ Principe, solitum *repentè mutare omnia, Imperatorem mutatum.* Non quidem *Æterni* cognomentum, præterquàm celebratione ac commemoratione hominum, sed tamen illud *Longævi* Principis, supergressuri mortalis ævi terminos, GUILIELMO MAGNANIMO, FELICI, VICTORIOSO, sed & MARIÆ PIÆ, CLEMENTI, BENEFICÆ, solenni prece exposcimus atque auguramur universi. Nec aliundè certissimum augurium est,

eſt, quàm ab excubiis & cuſtodiis Æterni illîus mundi Oculi, quo clàm nulla doli, nulla inſidiarum eſſe machinatio poteſt: Addam ego, à vitæ omnis Tuæ inſtituto, neſciæ aut fœdarum libidinum, aut mollis atque enervantis otii, aut intemperantis victûs, quibus effœtum & ingraveſcens corpus acceleratæ tradi ſenectuti conſuevit. Imò uſque adeò es Socraticæ temperantiæ, horreſque ventres, & gurgites, & ſpongias

quibus in ſolo vivendi cauſa palato eſt,

ut ſi quam continentia in omni victu, ſi quam affectuum vitæque modus, ſi quam hilaris virtus, procul rugoſæ & contractæ frontis ſeveritate, ſi quam denique prudens exercitatio, liberales inter jocos, curarum ſubindè levamenta, & quoddam vitæ hujus noſtræ fomentum, effecêre longævitatem, hanc nos ſperare deTe jubeas, qui huic uni potuiſti

tuisti culpæ succumbere, intemperantiæ curarum, animique contentionum. Quibus omninò fiet, ut Ætas Tua, nullis mortalis ævi claustris, quibus nostra solet, coërcita, nec morbis conflictetur, nec laboribus frangatur, nec senio languescat, solâ tandem diuturnitate extinguatur, suavi resolutione aditura Æternitatem, & quod vovemus singuli, revictura in GUILIELMI BRITANNICI Nepotibus.

INDEX

Introductionis hujusce Chronologicæ.

ad

Ca-

Finis Indicis.

INTRODUCTIO CHRONOLOGICA

Ad

HISTORIAM ECCLESIASTICAM,

Præcipuè

VETERIS TESTAMENTI.

I. *De Anni tempestate, quæ Mundo Natalis.*



Uæstio non necessaria quidem, nisi ut certus figatur terminus in putandis temporibus, & comparandis Epochis, hinc & à Magistris pridem agitata, ut ex *Seder Olam* constat, de Mundi, atque adeò Ecclesiæ, tempestate natali. Ad quem nempè Anni cardinem, seu *Solstitialem* seu *Æquinoctialem*, probabiliùs referatur? Sive in quâ Zodiaci parte Sol in principio rerum à Deo constitutus fuerit?

Ad Solstitium quod nobis *brumale* est, sole Capricorni signum ingresso, undè initium anni Romani, retulit certè hactenùs nemo; quanquàm dum apud nos bruma est, in Australioribus plagis omnia æstu adurantur, non tamen in climate conditi Adami. Ad *æstivum*, sole

condito primùm vel in Cancro, vel in Leone, retulit noſtrâ ætate, poſt Aſtrologos quoſdam veteres, & Ægyptios, quibus Canicula hinc in ſummo honore, Gerardus Mercator, *Methodo Demonſtr. Temp. Cap.* I. Rationes cùm aliæ quædam, prolixè expenſæ Henrico Harvillæo, *Iſagoges Period.* 1. *Difficult.* XI. tùm potiſſima iſta: Eundem fuiſſe ordinem menſium, idem anni auſpicium *Diluvii* tempore, quod ab initio *Creationis*; atqui *primum* menſem circà Diluvii tempora, fuiſſe *Julium*, Sole attingente Leonem. Poſterius probat, ex loco *Gen.* VIII: 11. ubi folium olivæ decerptum legitur, & quidem die XXV. Menſis XI. ex *verſib.* 5, 6, 7, 8, 10. Hoc porrò folium contendit fuiſſe novellum germen, vel ſurculum, hinc olivam tùm primùm fuiſſe germinantem, frondeſcentem; germinare autem iis in locis ut vitem ſic olivam, Plinio teſte, quando Sol in Tauro eſt, ſed eo quidem anno ſeriùs, ob terræ ex Diluvio frigus, ſole nempè in Geminis conſtituto: Undè colligit Mercator, menſem XI. Noachi tempore, fuiſſe *Majum*, adeoque menſem I. fuiſſe Julium à ſolis in *Leonem* ingreſſu. Hæc ille, ratione haud perſuadere natâ.

Siquidem 1. nihil in Textu de ramo primùm germinante, nihil de novello ſurculo, ſed de *folio olivæ decerpto*; 2. Abſurdum, *ſeptiduo* antè aquis omnia operientibus, tam brevi ſpatio, frigidiſſimo ſolo, olivam fronduiſſe; 3. Manifeſtum quoque, olivam ſervare virorem ſub aquis qualemcunque potuiſſe, pro innatâ pinguedine, & pro oleæ, lauri, cupreſſi, palmæ, hederæ, aliorumque ſemper vivo-

rum

rum indole, apud Plinium, & rei Herbariæ ſcriptores.

Ad *Æquinoctium vernum*, ut Sol primùm conditus fuerit in Arietis ſigno, an Majo an Aprili menſe, retulerunt ſanè plerique Mundi & Eccleſiæ natalem. Rationes potiſſimæ ſequentes.

1. Quia initio Creationis cœpit terra germinare, *Gen.* 1:11. quod deinceps accidit ſole Arietem ingreſſo. Nec neceſſe fuerit, ut quicquid eſſet arborum in Paradiſo, maturos jam fructus exhiberent, ſed qui matureſcerent ſuo tempore, ut alii verno, ſic æſtivo vel autumnali alii. Ità & vernâ tempeſtate mundum cœpiſſe Epicurus cenſuit, cùm omnia primùm germinare, florere, ac fœtus concipere viſa ſunt.

2. Quia haud alia ſit Menſes numerandi ratio in *Geneſi*, quàm quæ in *Exodo*, *Exod.* XII:2. non alia ante Diluvium, quam quæ poſt Diluvium: Hìc vero *primus* Menſis conſtanter incidit in Æquinoctium vernum; undè *ſecundus* Menſis, tempore Diluvii, *Gen.* VII:11 fuerit quoque menſis vernus, uſu Scripturæ perpetuo.

3. Quia ab Æquinoctio verno, ad Æquinoctium autumnale, dies noctibus longiores ſunt, tempeſtas gratior, ſolum feracius, quæ omnia in primum omnium ſemeſtre quadrare videantur. Undè nec paucæ Gentes à verno æquinoctio annum exorſæ ſint, & in hunc uſque diem Arabes, Syri, Perſæ &c.

4. Patrum verò plerorumque (quos citant Harvillæus in Iſagoge, Pererius initio Commentar. in Geneſin &c.) ac Synodi Palæſtinæ Victore I, Papâ, cujus meminit Beda, fuit

quædam ratio singularis, nec apodictica illa; nempè *Adamum* conditum videri circà id tempus quo *Dominus* uti *incarnatus* fuit, ità quoque *passus*, ac tandem *suscitatus* à mortuis. Accedunt viri magni nominis, Calvinus, Jul. Cæsar Scaliger, Genebrardus, A Lapide, Salianus, Tirinus, Keplerus, Adrichomius, Hàrvillæus, Jac. Capellus. Joh. H. Alstedius, Gerh. Joh. Vossius, Edw. Simsonius, ac recentiores non pauci. Et hæc Astrologorum ferè sententia est; quomodò *Alfonsina* Tabulæ Æram Adami conditi inchoant à xv. Maji, quæ fuerit feria vi. postridie Æquinoctii verni, quod factum fuerit feriâ v, quum Sol creatus esset feriâ iv.

Pro *Autumnali Æquinoctio*, ut Lux creata vel Sol conditus fuerit in principio Libræ, cœperintque cum initio Autumni nostri, seu Septembri mense, seu Octobri, incunabula Mundi, cùm rationes variæ, tùm authoritates militant.

1.° Arguere id ipsum videtur maturitas frugum, seu terra fœcunda frugibus omne genus, in Creationis exordio; alimentum adeò jam præparatum creato homini, atque uti habet Jos. Scaliger, *extemporaneum*. Quæ est Autumni veriùs prærogativa.

2. Favet quoque principium *Anni civilis* Hebræorum, à Novilunio scil. quod est Autumnali Æquinoctio proximum; idemque principium anni & *Sabbatici*, & *Jubilæi* in Sacris: Undè septimus mensis sacer, ex Mosaïco instituto, fuerit civilis primus in Republicâ Hebræorum, ut alibi demonstratur, vel ex locis, *Exod.* xxiii: 16. xxxiv: 22. ubi *exitus anni*, seu vertens annus in autumno memoratur.

3, Squa-

3. Squalor rerum omnium ex intensissimo æstu, in illis Mesopotamiæ seu Babyloniæ partibus, ab Æquinoctio *Verno* ad *Autumnale*; Uti contrà, in iisdem partibus in quibus homo creatus, vix aliud ver fuisse videatur, quàm indè à Januario ad Martium vel Æquinoctium, ut Jos. Scaliger, *Prolegom. ad Can. Chronolog.*

4. Ad authoritatès referunt, consensum 1. Ægyptiorum apud Josephum, *Lib.* 1. *C.* IV. *Antiq.* M. Tullium, Lactantium &c. sic & Asiaticorum complurium, atque Orientalium Veterum annum civilem ab Autumnali Æquinoctio inchoantium. Quâ de re adeundi Scaliger, Petavius, & alii. 2. Hebræorum tum veterum, tùm recentiorum, ut ex Josepho, *Antiq. Lib.* 1. *cap.* IV. Paraphraste Chaldæo, Thalmudistis, Cabbalistis, hodiernâque Judæorum praxi liquet, suum indè in Synagogis annum, suasque Tekuphas in anno Civili, ac lectionem Sabbathariam, ordientium. Quod referri debere ad institutum Masoretharum, & ad conformitatem cum Indictionibus Romanis subintroductam, precariò ab aliis asseritur. 3. In Veteribus Julii Firmici, Astronomi clarissimi, Constantino M. imperante, statuentis, ex traditione antiquâ, Mundum in Librâ conditum. Quomodò *Orientales omnes* indè annum computasse tradidit alicubi Hieronymus. 4. Plurimorum certè in Theologorum, & Chronologorum choro, in quibus Lyranus, Tostatus, Picus Mirandulanus, Pererius, Torniellus, Arias Montanus, Serrarius, Danæus, Jos. Scaliger, retractatâ priori sententiâ, quam amplexus fuerat in priori Editio-

tione Operis de *Emendatione Temp.* Lansbergius, Helvicus, Dav. Pareus, Petavius, Lud. Capellus, Ubbo Emmius, Usserius, Calvisius, Baillius, aliique sine fine. Ut verò probabilior hæc nobis sententia creditur, sic controversum *dubiumque manebit*, *quod latet.*

II. *De duratione Temporis, extra Codd. Sacros.*

Constituto principio temporis, istis verno, his autumnali, excipit temporis *Duratio*, quatenùs illud fluxit à Mundi exordio. Estque duratio vel *falsò* vel *veriùs* asserta: Prior rursùm vel à *Paganis*, vel à *Christianis*, utrisque sapientibus extrà Verbum revelatum. In iis sunt.

I. Philosophi, *æternitatis* Mundi assertores, Ocellus Lucanus, Aristoteles, Plinius, Proclus, Averroës, Simplicius, &c. Quibus ad hominem opponas Pythagoram, Platonem, Ciceronem, Stoïcos, consensum penè universalem Gentium; Dein rationem sanam ac vacuam præjudiciis; Experientiam tandem, & Historias de rerum exordiis; Quæ fusiùs deducere non hujus est instituti.

II. Gentes integræ, inani ac fabulosâ ostentatione Antiquitatis. Ità tamen ut periodi *Astrologicæ* veriùs fuerint, uti Chaldæorum, Ægyptiorum illæ, quàm *Historicæ*, quibus suas de Diis & Heroibus fabulas intermixtas esse voluerunt, quum prætereà in tanto inani occurreret nihil. Sic *Chaldæi*, vel Babylonii, si fides Diodoro, *Bibl. Lib.* II. habentes observationes Astronomicas annorum *quadringentorum*

torum & septuaginta duo Millium, ad Asiaticam expeditionem Alexandri M. Quod tamen ex Historiâ Alexandri M. & missis ad eum, post occupatam Babylonem, à Callisthene Philosopho Astronomicis Babyloniorum calculis, refellit ipse Simplicius in Aristotelem, *Lib.* II. de Cœlo, ac risêre Cicero, & alii. Præterquàm quod Babyloniorum origo infrà Diluvium à *Nimrodo* arcessitur, qui an Belus, ut quoque Bochartus, an longè antiquior Belo, ut alii ex Africano, Eusebio, Syncello, controvertitur. Quibus adde fabulosas Berosi Babylonii Dynastias, orbi propinatas demùm circà tempora Antiochi Soteris, *tertii* ab Alexandro, adeòque post Mosaïcas Origines in Græcum translatas, ex Tatiano apud Eusebium Προπαρασκ. *Lib.* X. c, XI.

Sic & Ægyptii, Chaldæorum æmuli, *fabulati* per annos circiter *octies & decies mille* imperasse sibi Θεοὺς τε καὶ Ἥρωας, apud Diodorum *L.* I. *portenta narrationum pro veritate amplexi*. Ne dicamus seriem Dynastiarum Ægyptiacarum seu Principatuum XXX. sive *myriadum trium* cum 6525. annis, ex Chronico Ægyptio vetere, cujus meminit G. Syncellus; Et ad cujus imitationem Manetho Sacerdos Ægyptius, scribens sub Philadelpho, & imponens exemplo Berosi Chaldæi, assignavit *Diis* ac *Semideis* fabulosas antè diluvium Dynastias, recensitas ab Africano, & Eusebio in Chronico. Nec convenit tamen Manethoni cum Chronico illo de quo Syncellus, seu in *numero* Deorum, seu in *annis* Principatuum, quemadmodum aliter habet calculus Africani, aliter calculus Eusebii, ex eodem Manethone. Adeò mendacium haud sibi

constat. Ac Manethoni plus nimium tribuerunt Christiani illi Chronographi. Omnes autem istæ *Ægyptiorum* origines, derivatæ ex monimentis scilicet ac columnis *Hermetis* Trismegisti ἐν τῇ Σηριαδικῇ γῇ, seu ex sacris inscriptionibus Thoyti, sacrâ primùm *Dialecto* antè Diluvium, post *Hieroglyphicis* characteribus à Diluvio expressis. De quarum fide hinc facile judicium est. Ne dicamus Ægyptiacas ex *Chamo* & *Mizraimo* origines, ex sacro Codice satis constare. De quibus adi Scaligerum, Petavium, Marshamum, Goarem ad Syncellum, Edw. Stillingleeft in Originibus Sacris, & Fabulæ Præ-Adamiticæ confutatorem non unum, nuperumque scriptorem de *Antiquitate Temp.*

Sic *Sinenses* vel *Seres*, ultrà *octingenties octagies quater mille & 800* annos ab Orbe Condito supputantes, apud Scaligerum *de Emend. Temp. Lib. 1. pag. 19.* sed ex dubiis admodùm testibus, ac nugacibus. Undè certos eorum Annales, primosque Imperatores, aliquot infrà Diluvium Mosaïcum Seculis ordiri, statuit non modò Isaacus Vossius Vir Clarissimus, *Dissert. de Æra Mundi*; sed & optimè cum Mosaicâ Chronologiâ componi Sinensium illam, Martinus Martinius *Sinensis Hist. Lib. 1.* Trigautius Jesuita, aliique, commentitio annorum calculo exploso. Tacemus Phœnicum, Scytharum, Americanarum Gentium, aliarumque, vanâ jactantiâ antiquitatis, fabulosa computa.

Sic Indos Orientales Mundi durationi tribuere quatuor *Dungas*, quarum singulæ sint plurium *Lecquarum*, Lecquæ singulæ sint annorum *C. Mille*, tradidit nuper ex eorum rela-

relatione Bernierus Medicus, Gallico ſcripto & ingenioſo, familiariter iis uſus plurium annorum decurſu, & ſcrutatus hominum ſuperſtitioſiſſimorum arcana. Nec ſufficit exceptio, annos intelligi *menſtruos*, pro motu Lunæ periodico, quales Ægyptiorum füiſſe annos teſtati ſunt Varro apud Lactantium, Plinius, Cenſorinus; ſed Diodoro Siculo reclamante *Biblioth. Lib.* I. atque etiam Lactantio, *Inſtitut. Lib.* II. *cap.* XV. Et certè nihil ſibi conſtat hæc traditio de annis *menſtruis*, ſeu *Lunæ* ſenio terminatis, ex Varrone & Plinio. Nam Cenſorinus Ægyptiorum annos *bimeſtres*, Solinus *quadrimeſtres* repræſentant. Ignorant etiam Sacræ Tabulæ, quæ nonniſi annos *menſium* noverunt, ſeu Solares, ſeu Lunares. Nec aliundè hoc iſti commenti ſunt quàm ut veriſimilitudo aliqua vaniſſimis calculis Ægyptiorum, ac Dynaſtiis, adderetur. Ut etiam conciliarent cum noſtro vitæ modo longævitatem primorum hominum, quorum nonnulli ſingula ferè *annorum millia* vixiſſe dicerentur, & apud Xenophontem, atque ex eo Plinium, annos 800 Rex Inſulæ Latmiorum, ut legit Salmaſius. Ità enim cùm brevioris ævi fuiſſent, quàm qui deinceps octogenarii vel *nonagenarii*; ſed & veneris præmaturæ, ut dùm generaſſe dicuntur anno ex. gr. XC. qualiter *Enoſch*, alii etiam maturiùs ex. gr. *Cainan*, *Enoch*, genuiſſent ita anno ætatis ſolari *quinto*, *ſexto*, *ſeptimo* &c.

III. Aſſertores durationis Mundi non infinitæ quidem, ſed tamen *indefinitæ*, poſt Veteres, Cenſorinum, Ptolomæum, Julium Firmicum Maternum, alios, non defüère infortunato hoc Seculo. Nempè qui liberiùs quàm

par eſt de Mundi fabricâ, & primis Originibus philoſophantur. Ac caput inter eos exeruit fabuloſus Præ-Adamita, fingens conditos homines ante Adamum aliquot fortè annorum *myriadibus*, diſtinguenſque creationem hominis *Gen.* 1. à plaſmatione Adami *Gen.* 11. Sed puduit mox hominem ineptiarum, & veniam pro laude petiit, errori miſſo publicè repudio.

IV. Alfonſinæ verò Tabulæ, relictis fontibus ſacris, & quæſitâ Ærâ Mundi conditi à motibus cœleſtibus, Mundum hunc *ter mille* circiter annis faciunt vetuſtiorem, quàm ſit ab iis qui Textui Hebraïco adhærent. Nempè ſtatuit Alfonſus Æram Nativit. Chriſti incidere in annum Mundi Julianum 6984, ut 7000. annus inchoetur ab Anno Chriſti 16. quando juxtà eundem incepit ſecunda Periodus *Anamoliæ Augium*; de quâ adi Mulerium, & alios.

III. *De duratione Temporis ſecundùm Codd. Sacros, ac primò, ſecundùm eos qui ab Hebræis diſcedunt.*

Vera igitur duratio eſt, quæ Moſis ſacrorumque Codicum authoritate ſubnixa, fidem ſola meretur. Ubi primò non una rursùs ſententiarum claſſis, pro triplici genere Codicum, Hebræorum, Samaritanorum, Græcorum. Diſcrimenque aliud in annis *antè Diluvium*, aliud in annis *à Diluvio* ad natum Abrahamum. Samaritanorum enim calculus, quoad annos antè Diluvium brevior eſt Hebræorum illo, annis totis CCCXLIX. Contrà idem, quoad annos

annos post Diluvium, ad Abrahami nativitatem usque, excedit longè calculum Hebræorum, annis nempè D. C L. convenitque illi cum Græcis quoad annos τεκνογονίας Patriarcharum, discrepat idem quoad annos vitæ, & omissum Kainanem, in quo Samaritanum secutus Eusebius est.

Græcorum autem vulgò τῶν LXX. computum, *ab Adamo* quidem ad Diluvium, excedit Codices Hebræos annis totis DC. & ità quoque Josephus in *Originibus*, ut infrà. *A Diluvio* autem ad natum Abrahamum Tharæ Patris anno C XXX. excedunt Græci annis circiter D CCC LXXX. variante tamen lectione Codicum: Quod fit tum ob insertum Caïnanem, tùm ob additos annis Hebraicis παιδοποιΐας singulorum (Semo excepto, & Teracho patre Abrahami) annos alios C. Ut ita, ex hac supputatione, natale Mundi tempus Æram ejusdem vulgarem superet annis M CCCC LXXX. Cujus supputationis, (quam secuti, licet diversis calculis, Josephus, Africanus, Eusebius, plerique Patres ignari Hebraicorum fontium, & ità Gregorius Turon. Isidorus Hispal. &c.) totiusque adeò Versionis Græcæ, susceperunt novissimè patrocinium Viri Eruditi, in Ordine utroque, Reformato & Pontificio, secuto & eum calculum Baronio, in Apparatu, & Notis ad Martyrol. Romanum. Sed verò Hebraicæ veritatis calculo adhærent, Latinus Interpres, Hieronymus, Beda, Ado, Chronographi alii vetustiores, & in recentioribus Chronologi principes, Genebrardus, Harvillæus, Scaliger, Bucholzerus, Petavius, Usserius, Vossius pater, Lydiatus, Calvisius, innumeri alii, & quotquot sunt Hebraizantes

Theologi, seu integritatis Textûs Hebraici defensores, contrà oppugnatores nuperos Lud. Capellum, Joh. Morinum, Brianum Waltonum, Isaacum Vossium, Rich. Simonium &c. Et certè longè suspectior videtur calculus *Versionis Græcæ*, non modò quod corruptissima illa, ac pridem interpolata; nec par in hoc Textu conservando religio, quæ in Hebraico; sed & quoniam is excedens calculus, *Ægyptiorum* rationibus convenientior visus, quorum ità *Dynastiæ* intrà Creationis & Diluvii terminos coërceri magnam partem videbantur, ut ex Scaligero, & aliis, intelligitur.

Porrò *excessûs* Græcorum, & qui eos secuti sunt, in annis putandis ab *O. Cond.* ad *Æram Christianam*, aliæ etiam causæ patebunt, ex Canone singularum Epocharum, infrà subjiciendo. Nam & Æras alias, ex. gr. ab *Abrahamo* ad *Mosem*, tum Æram *Judicum*, sed & illam *Regum*, &c. apparebit produxisse aliquando plus justo. Undè sunt excedentes illi calculi annorum, quos supputarunt ab O. Cond. ad Christum natum, & nuper quoque Vir Doctiss. Isaacus Vossius, putans propè annos 5600. Undè & miræ sunt in putationibus Græcorum discrepantiæ. Ex. Gr.

Clemens Alexandrinus, *Lib.* 1. *Strom.* putat annos, - - - - - - - - 5624
Theophilus Antiochenus, *L.* 1. ad Autol. 5515
Eusebius in Chronico, secundùm quosdam Codices - - - - - - - - 5329
Idem, secundùm alios, & Romanum Martyrolog. ad VIII. Kal. Jan. - - 5189

Communiter autem Æra Græcorum *historica*, quam secuti sunt Africanus, Maximus Monachus

chus, Georgius Syncell., Theophan., Nicephor. Suid. in voce Α'δὰμ, & Alexand., hinc in Arabibus Eutych. Ebn-Batrick *Annal*. T. 1. p. 311. putat annos ab O.C. ad Christi natalem, 5500. Ita quidem, 1. Ut annum *Civilem* inchoent à Septembri, unà cum Indictionibus, *Ecclesiasticum* verò quandoque seu Paschalem ab Aprili. 2. Ut faciant Græci Epocham Nat. Christi totis annis VIII. posteriorem Æra Vulg. Undè ad Æram Diocletiani numerant illi Historici, & quoque Batricides, annos modò 276. qui numerandi secundùm Æram Dionysii 284. ut alibi monetur. Quo fit ut Æra nostra Vulg. incipiat ab anno Periodi Græcorum 5494. Cyclo Solis VI. Lunæ III. Indict. IV. Unde datis Annis Mundi, seu Periodi Græcor. in iis quæ post Christum acciderunt, abjice 5493. residuum notabit annos Æræ Christianæ. Et hoc *Antiochenorum* quoque computum fuit.

Sed & *Civilis* est Æra Græcorum, qua usi sunt Imperatores Græci, præcipuè ab Heraclii temporibus, hinc Constantinopolitani, Moschovitæ, Georgiani, Bulgari, &c. & Græci recent., sed & Chronic. Alexand. Atque hæc Æra Constantinopolitana ad annos Æræ Historicæ addit annos alios VIII. ad annos Æræ Christ. Vulg. & Antiochenæ annos alios XVI. De cujus additionis causâ adi præcipuè Petav. ad Uranolog, *L*. VIII. C. III. Hinc secundùm eos Christus natus est A. Mundi *quinquies* M. *quingentesimo* & *octavo* absoluto, & sic Æra Nativ. incipit cum A.M. 5509. Et quidem à K. Sept. unde initium *Indictionum*.

IV. *De vario & instabili Josephi Calculo.*

Josephum Α'ρχαιολόγον quod attinet, obser-

vandum est, differre eundem in hoc annorum computo à Codd. Græcis, ac sæpe à se ipso. I. Quod Græci de annis *Methusalæ*, antè παιδοποιΐαν, detrahant annos xx. addant autem *Lamecho* gignenti annos VI. Josepho contrà in hoc secuto Hebræos Codd. ex Tabulâ inferiùs subjunctâ, ad *pag.* 136. 2. Quod *Ant. L.* I. *C.* IV. non constet sibi Josephus in epilogismo annorum ab Adamo ad Diluvium 2656. & in ætate datâ singulis γενεαῖς, quæ tot annos non conficiunt. 3. Quod *Cainanem* nullum inserat Josephus inter Arphaxad, & Sale, uti nec Eusebius, &c. ex Tabulâ. 4. Quod idem *Lib.* I. *Ant. C.* VII. Abrahamum natum referat Anno post Diluvium CCXCII. δευτέρῳ ἔτει καὶ ἐνενηκοστῷ πρὸς διακοσίοις, hactenùs consentiens cum Hebraico calculo; nisi tamen hi in Josepho numeri ab alio ad Hebraicam veritatem exacti dicantur. Nam ex annis παιδοποιΐας recensitis Josepho, ab Arphaxado ad Therachum, exurgunt anni DCCCLXXXIII. 5. Ita *Ant. Lib.* VIII. *C.* II. statuit intervallum ab Adamo ad structuram Templi annos 3102. quod nec cum rationibus aliis Josephi consentit. Nam *Lib.* X. *Ant.* C. XI. numerat annos ab O. C. ad conflagrationem Templi, 3513. *Mens.* VI. d. X. Detrahe ex 3513. annos, quibus Templum stetit, secundùm eundem Josephum, 470. remanent ab O. C. ad structuram Templi anni 3043. Rursùs in ipsâ Præfatione impingens, ait se Historiam scribere annor. 5000. scil. usque ad XII. Neronis; Ità Mosem tradit antè se natum annis *bis mille*, &c. A. Mundi 3000. Sixtus Senensis *Bibl. L.* V. *Annot.* LXVIII. Josephum ab O.C. ad Christum numerare annos 4103. Petavius instituto ex Josepho calculo, annos 4162. Nuperus Script *Ant. T.* calc. Jos. longè prorogat. IV. *De*

V. *De duratione Temporis, secundùm Æram Judaicam.*

In annorum calculo ſupputando qui fluxerint ab *O. Cond.* ad *Æram Chriſti* vulgarem, in diverſiſſima abeunt etiam illi, qui *Hebraicorum Codd.* fidem anteponunt.

Omnium verò maximè deficiunt *Judæi*, quorum *Æra* לבריאת עולם *à Creatione Mundi*, præceſſit demùm Æram Dionyſianam Annis 3761. ut 1. annus Æræ Judaicæ incidat in annum Per. Jul. 953. Cyclo *Solis* 1. *Lunæ* autem 3. *Ind.* 8. Atque ita deficit ſecundùm calculum Dionyſii Exigui, Joſ. Scaligeri, & qui hunc ſequuntur, totis annis 189. quos ſi addas ad Annos Judaicos, fiunt Anni à Creat. M. 3950. quando incipit Annus 1. Æræ Dionyſianæ. Ratio hujus deficientis calculi, in *Æra Judaicâ*, quam concinnavit R. Hillel Naſi, antè annos plus M CCC. quando miſſis Annis *Æra Contractuum*, hanc Æram ab O.C. fixerunt, non una fuit; Primò ut contraherent annos qui præceſſerunt Meſſiæ noſtri adventum, hinc ſuis perſuaderent, nondùm adveniſſe tùm Seculum Meſſiæ: Deindè, ignorantia Hiſtoriæ Exoticæ, quâ factum ut annos Monarchiæ *Perſicæ*, mirè contrahant, ac decurtent totos annos 150. & ampliùs, aſſignandos iſti Æræ. Ita in *putandis* annis *Pontificum* & *Maccabæorum*, ad Herodem uſque, ac conferendis cum Æris Exoticis, uti Nabonaſſareâ, Græcorum ſive Seleucidarum, oſcitantiam iidem atque imperitiam prodiderunt. Quod verò contendunt præterea Viri Docti, Ju-

Judæos ultrò & spontè contraxisse annos *Patriarcharum* antè & post Diluvium, Textu Hebraico improbâ manu violato, sive factum à R. *Akibâ* fuerit, sive ab hujus Discipulo *Aquilâ* Pontico, sive à *Bar-Chochabâ*, sive ab aliis, uti precarium est, inanibus conjecturis nixum, itâ falsi arguerunt Viri Magni. Quæcunque tandem sit origo additionum, in Versione vulgò τῶν LXX. Hinc & doctiores Magistrorum, qualis Majemonides, producunt omninò annos qui fluxerint ab O. C. ad Æram Christianam, ultrà annum *quater-millesimum*.

Porrò de hoc Calendario Judaico observandum: 1. Accuratissimam sanè, in describendis *annis* & *mensibus*, & in ratione omni *intercalationum*, habitam à Judæis esse rationem Syzygiarum Lunarium, & conciliationis motûs *Lunaris* cum *Solari*; in quâ defecisse Periodum Calippicam, juxtà quam singulis IV. Cyclis Lunaribus, seu annis LXXVI. Luna à Sole superaretur horis V, & pluribus minutis, ex Tabulis Lunæ-solaribus, à Præstantissimis Chronologis demonstratum est. Hinc & Paschales rationes Judæorum accuratissimæ, quæ Christianis facem præferant, ut pridem Scaliger, & alii.

2. Exprimere solere in suis computis, nonnisi annos לפרט קטן *Æræ minoris*, seu supputationem minorem, omissio *millenario*, vel *millenariis* qui excedunt, brevitatis causâ, addito tamen omissionis signo, qui adeò sint addendi, ad annos à Judæis notatos. Sic *quatuor millenarii* semper sunt supplendi, indè ab Anno Æræ Christi Vulgaris 240. quando incipit annus Judaicus 4001.

3. In-

3. Inchoari annos in Calendario Judaico, ab *Autumno*, seu *Kal. Tisri*, ut primus annus ejus Æræ inceperit à VII. *Octobris*, undè in conciliatione cum Annis Æræ Christianæ, qui incipiunt à *Kal. Jan.* habenda ratio hujus diversi initii.

4. Facile esse, dato anno aliquo *Judaico*, puta anno *Excidii* Urbis & Templi, quem notant 828. suprà *ter millesimum* nempè, reperire quis fuerit annus Æræ *Christianæ*. Abjiciendo videlicet eos annos qui secundùm calculum Judaicum præcesserunt Æram Christ. Vulgarem, scil. 3761. remanent ex annis 3828. anni 67. & ità indicatur annus Æræ Christianæ, concurrens cum notato anno Judaico. Vicissim, dato anno Æræ *Christianæ*, puta hoc ipso 1688. adde annos Judaicos qui illam præcesserunt, scil. 3761. & habebis annum Æræ *Judaicæ*, 5449. De quibus adeundi Munsterus, Scaliger, Calvisius, Seldenus, Nic. Mulerius, Buxtorfius, id genus alii.

VI. *De Periodo Julianâ, seu Communi Mensurâ, ad quam discrepantes sententiæ de Origine Mundi, & duratione Temporum, referri debent.*

Ut clariùs constet, quantum à se invicem discedant Chronologi Hebraizantes, circà Æram *Mundi Conditi*, seu tempus à Mundi exordio elapsum, præmittenda est communis mensura Temporum, scil. *Periodus Juliana*, ad quam discrepantes sententiæ omnes exigi, atque

atque inter ſeſe conferri commodiſſimè poſſunt. Sed & menſuram ad eandem collatio opportuna jucundaque *Epocharum* omnium, quæcunque fuerint, inſtituitur, ut quid ab *O.Cond.* quid ab *Æra Chriſtianâ* diſtent, quid à *ſe invicem*, uno obtutu cognoſcatur.

Eſt igitur ea Periodus tempus *prolepticum*, ſeu *poſtulatitium* quod longè anticipat omnes Æras, etiam illam Mundi Conditi, ſeu jam Joſepho Scaligero primo inventore, ſeu prælucentibus pridem aliis, ut de *Roberto Hereferdienſi* Uſſerius, qui claruit Seculo XI. Ratio nominis *Periodi Julianæ* eſt, quod conſtet ex annis meris *Julianis*, quorum exordium ſemper à Kal. *Januarii* Julianis, dùm Epochis variis initium aut *verno*, aut *æſtivo*, aut *autumnali* tempore. Ratio rei eſt, quod ſit *Periodus* ſeu Syſtema annorum 7980. quo demùm ſpatio exacto redit eadem *συζυγία* trium Cyclorum, *Solis*, *Lunæ*, *Indictionum*, quales perpetuâ annorum ſucceſſione notati in Eccleſiæ Faſtis, & de quibus, eorumque uſu, Introductio ad Chronologiam S. Ex. gr. annus habens 1688. habet Cyclum ſolis 17. Lunæ 17. Introductionem 11. Sic annus Æræ Chriſtianæ Vulg. incipit cum Cyclo Solis 10. Lunæ 2. Indict. 4. Qui tres Cycli ità conjuncti, in nullo alio anno concurrent, niſi poſt annos 7980. Ut ità quilibet annus totâ hac Periodo propriis ſuis Cyclis gaudeat, & ex datis Cyclis tribus, quocunque anno, inveniri poſſit annus Periodi Julianæ, in quem conveniunt. Et hinc Periodi hujus initium eſt, in quo concurrit trium Cyclorum *unitas*, ſeu cujus annus primus habet Cyclum ſolis 1. Lunæ 1. Indictionem 1.

Exur-

Exurgit porrò hæc Periodus *Juliana* annorum 7980. hunc in modum. Præiverat nempè Dionysius Exiguus, Abbas Romanus tempore Justiniani, constitutâ Periodo, quæ ab ipso dicitur *Dionysiana*, & quæ spatium est annorum 532. qui numerus exurgit ex ductione 28. quibus absolvitur Cyclus solis, in 19. quibus Cyclus Lunæ. Atque ità eo spatio annorum 532. exacto, redeunt præcisè iidem Cycli Solis & Lunæ; seu non nisi semel, totâ eâ Periodo, contingere potest eorundem Cyclorum Syndrome. Jam productum eum numerum annorum 532. ex duobus istis Cyclis, si duxeris in 15. seu per 15. multiplicaveris, quibus absolvitur Cyclus tertius, Indictionis, oritur ex tribus Cyclis in seductis numerus ille annorum 7980. quo absolvitur Periodus Magna seu Juliana, hunc in modum:

$$\begin{array}{r} 532 \\ 15 \\ \hline 2660 \\ 532 \\ \hline 7980 \end{array}$$

Rursùs observabunt qui in his ponunt tyrociniâ. 1. Ex sententiâ Dionysii Exigui, intellectâ quoque ex Sigeberto initio Chronologiæ suæ, *Mundum* conditum esse anno Periodi Julianæ 764. & quidem in *Octobri*, quæ & hypothesis Scaligeriana est. 2. *Æram Christianam* Vulgarem incipere cum anno Periodi Jul. 4714. qui calculus fuit Dionysii, quanquàm peccans, ex collatione Olympiadum, & Epocharum aliarum

rum. Atque adeò, ut quocunque anno dato à *Mundo Cond.* v. gr. 1656. qui fuit annus immissi *Diluvii*, habeas annum Periodi Jul. addendi sunt anni 763. completi, & sic Diluvium juxtà Dionysium incidit in A. Periodi Jul. 2419. quæ & supputatio Jos. Scaligeri *Lib.* v. de Emend. Temp. Rursùs, quocunque anno dato *Æra Christianæ* Vulg. ex. gr. hoc ipso

currente - - - - - - - - -	1688
adde annos Periodi Jul. qui Æram Christianam præcesserunt, nempè -	4713
fiet annus currens Periodi Julianæ,	6401

Pari ratione, quocunque anno dato *Period. Jul.* cognosces quis sit annus à *Mundo Cond.* vel à *Christo nato.* Prius, si detraxeris annos 763. residuus numerus notabit annum Mundi; Posterius etiam cognosces, si dempseris annos 4713. tùm residuus numerus notabit annum Æræ Natalitiæ.

Unde intelligitur, quâ ratione hæc Periodus Juliana sit *Communis mensura* ad quam omnes Epochæ, inde à *Creationis* illâ, referri atque inter sese conferri possint. Quod sequentia Schemata ostendent.

VII. *De variâ duratione Temporis, secundùm Chronologos Hebraizantes, comparatâ ad Period. Julian.*

Quantum igitur ad *Christianos* alicujus notæ Chronologos, quotquot adhærent Textui Hebraico ut authentico, minùs certè suspecto corruptionis, hi in putandis annis ab Orbe Cond. ad Æram Natalitiam, seu in assignandis primis Mundi Originibus, haud multo longio-

giore quàm c. annorum intervallo, Genebrardum & pauciſſimos ſi exceperis, à ſe invicem diſcedunt. Nempè ſuprà annos à Creatione M. ad Æram Vulgarem *ter mille & noningentos* addunt alii plures, pauciores alii; pauciſſimi infrà 3900. ſubſtiterunt, niſi Bened. Ariam inter eos objicias, & raros alios. Quod ut clariùs conſtet, ac diſcrepantes eæ ſententiæ de Mundi exordio conferri inter ſe quàm appoſitiſſimè poſſint, utemur hîc *Periodi Julianæ*, modò indicatæ, beneficio. Nam conſenſus ferè in eo eſt, *Æram* Chriſti receptam ducere exordium à Per. Jul. anno 4714. Undè qui propiùs, qui longiùs abſint ab exordio *Per. Jul.* ſeu temporis poſtulatitii, in aſſignandis Mundo natalibus, proclive erit cognoſcere; Nempè detrahendo de annis *Per. Jul.* 4713. (qui præceſſerunt annum Chriſti vulgò natalem) eos annos quos ab O. Cond. numerant, & reſiduus numerus oſtendet A. *Per. Jul.* quo Mundus juxtà eos cœpit. Et ex dato anno *Per. Jul.* de Cyclo *Solis* & *Lunæ*, deque *Indictione*, facile judicium eſt, juxtà regulas à Scaligero, & Chronologis datas.

Igitur exempli gratiâ, ſuprà annos à Creat. M. 3900. addunt *Beroaldus*, *Broughtonus*, *David Pareus*, annos nonniſi 28. ut ità Chriſtus natus ſit A. Mundi 3928. Quos ſi detraxeris de 4713. conditus eſt Mundus, juxtà horum ſententiam anno *Per. Jul.* - - - - 786

Ità *Hieronymus* in Quæſt. Hebraicis, putavit ad Chriſtum annos 3941. & ſic Æra Mundi componitur cum Anno *Per. Jul.* - - - - - - - - - - 772

Rob.

Rob. Baillius, in Opere Chronolog. colligit annos Mundi ad Christi Nat. 3945. & sic Æra Mundi componitur cum anno *Per. Jul.* - - - - - - - - - - - 768

Jos. Scaliger, *Helvicus*, *Calvisius*, *Ubbo Emmius*, *Nic. Mulerius* &c. & quotquot sequuntur τὸν πάνυ (cujus calculus convenit cum illo Dionysii Exigui, quem & confirmavit Sigebertus initio Chronici) antè Æram Vulg. numerant ab Orbe Cond. annos 3949. Et sic Mundus Cond. anno *Per. Jul.* - - - - 764

Beda putat annos ad Christum natum 3952. & ità *Hermannus Contractus* in Chronico, addens, *juxtà Hebraicam veritatem*, aliique. Unde his annis detractis, ut suprà, de 4713 remanet Mundus Cond. A. *Per. Jul.* - - - - - - - - - - 761

Ph. Melanchthon numerat annos à Principio rerum, ad Æram Christ. 3961. undè juxtà eum conditus Mundus, Anno *Per. Jul.* - - - - - - - - - - 752

Henr. Wolfius, Tigurinus, *Phil. Lansbergius*, & si qui plures, habent epilogismum annorum ab O. Cond. ad Christum 3958. quibus adeò Mundi principium ducitur, ab anno *Per. Jul.* - - 755

Gerh. Mercator in Chronologiâ, putat ab Orbe Cond. ad eandem Æram, annos 3966. ut hinc Mundi Natalis inciderit in annum *Per. Jul.* - - - - - - - - 747

Henricus Buntingius, non incelebris in Germaniâ Chronographus, anticipat an-

ro

no uno, putans annos 3967. ad Christum natum ; hinc annus Mundi Cond. fuit A. *Periodi Jul.* - - - - - - - 746

Abr. Bucholzerus in Indice suo Chronolog. putat annos ad Æram Christi 3970. completos, & sic Mundi origo fuerit anno *Per. Jul.* - - - - - - 743

Theod. Bibliander, in supputatione temporum, numerat ab O. Cond. ad Æram Natalitiam, annos 3979. & sic Mundi origo anno *Per. Jul.* - - - - - - - 734

Dion. Petavius, Vir in his literis plurimus ac perpetuò oppositus Scaligero, numerat annos à conditu Orbis ad Christum 3983. Statuitque Mundum Cond. XXVI. Oct. anno *Per. Jul.* - - - - 730

Henr. Harvillaus, & *Jac. Capellus*, insignes Chronographi in ordine utroque, & cum his alii, putant ab O.C. ad Christi Natalem annos 4000. Undè Conditus illis Mundus est & quidem verno tempore, anno *P. Jul.* - - - - - 714

Jac. Usserius, Vir nunquàm satis laudandus, à quo non abludit sententia *Thomæ Lydiati*, sed neque noster calculus, ex Canonibus infrà positis, putavit ab O. C. ad Æram Dionysianam seu Vulgarem, annos 4004. Et sic Creatio, quam in *Octobri* figit Usserius incidit illi in annum *P. Jul.* - - - - - - 710

August. Torniellus, *Jac. Salianus*, *Henr. Spondanus*, *Phil. Labbeus*, & si qui alii, longiùs abeunt, figentes Æram

Nati-

Nativit. in annum Mundi 4051. vel 4053. aut 4054. ità enim inter ſeſe diſcrepant. Quo ipſo Mundus illis jam creatus cenſetur anno *Periodi Jul.* - - - - 662
Vel, - - - - - - - - - - - 660
Vel - - - - - - - - - - 659

Gilb. Genebrardus denique (nec plures conferre operæ pretium eſt, dùm hîc ſententias *præcipuas* enumeramus de annis Mundi, ad Æram Chriſtianam applicatis) ſtatuit Chriſtum natum A. M. 4089. mox inchoando A. 4090. Quo fit ut creationem Mundi conjecerit in annum *Per. Jul.* - - - - - - - - - - - 623

Si jam in hujus diſcrepantiæ cauſas inquiſiveris, aliæ quidem ſunt *Aſtronomicæ*, *Hiſtoricæ* aliæ. Priores, ex. gr. à vario quem ſibi fingunt ſitu *Apogei* ſolis, initio rerum, ejuſque dein variatione vel progreſſu, cum Anomaliis, ac comparatione cum Apogei ſitu Seculo *Hipparchi*, id eſt *Per. Jul.* circiter A. 4557. quâ de re Petavius, & alii. Ità ex rationibus Aſtronomicis Alfonſus putavit ab Adamo ad Diluvium, Annos 3882. d. 167. ab Adamo verò ad Chriſtum Salvatorem, Annos 6984. d. 221. ut ex Tabulis Alfonſinis intelligitur. Ità nec Alfonſi, nec Copernici, nec Tychonis, nec Gerh. Mercatoris, nec Henr. Buntingii, nec Joſ. Scaligeri, nec Phil. Lansbergii, nec Dion. Petavii, nec Sethi Calviſii &c. rationes Lunæ-Solares, aut æquationes Motuum cœleſtium, aut Eclipſeôn applicatio ad has & illas Epochas, ſemper conveniunt. Quorum nonnulla ut fori noſtri non ſunt, ità ex iiſdem, aut ex

Nic.

Nic. Mulerio, Viro in his literis Præſtantiſſ. Reinholdo Frankenbergero, Scalegerianæ Chronologiæ fundamenta cum aliis conferente, id genus Auctoribus, à rerum harum ſtudioſis, repetantur.

Hiſtoricæ cauſæ diverſiſſimæ hujus ſupputationis Annorum Mundi, in iis etiam qui de annis Patriarcharum conveniunt, juxta Hebræos, præcipuæ fuerint. 1. Variæ *annorum Civilium formæ*, uti Anni Ægyptiaci, olim vagi, poſteà apud Alexandrinos fixi, Nabonaſſarei item, Græci, Romani, Arabici Lunaris &c. Ità varium annorum *Principium*, his verno, illis æſtivo, plurimis autumnali, Romanis, ut & Bœotiis, brumali menſe inchoantibus; apud alios vago anni principio, qui intercalares annos neſciverunt. Hinc connexio annorum ſæpè dubia. 2. Diſcrepantes ſententiæ, v. gr. circà annum *nativitatis Abrahami*, quam multi referunt ad annum Patris 70. circà annos *habitationis in Ægypto*, quos producunt magnoperè Ger. Voſſius, Genebrardus, alii; circà annos *Sabbaticos*, quis eorum primus fuerit, vel *Jubilæos*, an hi 49. an verò 50. annis ſolidis definiendi &c. 3. Diſcrepantiæ in annis *Judicum* ſupputandis, ob intermixtos annos Servitutum; & difficultatem loci *Act.* XIII. 20. Ita etiam in conſtituendâ Epochâ *fundati Templi* Salomonici, ex loco 1 *Reg.* VI. 1. variè accepto, & lecto. 4. Dubii anni *Regum*, à diſtractione Regni, ad ultimum Zedekiæ; In quibus difficultates non paucæ, ſeu ex collatione annorum qui tribuuntur Regibus *Judæ*, & *Iſraëlis*; ſeu ex variis ἐναντιοφανείαις in libris Regum, & Chronico-

rum; seu ex dubiâ collatione Chronologiæ Sacræ cum rebus *Græcorum*, *Medorum*, *Assyriorum*, *Chaldæorum*, & cum annis *Olympiadicis*, *Urbis Cond.* *Nabonassareis*, qui eo intervallo fluxerunt. 5. Dubii termini Epochæ *annorum* LXX. Captivitatis Babylonicæ, undè hi inchoentur, ubi finiantur? Hinc dubia Combinatio cum annis Æræ *Nabonassari*, & *Cyri* Regis. 6. Variantes sententiæ de expressis in Scripturâ S. *Belsasare*, *Dario Medo*, *primo* anno *Cyri*, *Dario* altero, sub quo Templum reædificatum, *Artaxerxe*, de quo Esdras & Nehemias. 7. Præterquàm quod in annis *Monarchiæ Persicæ* itum in diversissima, quam alii nimis contraxerunt, ad L. vel LXX. vel CVII. vel CXXX. annos &c. alii protenderunt nimis ultrà annos CCL. quod facit Isaacus Vossius, vir magnus, sed singulari calculo: Utrique ut suis hypothesibus accommodarent, à Canone Ptolemaico, & ab Epilogismo Canonis Nabonassarei, & accuratissimorum quorumcunque sententiâ Chronologorum, nimiùm recedentes. 8. Difficultates non paucæ circà LXX. *hebdomadas* Danielis, undè præcisè inchoandæ, seu à quo Edicto, vel à quo *Exitu Verbi*; ubi terminandæ, an in desolatione Templi per Antiochum, ut Marshamus; an in excidio Christi Servatoris, ut plerique; an in excidio Urbis per Romanos, ut Scaliger, & sequaces? 9. Difficultates aliæ quæ occurrunt apud Chronologos, circà annos *Alexandri M.* & *Philippi*; circà initium Æræ *Græcorum*, vel *Contractuum*; circà initium *Ptolomæorum*; circà seriem & Successionem *Pontificum* Hebræorum; circà annos *Junii Cæsaris*, tùm *Augusti*; tandem circà annos

nos regni *Herodiani*: De quibus fusè Petavius, *Tomo* II. etiam Parens noster Dubior. Evangelicorum *Parte* II. ut mittam alios; & nos paucis infrà. 10. Hinc dubia omnium inter se collatio, & applicatio *Æra Christiana* ad præfatas Epochas, speciatim ad nobiliores illas *Olympiadum*, *Urbis Cond. Nabonassari*; nequidem hìc consentiente connexione *Eusebianâ*, cum illâ *Dionysii Exigui*. Ac plurimæ harum difficultatum planiùs elucescent, ex Canone singularum *Epocharum*.

VIII. *Collatio Nobiliorum Epocharum, tam Scripturæ S. quàm plerarumque Gentium, ad Periodum Julianam.*

Magnam lucem adfert Chronologiæ atque Historiæ Sacræ, cognoscere nobiliores *Epochas*, easque cùm inter se comparare, tùm cum annis *Mundi Conditi*, vel *Christi* nati. Quod ut fiat, recurrendum ad *Periodum Julianam* ut communem mensuram, in cujus anno 4714. figitur principium Æræ Christi Dionysianæ, Rursùs, in quo ejusdem Periodi Jul. anno figant Chronologi principium *Creationis*, diversimodè utique, visum est Capite superiore, collatis Sententiis, atque ad eam Periodum exactis. Nec omnes jam Epochas enarramus, sed præcipuas], collatas eodem modo ad *P. Jul.* idque juxtà hypotheses Scaligeri & Petavii, quas modò in *exemplum* assumimus, non in normam veritatis, aut in consensum cum *Canone* nostro, infrà posito. Porrò in singulis *Epochis*, post illam O. Cond. ex anno *Per. Jul.*

facile est cognoscere annum *Mundi*, juxtà utriusque hypothesim; detractis iis annis *P. Jul.* quos singuli præmittunt Creationi.

	Juxtà Scalig.	*Petav.*
1. Æra *Mundi Conditi*, cujus caput ab Autumno est, seu ab Octobri præcedente *Kal. Januar.* quæ initium anni Jul. ut ex superiori Diagrammate liquet, - - - *Periodi Jul.*	764.	730.
2. Æra *Diluvii Universalis*, immissi juxtà Hebræos Codd. anno Mundi 1656. *absoluto*, juxtà Scaligerum, *ineunte* verò juxtà Petavium, id est anno - - - - - - P. J.	2420.	2386.
3. Æra *Vocationis Abrahami*, secundæ nempè, anno ætatis LXXV. impleto, XXV. annis antè natum Isaacum, ex hypothesi natum Abrahamum Tharæ *Patris* anno LXX. quæ sententia utriusque Chronologi; anno - - - P. J.	2787.	2753.
4. Æra *Exodi* Hebræorum ex Ægypto, annis post Vocationem Abrah. 430. ut pluribus infrà in Canone Chronologico; anno - - - P. J.	3217.	3183.
5. Æra primi *anni Sabbathici*, id est septimi ἀπὸ τῆς κληρουχίας, sive γεωργίας potiùs factæ in Autumno, qui juxtà Scaligerum fuit XIV. ab ingressu, juxtà Petavium nonnisi		

XIII.

	Juxtà Scalig.	Petav.
XIII. anno - - - - - P. J.		
6. Æra conditi seu fundati *Templi Salomonici*, annis ab Exodo juxtà Scaligerum, 480. juxtà Petavium annis demum ab ingressu in Palæstinam, 480. mense *secundo* verno, anno - - - - - P. J.	3269. / 3697.	3234. / 3702.
7. Æra *Olympiadum* Iphitæarum, seu *primi* anni Iphiti Elidensium Regis, instauratoris Ludorum ac *Tetraëteridum*; quæ Æra est mensura temporis *Historici* Græcorum; & cum quâ Eusebius diligenter confert annos antè & post *Christum natum*; Sed ità ut conjiciat Eusebius Natalem in annum III. Olymp. CXCIV. seu Iphitæum inchoatum 775. Dionysius Exig. in annum IV. Olymp. CXCIV. seu Iphitæum 776. Unde fit, ut ad annos *Eusebianos* addendus sit annus I. quo habeatur ratio temporum *Dionysiana*. Igitur incepit Æra Olymp. à *solstitio* æstivo, Hecatombæone mense, & quidem summo consensu Chronologorum, tam Scaligeri, quàm Petavii, ut & Lucidi, Buntingii, Mulerii, Christmanni, Calvisii, Usserii &c. anno - - - P. J.	3938.	3938.
8. Æra *Urbis Conditæ* Var-		

 roniana,

	Juxtà Scalig.	*Petav.*
roniana, seu Palilia Urbis prima, sacra scil. Pali deæ, Pastorali festo, (anno uno antevertens Æram V. C. vulgò Catonianam, sed invito Petavio, aliàs Fastorum Capitolinorum) incidens in annum III. Olymp. VI. *Aprili* Mense, ut ex Chronologis nostra Introd. ad Chronol. S. Sibi autem non constare Scaligerum censet Petavius, & modò conjicere in annum III. modò in annum IV. Olymp. VI. anno - P. J.	3961.	3961.
9. Æra *Nobonassari* Ναϐοναζάρου, fundatoris Babylonici Regni, & ab Assyriorum illo distincti, Ptolemæo & Astronomis appositissima visa, ad calculos motuum Cœlestium; incipiens à Neomeniâ mensis *Thoth*, quæ tum incidit in nostrum *Februarium*, ac currens per annos *æquales*; in Canone Mathematico Ptolemæi perducta ad obitum Alexandri M. quando in Ægypto finis fuit Æræ Nabonass. cœpitque Æra Alexandrea Ægyptiaca, quæ & Philippi: Et ad Nabonassari istam (de quâ nos pluribus *Introd. ad Chronol. S.*) quàm tutissimè exiguntur anni LXX. *Captivitatis* terminandi in I. Cyri, res item Babyloniorum, Per-	3962.	

farum,

	Juxtà Scalig.	*Petav.*
sarum, Græcorum quoque, & Romanorum; undè eam ad sua tempora perducunt Ptolemæus, & Censorinus: Cœpit anno - - - P. J.	3967.	3967.
10 Æra *Monarchiæ Persicæ*, scil. putata Petavio à 1 anno Imperii Babylonici *Cyri* Regis, post victum Nabonadium, annis solidis VII. ut alii, Petavio autem annis IX. antè Cyri excessum; Ast Scaligero, ducenti exordium ab eo anno quo Cyrus totâ Asiâ potitus est, *biennio* demùm antè obitum Cyri: Undè 1. annum *Cyri*, & solutæ *Captivitatis*, secundùm Scripturas S. componunt diversimodè Scaliger & Petavius, cum anno - - - P. J.	4182.	4176.
11. Æra *Coss. Romanorum*, sive *Regifugii*, cujus initium alii conjiciunt in annum V. C. 244. plerique cum Petavio, in annum V. C. 245. annis ante Æram Vulg. 508. Scaligeri inconstantiam accusante rursùs eodem Petavio; Et sic incidit in annum - - P. J.	4204.	4206.
12. Æra LXX. *Septimanarum*, Danielis, seu annorum 490. quæ quibus laboret difficultatibus diximus aliàs, *Introd.* prioris *Historicæ Tom.* 1. *p.* 77. &c. Et hæc, missis jam Sen-		

	Juxtà Scalig.	*Petav.*
tentiis aliorum, & collatis tantum iis Scaligeri & Petavii, quorum ille inchoat longè seriùs, nempè ab Anno 11. Darii Nothi; iste verò ab Anno xx. Artaxerxis Longimani, quo prodiit ultimum & peremptorium Edictum; ille terminaturus in Excidio Urbis & Templi, per Titum, hic veriùs in excidio Messiæ per Judæos, *mediâ* LXX. *septimanâ*; Atque ità diversimodè Æræ hujus initium, ab anno - P. J.	4291.	4259.
13. Æra *Imperii Macedonum* Asiatici, seu Monarchiæ *Alexandri M.* indè à victoriâ ad Arbela, & undè incepit *Periodus Calippica*, ex IV. Cyclis decem-novennalibus; Sed ità ut Imperium Asiaticum Alexandri incipiat ab Autumno *Kal. Oct.* Boëdromione mense; Periodus Calippi à sequente *Solstitio æstivo*, VII. annis antè obitum Alexandri; Porrò eodem anno quo incepit Monarchia Macedonica, etiam condita Alexandria fuit; Constituunt in anno - - - P. J.	4383.	4383.
14. Æra *Philippi* Macedonica, (quam Arabes, & Scaliger à Philippo Patre Alex. M. derivant, Petavius & alii veriùs, à Philippo Aridæo A-		

lexan-

	Juxtà Scalig.	Petav.
lexandri fratre, cui delatum ab exercitu Imperium, post excessum Alexandri) seu Æra *Mortis Alexandri*, undè primordia Aridæi; undè etiam numerantur anni XL. Ptolomæi Lagidæ in Ægypto; incipiens à *Thoth* mense, ac currens per annos Ægyptiacos, seu æquabiles, cum annis Nabonassareis; familiaris eadem Æra Ptolemæo, Censorino, Eusebio &c. Incidit in annum - - P. J.	4390.	4390.
15 Æra *Contractuum*, ab ejus usu in Instrumentis publicis à Judæis sic appellata, מנין שטרות *numeratio Contractuum*, vel *Dominatûs*, ut alii, sub dominatu Macedonico; Aliàs Æra *Seleucidarum*, *Antiochena*, vel *Syro-Macedonum*, à Seleuco Nicanore, conditore Imperii Asiatici vel Syro-Macedonici; etiam Æra vel Anni *Alexandrei*, Arabibus hinc Æra ذو القرنين *Διxέρατος* *Bicornis* scil. Alexandri, (an fortè à quo omnia fuissent belli infortunia, quomodò infortunium hominis vocant Arabes, hominem *habentem duo cornua*, seu cornibus petentem, aliàs نطاح. undè نطاح homo *ax;ju*) communiter, *Cornigero* de Jove nati; Item, anni		

	Juxtà Scalig.	*Petav.*
Græcorum, ſive *Romanorum*, (nam Græci, etiam Syri, Arabibus dicti الروم ut pluribus Jac. Golius, Notis in Alferganum) qualiter in Libris Maccabæorum, & apud Joſephum: Incipiunt annis XII. à morte Alexandri M. ſed non uno eorum principio; Dùm nempè, *Liber* I. Maccabæorum orditur eos annos à menſe *Niſan*, ſex menſibus antequàm ordiantur Syri, qui à *Kal. Octobr.* ſequentibus, quomodò & *Liber* II. Maccab. à menſe *Tiſri*, hinc quandoque hujus calculus anno I. minor: Ac conſentiunt hac parte Scaliger in poſteriori Edit. & Petavius *Lib.* X. de Doctr. Temp. C. XLIII. orſus uterque hanc Æram ab anno - - - - - - - - - - P. J.	4402.	4402.
16. Æra *Maccabæorum*, ſeu Pontificatûs *Judæ Maccabæi*, tertii è Mattathiæ filiis, mox à morte Patris belli Ducis, dein in ſummum Pontificem electi, poſt repurgatum Templum anno CXLVIII. Græcorum, die XXV. menſis Caſleu, 'qui dies *Encæniorum* Judæ Maccabæi, I *Macc.* IV, 52. Anno - P. J.	4549.	4549.

Hinc anno ſequente; ſcil. Græcorum CXLIX. putatur ad Pontificatum evectus Judas,

quem

	Juxtà Scalig.	Petav.
quem *triennio* gessit, mortuus A. CLII. Græcorum; undè vitiosi sunt in Eusebii *Chronico* characteres: Pontifex adeò Judas, ab anno - - - - - P. J.	4550.	4550.
17 Æra *Antiochena*, quæ & *Hagarena* quandoque (ab ejus inter Arabes usu, antè annos Hegiræ) & *Damascena*, & χειμαλισμὸς magnæ Antiochiæ, celeberrima in Arabum scriptis, memorata Eusebio, ac sæpiùs Euagrio, Auctori Chronici Alexandrini, Cedreno &c. ac Nummis quoque nobilissimis expressa: Nempè ducendo ejus initio ab anno 1. Monarchiæ seu Dictaturæ Julianæ, mox à Pharsalicâ victoriâ, ob concessam ei Urbi αὐτονομίας à Julio Cæsare; Undè hic quasi 1. annus Urbis Antiochenæ censitus est, à *Kal. Octobribus*, anno - - P. J.	4666.	4665.
18 Æra *Juliana*, nempè à reformatione Calendarii per Julium Cæsarem, undè procedunt anni *Juliani*; quos antecessit annus *Confusionis*, qui fuit mensium xv. idemque annus *Restitutionis*, incidens in III. Cæsaris Consulatum, juxtà Censorinum, & Annum U. C. DCCVIII. Undè primus annus Julianus ducitur à IV. Julii		

 Con-

	Juxtà Scalig.	*Petav.*
Consulatu, *Kal. Jan.* annis totis antè Æram Christi Vulg. XLV. & magno utriusque Chronologi consensu, anno P. J.	4669.	4669.
19. Æra à *cæde Julii Cæsaris*, ob horrorem facinoris, & initium Octavianæ potentiæ, Scriptoribus notata; incidens in annum Julianum II. Consulatum ejusdem v. Eidib. Martiis, qui annus XLIV. ante Æram Christianam Vulg. - - - - - - P. J.	4670.	4670.
Ast *Triumviratûs* Æra incidit in annum seq. Coss. Hirtio & Pansâ, & undè plurimis initium Imperii Augustæi, anno Jul. III. - - - - P. J.	4671.	4671.
20. Æra *Herodis M.* sub cujus extrema Christus natus est, *Regis* Judæorum Romæ primùm à Senatu appellati, Antonii & Octavii favore, *Coss.* Cn. Domitio Calvino, & C. Asinio Pollione. Factum A. Juliano VI. Olymp. CLXXXV. A. I. inchoato, U. C. anno DCCXIV. id est *triennio* antè expugnatam Hierosolymam, antè Æram Christ. Vulg. annis XL. (quum tamen nonnisi XXXVII. annos putet Josephus, ad mortem Herodis) anno - - P. J.	4674.	4674.
21. Æra *Hispanica*, in quâ designandâ *Æra* vel *Era* ap-		

pel-

	Juxtà Scalig.	*Petav*
pellatio primùm est ab Hispanis usurpata, sed seriùs: Nec profectò à Judæis Hispanis nata, in honorem Herodis M. quem pro Messiâ habuissent, eundemque הגר *Hager* iis dictum, id est proselytum; unde *Hagera*, & extritâ literâ G. *Hara*; *Æra*, ut lusit suaviter vir Doctus Isaacus Vossius, eandem asserens originem vocis *Hegiræ*, *Heiræ* scil. à Muhammede הגר *hager*. Sed quæcumque tandem seu appellationis, seu institutionis causa fuerit, de quâ vix conveniet inter Eruditos, nobilissima ea *Æra* est in Ecclesiasticis monumentis, Hispanicis, Africanis, Actis Martyrum, &c. & passim apud Historicos; usu ejus demùm Seculo XIV. in Hispaniis abolito. Cœpit annis XXXVIII. antè Christi Natalem, à *Kal. Jan.* - - P. J.	4676.	4676.
22. Æra *Actiacæ Victoriæ* (qui & anni *Augustorum*, vel *Augustei Imperii*, à quibus nempè initium Monarchiæ Augusti Cæsaris) non uno modò confetur. Si enim putetur ab ipsâ victoriâ ad Actium, incidet in *Septembrem* anni P. Jul. 4683 U. Cond. 723. Sed verò constitutum ejus caput,		

	Juxtà Scalig.	Petav.
in annumsequentem, scil. ab expugnatâ Alexandriâ, & *Morte* Antonii ac Cleopatræ; & quidem à xxix. Augusti, seu Neomeniâ *Thoth*; Undè illius usus obtinuit apud Ægyptios, usque ad Æram Diocletiani, hinc *Æra nova Ægyptiorum* dicta, annis antè Æram Dionys. xxx. anno - P. J.	4684.	4684.
23. Nec confundenda Æra *Augustana*, seu annus 1. *Augustorum*, quando scilicet, Octaviano Imperii abdicationem urgenti, additum est, sententiâ Senatûs, nomen *Augusti*; Coss. Augusto vii. Agrippâ iii. anno iv. ab Actiacâ Victoriâ, antè Æram Vulg. xxvii. P. J.	4687.	4687.
24. Æra tandem Nativitatis CHRISTI, quæ *Dionysiana*, & *hodierna*, seu *Vulgaris* appellari consuevit: Quanquàm hanc ab illâ distinguat Petavius, *Dionysianam* scil. antecedere Incarnat. & Nativitatem; *Vulgarem*, quæ sit Bedæ, eandem proximè sequi. Et hinc procedunt Anni Christi, fixo capite in *Kalend. Jan.* secundùm computum Dionysii Exigui, à quo & Periodus DXXXII. annorum *Dionysiana* appellata est: Diversimodè quidem ad eam vi-		

di-

dimus applicari annos *Mundi Cond.* Laterculo superiori; sed ex Olympiadum charactere, cæterisque, magno consensu Chronologorum concurrens cum anno - - - P. J.	*Juxtà Scalig.* 4714.	*Petav.* 4714.

Quibus nunc hæc Æra defectibus laboret, quo *μεταχρονισμῷ*, seu *defectu*, vel applicata ad annos Augusti, & Herodis, & Tiberii annum xv. *Luc.* III. prolixè omnium instar Parens noster Differt. de Ærâ Christianâ.

Ut verò Connexionem *Æræ Dionysianæ* cum annis *Per. Jul.* modò signavimus, ità connexio ejusdem Æræ cum superioribus Epochis liquet, ex annis *Per. Jul.* Epochis singulis appositis. Ità ex gr. anno I. Olympiadico seu Iphitæo, qui incepit ab Æstate, appositus est suprà annus Per. Jul. 3938. Hos annos detrahe de 4714. quando incepit Æra Natalis Dionys. à Kalendis Januariis; Et supererunt antè hanc Æram anni Iphitæi 766. labente sic (quando Christus natus censetur) anno IV. Olympiadis CXCIV. Et ità in reliquis Epochis.

Pari ratione ex iisdem annis *Per. Jul.* ad singulas Æras notatis, constabit ad quem annum *Mundi Conditi* applicandæ sint Æræ singulæ, juxtà diversas sententias Chronologorum suprà expressas. Nempè detrahendo eos annos *Per. Jul.* qui Æram Creationis præcesserunt, ex sententiâ singulorum: Qui supererit numerus indicabit annum Mundi, quo hæc & illa Æra juxtà eos incepit.

Quia verò obscurissimæ sunt res Babyloni-

cæ & Assyriacæ, quæ connectuntur cum postremis Regum *Israëlis*, & *Judæ*, & cum tempore *Captivitatis Babylonicæ*, ac *Liberationis* ex eâdem, in fine LXX. annorum; placet subjicere Canonem Ptolemaicum à principio *Æra Nabonassarea*, de quâ suprà.

IX. *Canon Ptolemaicus qui & Astronomicus, seu Æra Nabonassarea, applicata ad Historiam S. & deducta ad finem Monarchiæ Pers. & mortem Alex. M. Cum Synchronismis Historiæ Exoticæ.*

Incipit Canon, ab anno *Nabonazari* Babyloniis imperantis - - - - 1.

Qui concurrit, ut ex superiori Diagrammate liquet, cum anno à *fundatione Templi* Salomonici, juxtà Petav. - - - 265.

Ab extincto Imperio *Assyriorum*, in *Sardanapalo*, per Arbacem Medum (juxtà Petavium, *Lib.* IX.) A. *Per. Jul.* 3838. anno 129.

Labente tùm anno *Olympiadico* seu Iphitæo - - - - 28.

Urbis Cond. putando à Kalendis Januariis, anno - - - - 7.

Jothami Regis Judæ, anno - - - 11.

Antè *Æram* Nativit. *Christi*, annis 747.

Anno *Periodi Jul.* - - 3967.

Babylonii & Assyrii Reges, secundùm Ptolemæum, Berosum, Megasthenem &c.	*Anni Regni singulorum.*	*Anni collecti Æræ Nabonass.*	*Synchronismi quidam, ex utrâque Historiâ.*
Ναβονάσσαρος, Ναβονάζαρος, *Nabonetzar*, *Nabonassar*, Babylonis conditor, idem fortè qui *Baladan*, pater Merodach-Baladan, 1 *Reg*. XX. 12. Aliàs *Belesis*, *Belessus*, *Beleusus* &c. Cœpisse cum extincto Assyriorum Imperio in *Sardanapalo*, per Arbacem Medum, Usserius, &c. contrà Petavium.	14.	14.	*Syracusæ* conditæ, imperante Nabonassaro, ab Archiâ Heraclidâ. *Jotham* Rex Judæ, cui mox successit *Achaz*. *Pekach*, *Phacee*, Rex Israëlis, sub quo III. Tribus deportatæ. *Tiglat-Pileser* Rex Assyriorum, multis Ninus Junior. *Romulus* Romanorum Rex.
Νάδιος, qui aliis *Nabi*.	2.	16.	*Sous*, *Sua*, *Soan*, *Sabacon*. Rex Ægypti & Æthiopum, 2 *Reg*. XVII. 4. aliis Μυκέρινος.
Κινζίρος καὶ Πῶρος. Ille etiam *Chozirus*, & *Chinzir*.	5.	21.	*Salmanassar* Rex Assyriorum; à quo dein *Samaria*

Reges Babylonior. & Assyrior.	*Anni singulorum.*	*Anni Collecti Æra Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
			maria obſeſſa, & capta, anno Æræ Nabonaſſ. 27. *Ezechiæ* Regis Judæ anno 6. *Hoſeæ* Regis Iſraëlis, anno 9.
Ἰυγαῖος, *Jugæus*, etiam *Ilul*, *Ilulæus*.	5.	26.	*Lydorum* Rex *Candaules* regnat, ultimus Heraclidarum, qui ab uxore & Gyge ſublatus eſt.
Μαρδοκεμπάδος, *Mardokempad*, *Merodach* in Sacris, *Merodac*, qui legatos ad Ezechiam miſit, 2 *Reg.* xx. Incipit ab anno Æræ Nab. 27. *Per. Jul.* 3993.	12.	38.	*Sennacherib* Aſſyriorum Rex, qui Aſiam, Ægyptum, Palæſtinam bello infeſtavit, Ezechiâ Rege; qui poſtremus jugum Aſſyriacum excuſſerat. Ad quæ Propheta Eſaias reſpexit.
			Midas Phrygiæ Rex, taurino ſanguine potato moritur. Romanorum Rex *Numa Pompilius*.

Deioces

Reges Babylonior. & Assyrior.	*Anni singulorum.*	*Anni Collecti Æra Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
Ἀρκιανὸς, *Arckan*, *Arcianus*,	5.	43.	*Deioces* primus Medorum Rex, juxtà Herodotum, qui ab Assyriis defecerunt, antè hunc αὐτονόμοι. Cui successit filius *Phraortes*, post regnum annorum 53. Phraorti *Cyaxares*, pater *Astyagis*.
Ἀβασιλεύτου πρώτου, seu *Interregni* 1.	2.	45.	Hîc interserit Petavius *Nabuchodonosorem* Assyriæ Regem, ex *Judith*. 1. Anno Nab. 47.
Βήλιβος, qui & *Belithus*, *Belith*.	3.	48.	*Manasses* Rex Judæ, ab An. *Per. Jul.* 4016. Æræ Nobanass. 49. regnavit Annos 55.
Ἀσπερανάδιος, Ἀπρωνάδιος, *Aporonad*.	6.	54.	Hoc intervallo constituunt Historias *Tobiæ*, & *Judith*. Ac Petavius, ut ipse fatetur, multa de suo conjectat,

Reges Babylonior. & Assyriorum.	Anni singulorum.	Anni collecti Æræ Nabonass.	Synchronismi quidam.
			jectat, quo locum faciat Historiis istis Apocryphis:
Ῥιγήβαλος Regen-belus, Rigebelus, Erigebal.	1.	55.	Nempè, *Nabuchodonosorem Assyrium* in Manassis incidisse tempora; expeditionem *Holophernis*, in illud quo Manasses Babylone vinctus, anno Nobonass. 58. &c.
Μεσεσιμορδάκος, *Mesessimordac*, al. *Noësnc-mordac*.	4.	59.	Δωδεκαρχία abolita; status popularis Athenjensium; *Creon* primus *Archon* annuus, ab anno 111. Olymp. XXIII. Nobonass. 62.
Ἀβασιλεύτου δεύτερον, seu *Interregni* II.	8.	67.	
Ἀσαράδινος, *Assar-adinus*, *Assar-haddon*, *Esar-haddon*, *Iera-edden*, *Iearjedinus*. Hic conjunxit utrumque regnum,	13.	80.	Sub hoc veriùs *Coloniæ* Cuthæorum Samariam deductæ. Et *Manasses* Babylonem abductus. *Psammitichus* ab anno Nabon. 77.

Reges Babylonior. & Assyrior.	*Anni singulorum.*	*Anni Collecti Æræ Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
Babylone & *Nino* potitus; de eo *Esdr.* IV. 2.			77. Rex Ægypti solus, annos totos 54. Cui succedit *Neos*, huic *Apries*, seu *Hophra*, hinc *Amasis*. Idem *Azotum* urbem, seu Ashdod, expugnavit. *Tullius Hostilius* Rex Romanor.
Σαοσδούχινος, *Saosduchinus, Saosduchæus*, Babylonior. & Assyriorum Rex. Censetur aliis idem qui in Hist. Apocryphâ Judithæ, *Nabuchodonosor* appellatur, & quidem Rex *Assyrius*, cujus regia *Ninive*.	20. al. 9.	100. al. 89.	*Zaleucus* Locrensium Legislator. Saosduchino Rege, vixit adhuc Manasses, usque ad annum Nabon. 105. Per. Jul. - - - .4071.
Χυνιλάδανος, *Chyniladanus*, *Kiniladal.* Qui & *Saracus*, imperans Babyloniis & Assyriis.	22. al. 14.	122. al. 103.	Hoc intervallo Reges Judæ, post Manassem, *Amon* annos 2. & *Iosias*, ab anno Nab. 107. Anno XIII Josiæ

Reges Babylonior. & Assyrior.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æra Nab.*	*Synchronismi quidam.*
			siæ initium est prædicationis Jeremiæ, *Ier.* 1. *Cyaxares* Medorum rex tertius, pater Astyagis, regnat annos XL. *Niniven* obsideti; hinc à *Scythis* oppressus per annos 38. *Periander* Corinthiorum Tyrannus. Nec multo post *Draco* Atheniensium Legislator, ac posteà *Solon*.
Ναβοπολάσσαρος, *Nabopol-assar*, aliàs *Nabuchodonozor* pater, malè confusus cum Nabonassaro. Regnat ab anno Æræ Nab. 123. Sunt qui huic tribuunt annos 25. etiam 29. Vide *Petavium*, *Langium* &c.	21.	143. al. 124.	*Necos*, *Necao*, Rex Ægypti, à quo Josias occisus, cœpit A. Nabon. circiter 132. Movet contrà Assyrios. Redux ex bello Assyriaco, *Ioachasum* 3. mensium Regem amovit, & *Eliakimum* substituit. *Cyaxa-*

Reges Babylonior. & Assyrior.	*Anni singulorum.*	*Anni Collecti Æra Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
			Cyaxares, excusso Scytharum jugo, apud Herodot. in *Assyrios* movet, ac *Ninum* expugnat, & secundùm alios etiam evertit; nempè à Nabopolassare adjutus, contractâ affinitate inter Medum & Babylonium.
Ναβοκολάσσαρος, *Nobocol-assar*, qui & *Nabuchodonozor II.* seu Magnus, filius prioris, à patre in societatem regni assumptus, anno *Per. Jul.* 4107. Nabonass. 141.	43.	186. al. 167.	Ab hujus Nebucadnezaris, anno I. Nab. 141. Jehojakimi desinente III. inchoantur anni LXX. Captivitatis Babylon. anno XXIII. prophetantis Jeremiæ, *Jer.* XXV. 3. Vide infrà Canonem Epochæ VII. *Urbs* excisa, XI. Zedekiæ Regis, Nebucadn. anno 19. Æræ Na-

Reges Babylonior. & Aſſyrior.	*Anni ſingulorum.*	*Anni collecti Æræ Nab.*	*Synchroniſmi quidam.*
			Nabonaſſ. 160. *Tyrus* Vetus tùm obſeſſa per Nebucadn. & poſt annos XIII. Babyloniis dedita, ſecundùm Petavium permiſſa Regibus tributariis. Finitimæ Gentes etiam ſubactæ. Vide *Ezech.* XXV. XXVI. &c. *Ninus* penitùs exciſa à Nebucadnezare; demùm anno V. Captivit. Nabonaſſ. 145. Ità multi. *Hophra* vel *Apries* Rex Ægypti, ſublatus à Babyloniis, Ægypto occupatà, juxtà Prædict. Jeremiæ, XLIV. anno Æræ. Nab. 171. Poſt eum regnavit *Amaſis*, qui ex

Reges Babylonior. & Assyrior.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æræ Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
			ex Præfecto sive Apries, sive Nebucadnezaris, Regnum Ægypti, jugo excusso, invasit, anno Nab. 185. *Cyrus* ex ephebis excessit, circiter anno *Per. Iul.* 4142. Nabon. 176. *Servius Tullius* Romæ regnat, annos 44.
Ἰλουαρουδάμος, *Ilvarodamus*, *Ewil-Merodach*, filius Nebucadnezaris. Malè hic censetur esse *Belshasar*, vel *Baltasar*, ut Marshamo in *Can. Chron.* & aliis.	2 completi, al. 3.	188. al. 170	*Astyages* Medus Cyaxaris filius, (qui creditur esse *Abasfuerus* Tobithæ) post regnum annorum 35. à Cyro nepote Mediæ regno exuitur, anno circiter Nabonass. 188.
			Cyaxares II. Filius Astyagis, frater Mandanes Matris Cyri, regnat in *Medo-Persis*, juxtà Xeno-

Reges Babylonior. & Assyrior.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æra Nab.*	*Synchronismi quidam.*
			Xenophontem. Creditus Usserio & aliis *Darius Medus*, dictus filius *Abasſueri*, *Dan.* IX. 1. Aliis contrà creditur esse *Abasſuerus*, de quo in hist. Estheræ, filius *Darii Medi*, seu Astyagis, à quo *Susa* expugnata, regni sedes. *Pisistratus* Athenis Tyrannidem obtinet, A. Nab. 188. *Solone* paulò post defuncto. VII. antè Olympiadibus, leges à Solone latæ.
Νεριχασσολάσαρος, Νεριγλίσσαρος, *Neriglissoroar*, *Nergalassar*, gener Nebucadnezaris, affinis Evilmerodachi; juxtà alios *tutor* Bels-	4. compl. vel 5.	192. al. 175.	*Cyrus* Persis & Medis imperat, ab A. Nab. 189. *Per. Jul.* 4155. antè excessum annis XXX. In Lydiâ regnat *Croesus*, affinis Astyagis, ab

Reges Babylonior. & Assyrior.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æra Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
hasaris annis v. Λαϐοροσοάρχοδος, *Labor Assar-cad*, filius *Nergal-assari.* Tacet hunc Canon Ptolem. Habent verò Berosus, Megasthenes, Josephus, Eusebius; ac solum hunc regnasse aliquot menses. Petavio & aliis hic putatur esse; ex Beroso, cui nimium tribuunt, *Belshasar* dictus *filius* Nebucadnezaris, quatenùs ejus ex filiâ nepos, filius verò *Nergal-assari*; Patris annos filio tribui, quia nonnisi tutorio nomine regnaverit Pater, annis v. Filium solum regnasse 9. mensibus.			ab A. Nab. 190 qui bellum posteà adversùs Cyrum movet, infelici successu. *Amasis* in Ægypto regnat, ut suprà. *Servius Tullius* adhuc Romæ regnat. De rebus *Græcorum* vide Marmora Oxoniensia, & Annotationes.

Reges Babylonior. & Assyrior.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æra Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
Ναβονάδιος, *Nobonadius*, *Nabonedus*, *Naboneth*, *Nabannidochus*, *Labyneth*. Plurimis ultimus ex stirpe Nabuchodonosoris, filius Evilmerodachi, nepos Nebucadnez. idemque qui in Sacris *Belshasar*, *Jer.* XXVII. 7. *Dan.* VII. 5. Ita Josephus, Hieron. Torniellus, Usserius &c. At Scaliger, Petavius, & alii, hunc volunt esse filium Oxyaris, à Medis oriundum, eumque *Darium Medum* de quo *Dan.* VI. & à quo Belshasar in convivio ex conspiratione cæsus fuerat.	17. al. 34.	209.	*Darius Medus* Doctissimis Chronologis creditur *Cyaxares*, Astyagis filius, Cyri avunculus & socer, cui Imperium, post devictum *Nabonnedum*, & *Crœsum*, à Cyro Persarum Monarchâ traditum fuerat, ulteriùs victorias suas Asiaticas prosecuturo. Hæc ex Xenophonte, quem Josephus sequitur, invito quidem Petavio, *Lib.* X. C. VIII. Regno idem cessurus *Cyro*, A. Nabonass. 211. post occupatam à Cyro *Babylonem*, undè exurgit annus 1. *Cyri*, scil. *Imperii Babylonici*, & finis annorum LXX. Cap-

Reges Babylonior. & Persarum.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æra Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
			Captivit. Babylonicæ.
Æra Monarchiæ Persicæ.			
Κῦρος *Cyrus*, juxtà Canonem Ptolem. Nempè IX. anni Cyro tribuuntur, antè ejus excessum, initio ducto à victoriâ de Nabonnadio reportatâ, & Babylone obsidione cinctâ.	9.	218.	
Aliàs initium *Cyri* ponitur, ab expugnatâ *Babylone*, seu ab Imperii Babylonici anno I. Persici XXII. annis antè Cyri excessum VII. ex Herodoto & Xenoph. Anno *Nabon.* 211. *Per. Jul.* 4185.	7.	219.	I. Annus *Cyri* in Scripturâ S. hinc fluit, qui scil. primus Imperii Babylonici; Quando *Edictum* prodiit, pro reditu Judæorum, & instauratione Templi, exactis annis LXX. Captivit. 2 *Chron.* ult. *Esdr.*

Reges Babylonior. & Persarum.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æra Nab.*	*Synchronismi quidam.*
			Esdr. I. prædicente *Esai.* XLIV. 28. XLV. 13. *Per. Jul.* 4177. Anno 2. à reditu Judæorum *Templi* fundamenta jacta sunt à *Zorobabele*, & *Josuà* Josedici F. summo Sacerdote. Sed interturbatur opus calumniis Samaritanorum sive Cuthæorum. Malè à 1. Cyri numerantur Eusebio LXX. Hebdomades Danielis.
Καμβύσης *Cambyses*, plerisque creditur *Ahasuerus* ille apud Esdram, *Esdr.* IV. Hunc alii fecerunt *Nebuçadnezarem* eum, de quo in Hist. Judithæ, apud *Euseb.* Includuntur	8.	226. 227.	Sub initia Cambysis, moriuntur Athenis *Pisistratus*; in Ægypto *Amasis*, paulo antè expeditionem Ægyptiacam Cambysis, ubi crudelissimè sæviit. *Polycrates* Samio-

Reges Babylonior. & Persarum.	*Anni singulorum.*	*Anni Collecti Æra Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
menses VII. Smerdis personati, sive Magi.			miorum tyrannus regnat.
Δάρειος υἱὸς Ὑστάσπου, *Darius filius Hystaspis*, Rex electus, ab anno P. J. 4193. *Nabon.* 227. expirante. Multis creditur idem qui *Ahassuerus*, *Esdr.* IV. 6. & ita quoque Usserio Armachano; Non item Scaligero, nec Petavio. Certum, esse hunc *Darium*, sub quo Templum II. instauratum, & absolutum, anno VI. desinente, *Per. Jul.* 4199. *Nabon.* 234. Et ità Petavius, Usserius, ac principes Chronolog. Dario Hystaspis, juxtà Ete-	36.	262.	*Smerdes*, qui filii Cyri personam assumpserat, putatur esse qui in Script. S. *Artachshasta*, *Esdr.* IV. *Darii* anno II. *secundum* Edictum pro Judæis, XVIII. anno à I. Edicto Cyri. *Pythagoras* Philos. floruit: Paulo post *Heraclitus* Ephesius. Sub Dario *Tarquinius Superbus* Româ pulsus, & Regium nomen extinctum, *Anno Nab.* 240. *Urb. Cond.* 245. Hinc Æra Regifugii. Coss. primi. *L. Jun. Brutus*, *L. Tarquinius* Col-

Reges Babylonior. & Perſarum.	*Anni ſingulorum.*	*Anni collecti Æra Nabonaſſ.*	*Synchroniſmi quidam.*
ſiam, & Marmor Chronologicum, nonniſi 31. anni tribuuntur. Secùs apud Herodotum, Thycididem, & in Canone Mathematico.			*Collatinus.* Darii anno XXXI. pugna *Marathonia* contigit, *Boedromione* menſe. *Æſchylus*, *Pindarus*, *Simonides*, floruiſſe dicuntur in Chronico Canone, qui etiam ſub Xerxe.
Ξέρξης *Xerxes*, Darii filius, vivo Patre aſſumptus, A Nabon. 262. Solus regnat, poſt mortem Patris annos 20. juxtà Diodorum, Euſebium &c. Plurimis creditur *Ahaſſuerus* maritus Eſtheræ, Lydiato, Scaligero, Calviſio. &c.	21.	283.	Hujus anno VI. contigit διάβασις in Græciam, appetente vere, Ponte Helleſponti freto impoſito, anno *Nabon.* 269. Olymp. LXXIV. anno - - 4. *Themiſtoclis*, & *Pauſaniæ*, & *Ariſtidis* tempora. *Sophocles* claruit, junior nonnihil *Euripides*. Claruit & *Herodotus*; qui deſinit in pugnâ ad Pla-

Reges Babylonior. & Persarum.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æra Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
			Platæas, & Mycalen; undè incipit *Thycidides.* *Joachimus* vel *Eliachimus* II. Pontifex Judæorum à reditu.
Ἀρταξέρξης ὁ Μακρόχειρ *Artaxerxes Longimanus*, sive *Prior*; pluribus *Artastha* ille de quo *Esdr.* VII. Aliis etiam dictus *Xerxes*, prout confusa nomina *Xerxes* & *Artaxerxes*; & *Arta* regem ac principem significare (unde *Artabanus*, *Artabarus*, *Artaphernes* &c.) Eruditi. *Abassuerum* hunc esse, Josephus, Petavius, Salianus alii. Hujus anno VII. prodiisse	41.	324.	Coincidit I. Artaxerxis, cum anno *Per. Jul.* 4249. Olymp. LXXVIII. anno - - - 4. Nabonassareo - - - 284. antè Christum natum. - - 465. Initium LXX. Septimanarum Danielis, juxtà Funccium, & ὁμοψήφοις, sumitur ab anno VII. Artaxerxis, id est, ab anno *Per. Jul.* 4256. Aliis tum Africano initium LXX. Septiman. ab anno XX. hujus

Reges Babylonior. & Persarum.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æræ Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
Edictum III. in Judæorum gratiam, cujus vi profectus Esdras cum amplissimis muneribus, instaurator cultûs & Politiæ, consentiunt doctiores Chronologi. Edictum ultimum anno ejusdem xx. *Neh.* I. II. *Joseph.* L. XI. C. v. Duplex verò hujus *initium* suspicantur, alterum vivo adhuc Patre, anno *Nabon.* 275. Xerxis 12. Colligunt ex fugâ *Themistoclis*, ad *Xerxem*, juxtà nonnullos Historicos; quem Thycidides & alii, ad *Artaxerxem* confugisse memorant, apud Plutarchum, in Vitâ			jus Artaxerxis, *Per. Jul.* 4269. Sed ita ut ferè coincidat cum sententiâ priore, ratione *termini*, scil. in anno Dominicæ Passionis. Nempè intellectis ità annis apud Danielem *Lunaribus*, seu *Arabicis*, sive contractis, sine intercalatione; vel juxtà Petavium aliosque inchoando annum xx. Artaxerxis, non à Xerxis obitu, (ita enim non LXX. septimanas annorum numerari posse ad Passionem Dominicam) sed à tempore, quo Artaxerxes vivo Patre *Regis* titulo gavisus sit, scil. à Xerxis anno

Reges Babylonior. & Persarum.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æræ Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
Themistoclis, probante Petavio. Alterum verò initium ferè *decennio* post, patre defuncto: Et à postremo hoc initio supputandos esse annos 40. Quibus si addis, post ejus obitum, *Xerxis* II. menses duos, & *Sogdiani* menses VII. ex Diodoro, Eusebio &c. fiunt anni, juxtà Canonem - 41.			anno 12. *Per. Jul.* 4259. Et sic LXX. Septimanæ inchoantur, juxtà Petavium, ab A. Per. Jul. - - - 4260. anno *Nabon.* - - - 295. antè Æram Nativit. - - 454. *Eliasib* III. Pontifex à Captivitate. Nehemias, anno XXXII. Artaxerxis, redit ad Regem, *Neh.* V. XIII. Hoc intervallo, indè ab extremis Xerxis, & sub Artaxerxe, nati *Socrates*, *Democritus*, *Hippocrates* &c. *Perdiccas* Rex Macedonum regnat, &c. Romæ I. *Ludi Seculares* acti, teste Cen-

Reges Babylonior. & Perſarum.	*Anni ſingulorum.*	*Anni Collecti Æra Nabonaſſ.*	*Synchroniſmi quidam.*
			Cenſorino, anno *Urb. Cond.* 298. *Nab.* 293. Romæ & creati x. *Viri*, *Tribuni Militum*, *Cenſores* primi &c. *Græcia* bellis civilibus vehementer afflicta. Bellum *Peloponneſiacum* ortum anno II. *Olymp.* 87. Paulo poſt moriturus *Pericles*. Cyclus *decemnovennalis* Metonicus inſtituitur, à Metone Aſtrologo, filio Pauſaniæ, anno IV. Olymp. 86. anno Nabonaſſ. 316.
Δάρειος ὁ Νόθος, *Darius Nothus*, qui & *Ochus*. Malè hunc cenſent Druſius, Scaliger, Calviſius, Emmius,	19.	343.	*Demoſthenes*, Dux Athenienſ. floret, & cadit in Siciliâ. *Ariſtophanes*, *Alcibiades* &c. florent. *Diogenes* Cyni-

Reges Babylonior. & Persarum.	*Anni singularum.*	*Anni collecti Æra Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
&c. sub quo *Templum* II. instauratum fuerit. Malè etiam indè ab anno ejus 2. inchoant LXX. hebdomadas Danielis, quæ inchoandæ ab Edicto, de instaurandis muris & plateis Hierosolymorum suprà.			nicus nascitur; moriturus *Nonagenarius*, eodem anno & die, quo Alexander M. *Esdras* & *Nehemias* adhuc floruerunt; A reditu Pontifices *Jojada* IV, *Johanan* vel *Jonathan* V. post hunc *Jaddua* VI. *Neh.* XII. *Malachias* Nehemiæ σύγχρονος, ultimus Prophetarum; quibus Viros *Synagogæ Magnæ* Judæi substituunt. *Darius* de quo *Neh.* XII. putatur hic ipse Darius Nothus, Usserio, & aliis. Darii Nothi anno XI. *Ægyptii.* Persarum jugum excutiunt.

C 7 *Cyri*

Reges Babylonior. & Persarum.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æra Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
Ἀρταξέρξης ὁ Μνήμων, *Artaxerxes Memoriosus*, qui & Artaxerxes II. Malè hunc Scaliger, Calvisius, & ὁμόψηφοι censent eum esse, de quo Esdras & Nehemias. Artaxerxi Mnemoni Diodorus tribuit tantùm annos 43. Eusebius, Scaliger, Petavius, Langius, &c. nonnisi annos 40. Sed vicissim quos detrahunt annos Canoni Mathematico, eos addunt *Ocho* Successori.	46.	389.	*Cyri* junioris ἀνάβασις contrà fratrem Artaxerxem, auxiliantibus Lacedæmoniis, Artaxerxis anno 5. De quâ *Xenophon* Dux, & Historicus. Incipit undè desierat Thycidides, ab *Olymp.* XCII. anno 3. *Socrates* cicutam haurit, anno 1. Olymp. XCV. *Dionysius* Senior Syracusis tyrannus. *Agesilaus* Rex Spartanor. floret. *Aristoteles* nascitur, teste Dionysio Halicarnass. anno Nabon. 356. Olymp. XCIX. anno 1. *Roma* à *Gallis* capta, Γαλάταις ἢ Κέλ-

Reges Babylonior. & Persarum.	Anni singulorum.	Anni collecti Æra Nabonass.	Synchronismi quidam.
			ἡ Κίλτοις, victis paulo antè ad Alliam Romanis, anno U. Cond. 364. Liberatore Romanorum *Camillo*, ac Dictatore. *Plato* Philosophus, *Isocrates* Sophista &c. florent. Ille moriturus sub Ocho, natus annos LXXXI. iste sub Dario ultimo, natus annos CVI.
Ἀρταξέρξης Ὦχος, *Artaxerxes Ochus*, sive III. Eusebius huic tribuit annos 26. Et ità quoque Petavius, dùm nonnisi annos 40. priori Artaxerxi. Alii annos tribuunt Ocho 23. ex Diodoro. Falsò hic etiam	21.	410.	*Epaminondas* Thebanus sub Ocho obiit; Sub hoc & *Bellum Sociale* contrà Athenienses. *Philippus* Pater Alexandri M. regnat, ab anno *Nabonass.* 390. *Xenophon*, *Democritus Philos.* &c. fato functi; *Demosthenes* Orator floret. *Cur-*

Reges Babylonior. & Persarum.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æræ Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
creditur esse *Artaxerxes*, de quo Esdras & Nehemias.			*Curtius* in voraginem se præcipitavit pro Republicâ. Romæ primi *Prætores*, & *Ædiles* Curules. *Alexander M.* Pellæ natus est, juxtà Diodorum, Olymp. cvi. anno 1. *Nabon.* 393. *P. J.* 4358. mense Λῴῳ Macedonico, Archonte Callistrato. Eodem die conflagravit Ephesi Dianæ Templum. Solinus & Gellius uno alterove anno discedunt. Vixit ann. 32. mens. 8. Sub extrema Ochi nascitur *Epicurus*, & *Aristoteles* ad Philippum proficiscitur. Hoc tempore *Theopompus* Historicus, & *Theodectes*

Reges Babylonior. & Persarum.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æræ Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
			deEtes Tragicus, vixisse dicuntur; quorum alter mentis, alter oculorum scotomate percussus, quod vulgare quædam ex Libris Sacris attentassent, apud Josephum & Eusebium, ex *Aristeâ*. Idem Artaxerxes Ochus totam *Ægyptum* occupavit, Nectanebo II. Rege in Æthiopiam pulso; & sic finis Ægyptiorum Imperio A. 3. Olymp. CVII. 19. annis antè initium Monarch. Alex. Dehinc plurimos *Judæorum* fertur Ochus abduxisse in Hyrcaniam & Babyloniam.

Jad-

Reges Babylonior. & Persarum.	*Anni singularum.*	*Anni collecti Æræ Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
Ἄρσης τοῦ Ὤχου, *Arses Ochi* filius. *Arsi* annos IV. alii tribuunt; & ità Eusebius, Petavius. Canon Mathem. 2 annos integros, ut tertio anno è vitâ sublatus sit à Bagoâ Eunucho, à quo & Ochus.	2.	412.	*Jaddua* vel *Jaddus* summus adhuc Judæorum Pontifex. *Philippus Macedo* totius Græciæ contrà Persas Imperator.
Δάρειος ὁ Ἀρσάμου, *Darius* Arsamis filius, anteà *Codomannus*, Rex beneficio Bagoæ; sive jam is *Regio* genere, sive ex *Astandarum* vel *Angarorum* ordine.	6.	418.	*Sanaballetes*, *Sannebalat* Cuthæus, in Samariam Satrapa missus, *A. Nab.* 413. Filiam suam desponsat *Manassæ* fratri *Iaddi* summi Sacerdotis; ædificaturus paulo post Templum in monte Garizimitano, permissu Alexandri M. ne gener Sacerdotio excideret. *Alexander Macedo* regnare in-

Reges Babylonior. & Persarum.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æra Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
			incipit in Macedoniâ, A. *Per. Iul.* 4378. A. Nab.413. *Olymp.* CXI. anno I. *In Asiam* per Hellespontum trajicit, anno regni 3. Primus Olymp. CXI. anno 3. cum Dario conflictus, ad Granicum Phrygiæ amnem. Alexander *Tyrum* expugnat, ac per Phœniciam in Ægyptum properat, anno regni 4. Tùm verò à *Judæis*, datis ad Jaddum literis, auxilia & tributa exegit, quæ primò negant. Captâ Tyro *Judæam* invadit: Hierosolymam properat, obviam fit illi *Jaddua* Pontifex

Reges Babylonior. & Persarum.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æræ Nab.*	*Synchronismi quidam.*
			sex, cum habitu Pontificali, ostensurus Alelexandro vaticinium Danielis, C. VIII. XI. Hæc omnia Anno *Nab.* 417. *Per. Jul.* 4382. *Alexandriam* extruit, anno sequente. Eodem contigit pugna ad *Arbela*, Kal. Octobr. Anno *Nab.* 418. *Per. Jul.* 4383. *Olymp.* CXII. anno 2. ingressuro mox Babylonem Alexandro. Indè initium *Monarchiæ Alexandri* M. insigne istud Charactere *Eclipsis Lunaris*, XI. die antè Pugnam.
Ἀλέξανδρος, *Alexander* M. potiturus Impe-	6.	424. *Hic finit Canon Mathemat.*	Darius Alexandrum persequentem è Mediâ

Reges Babylonior. & Persarum.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æræ Nabonass.*	*Synchronismi quidam,*
rio Asiatico annis VI. cum aliquot mensibus. Mortuus Babylone A. Per. Jul. 4390. Anno Nabon. 425. Olymp. CXIV. anno 1. antè Æram Vulg. Annis 324. Δαίσιον mensem, quo mortuus, alii Julianum *Aprilem*, alii *Majum*, alii cum Petavio *Julium* interpretati. Cæterùm Plutarchus, *Diogenem* Cynicum obiisse eodem *anno* & *die*, quo Alexander M. A morte Alexandri, surgit caput *Æra Alexandreæ* Ægyptiorum, Novembri Juliano: & *primus* Ptolo-			diâ fugiens, nefariè à Besso tollitur, anno *seq. Nabon.* 419. Pluribus Historici. A. *Nabon.* 422. Alex. Porum in Indiâ vincit. *Aristoteles* biennio circiter post Alexandrum, obiit in Chalcide, anno æt. LXIII. Eodemque anno obiit *Demosthenes*. *Epicurus* tùm natus annos XX. Judæorum Pontifex *Onias* Jaddi filius, à captivitate *Septimus*, clarus sub initia Ptol. Lagi, seu Æræ Alexandrinæ: Cui successit *Simon* I. cognom. *Iustus*, Pontifex VIII. Hinc *Eleazar* fra-

Reges Babylonior. & Persarum.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æræ Nab.*	*Synchronismi quidam.*
			fex, cum habitu Pontificali, ostensurus Alexandro vaticinium Danielis, C. VIII. XI. Hæc omnia Anno *Nab.* 417. *Per. Jul.* 4382. *Alexandriam* extruit, anno sequente. Eodem contigit pugna ad *Arbela*, Kal. Octobr. Anno *Nab.* 418. *Per. Jul.* 4383. *Olymp.* CXII. anno 2. ingressuro mox Babylonem Alexandro. Indè initium *Monarchiæ Alexandri* M. insigne istud Charactere *Eclipsis Lunaris*, XI. die antè Pugnam.
Ἀλέξανδρος, *Alexander* M. potiturus Impe-	6.	424. *Hic finit Canon Mathemat.*	Darius Alexandrum persequentem è Mediâ

Reges Babylonior. & Persarum.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æræ Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
rio Asiatico annis VI. cum aliquot mensibus. Mortuus Babylone A. Per. Jul. 4390. Anno Nabon. 425. Olymp. CXIV. anno 1. antè Æram Vulg. Annis 324. Δαίσιον mensem, quo mortuus, alii Julianum *Aprilem*, alii *Majum*, alii cum Petavio *Julium* interpretati. Cæterùm Plutarchus, *Diogenem* Cynicum obiisse eodem *anno* & *die*, quo Alexander M. A morte Alexandri, surgit caput *Æræ Alexandreæ* Ægyptiorum, Novembri Juliano: & *primus* Ptolo-			diâ fugiens, nefariè à Besso tollitur, anno *seq. Nabon.* 419. Pluribus Historici. A. *Nabon.* 422. Alex. Porum in Indiâ vincit. *Aristoteles* biennio circiter post Alexandrum, obiit in Chalcide, anno æt. LXIII. Eodemque anno obiit *Demosthenes*. *Epicurus* tùm natus annos XX. Judæorum Pontifex *Onias* Jaddi filius, à captivitate *Septimus*, clarus sub initia Ptol. Lagi, seu Æræ Alexandrinæ: Cui successit *Simon* I. cognom. *Iustus*, Pontifex VIII. Hinc *Eleazar* fra-

X. *De variâ annorum Civilium ratione, initio vario, in comparatione Epocharum observando. Ac primò de anno Civili Hebræorum.*

Non hic vastissimum de *Annis Civilibus* campum ingredimur, variâque anni formâ & ratione, sive Hebræorum, sive Gentium cæterarum, ac Civitatum; neque prolixas Munsteri, Scaligeri, Petavii, Petiti, Mulerii, Allatii, Seldeni, Buxtorfii, Usserii, Jac. Golii, aliorumque id genus Heroüm, commentationes compilamus.

Ad collationem modò Epocharum inter sese, & Chronologiæ S. notitiam inprimis facit, cognovisse varia earundem *initia*, ac variam *Civilium* annorum formam, à *Julianâ* diversam. Prout nempè Gentes aliæ ad *Solis*, aliæ ad *Lunæ* motum, vel etiam ad *utrumque* respexerunt, in mensurandis Annis & Mensibus; Et quidem exactiùs aliæ, aliæ imperitiùs, diversâ intercalandi ratione; sed & annum civilem inchoandi, à *brumâ*, à *verno* æquinoctio, à *solstitio* æstivo, à *Canis* exortu, à fine *Augusti*, ab *autumnali* æquinoctio, vel à mense *vago*.

Nec aliter ab annis *Astronomicis* seu *Naturalibus* annos *Civiles* seu *Politicos* distinxeris, quàm 1. Quod Civilium haud certum *caput* est, sed varium, pro diversâ Populorum consuetudine. 2. Quod minùs iidem accurati sunt naturalibus; undè Civilium annorum is optimus, qui proximè ad naturalem accedit, & *Solis*

Lunæ-

Lunæque motum quàm proximè coæquat.

Ac primò sese offerunt anni *Hebræorum*, indè *Ægyptiorum*, *Chaldæorum*, *Persarum*, *Græcorum*, *Asianorum*, *Macedonum*, *Romanorum*, *Arabum*, &c.

Hebræorum annos quod attinet, alia ratio censetur anni Civilis, *antè* Exitum ex Ægypto & Politiam Mosaïcam, alia *post* Exitum. Prior vulgò cénsetur fuisse *Solaris*; constans ex mensibus solaribus, quorum singuli dierum xxx. quales menses antè Diluvium, quorum scilicet quinque (à 17 secundi mensis ad 17 septimi mensis) confecerunt dies 150, collatis locis *Gen.* VII, 11, 24. & *Gen.* VIII. 4. Atque adeò singuli fuêre dierum 30. Sic post Diluvium tricenarii menses colliguntur ab aliis, ex loco *Gen.* XXIV. 55. Atque ità fuit annus mensium XII. menses verò dierum xxx. qui multiplicati efficiunt dies 360. Quæ antiquissima quoque ut apud *Chaldæos*, sic & *Persas*, etiam *Græcos*, saltem antè Solonis tempora, anni ratio fuit, quam hi ab Ægyptiis acceperant, & vulgato ænigmate Cleobuli expresserunt.

Et his 360. diebus, dubio procul, Ægyptiorum in morem, additi sub finem dies 5. ut annus esset dierum 365. Sex ità horis minor *Juliano*; quinque horis cum dodrante minor *Tropico* seu vertente; singulis adeò quadrienniis antevertens *die uno* annum Julianum.

Et hæc Scaligeri sententia, ut quoque Petavii, Tornielli, Saliani, aliorum, probabili id ratione concludentium, quicquid secùs pauci recentiores.

Posterior forma fuit omninò *Lunaris*, à Mose

usque ad tempora Alexandri M. seu Æræ Alexandrinæ, & jugi Macedonici; quo temporis intervallo, Deo per Mosem sanciente, suas in Templo ceremonias, sacra, festa, ad motum Lunarem instituerunt. Quò respicit locus Psalmi CIV. 19. Nisi *Luna-Solarem* malis, seu mixtam anni formam, beneficio mensis Embolimæi. Nempè VII. annorum spatio tres *intercalationes* factæ, integri mensis, anno II. IV. VII. Mensis ille dictus *Adar Secundus*, ואדר Martio nostro respondens, & additus in anni fine, & quidem Edicto Synedrii M. Aliàs XIV. Nisan anticipasset Æquinoctium vernum. Hinc annus Judaicus vel *communis* fuit, vel *embolimæus* XIII. Lunationum. Ille rursùs modò dierum 354. qui annus *ordinarius*; modò dierum 355. addito sic diē in mense *Marchesvan*, qui annus *abundans*; modò dierum 353. quando semel in Cyclo decem-novennali, in mense *Casleu* (qui tertius mensium Civilium, ut infra) dies unus per ἐξαίρεσιν demptus, qui tùm annus *defectivus*. Par ratio anni *Embolimæi*, qui modò dierum 383. modò 384. modò 385. Vide infrà, de *Mensibus* Hebr. nec Institutiones hîc Chronologicas tradimus.

Principium verò seu caput anni Hebraici, indè à Lege latâ, duplex fuit, aliud *Ecclesiasticum* seu Sacrum, aliud *Civile* seu Politicum. Qualiter geminum anni caput, Sacrum & Civile, cùm olim Ægyptii habuêre, quorum annus Hierophanticus, à Solstitio æstivo; tùm posteà Alexandrini Christiani, qui Cyclum Paschalem inchoarunt, seu annum Ecclesiasticum, à mense *Paschali*, ut Civilem à *Thoth*: Sic & Armenii; sed & hodièque Muhammedis Se-

Sectatores Arabes, Perſæ, Turcæ, *Civilem* ab *Eccleſiaſtico* diſtinguunt. Quomodò apud Athenienſes annus duplex fuit, *Lunaris* in civilibus & ſacris, ac *Solaris* quo annuum ſpatium metiebantur, intercalationis beneficio. Imò menſes apud eos duplices, πολιτικοὶ, & πρυτανείας, quæ fuêre Magiſtratuum gerendorum ſpatia, in ſtatu Populari. Sic Arabum *menſes* alii dicti *ſacri* & *vetiti*, alii *liberi* & *profani*. Principium anni Sacri fuit menſis *Niſan*, in Scripturâ *Abib*, & uſitatè menſis primus, reſpondens Martio atque Aprili noſtro, incipienſque cum Novilunio, quod proximum Æquinoctio *verno*: Principium anni civilis, ראש השנה, fuit menſis תשרי *Tiſri*, reſpondens Septembri & Octobri noſtro, incipienſque à Novilunio quod proximum Æquinoctio *autumnali*. Priori reſpectu *Niſan* perpetuò dictus menſis primus; poſteriori dictus *Tiſri*, initium anni vertentis, *Exod.* XXIII. 16. XXXIV. 22. Prius conſtitutione *novâ* & *Moſaicâ*, in memoriam liberationis ex Ægypto, & inſtituti Feſti Paſchalis: Poſterius (ut videtur) ex obſervantiâ antiquâ & Patriarchali, jam antè Exitum ex Ægypto, in ordine ad tempus Creationis; licet Philo Alexandrinus, *Lib.* III. de Vitâ Moſis, ἰαρινὴν ἰσημερίαν *vernum æquinoctium*, undè primus menſis Moſaicus, vocet τὴν ἀρχὴν *principium* Mundi. *Niſan* igitur menſis primus ratione primi Feſti, & cum χέσει ad Feſtorum reliqua tempora; *Tiſri* primus, extrà rationem Feſtorum, quoad tempus civile, undè etiam putati anni *Sabbathici* & *Jubilæi*. Ab illo, in rebus Eccleſiaſticis, ab hoc in rebus Politicis initium ductum. Confirmant Joſe-

D 2 phus

phus *Antiq.* L. I. c. IV. & constans observantia Judæorum.

Et hæc quidem ratio fuit anni Civilis Hebræorum, usque ad tempora jugi Macedonici. Nec vivo tamen Alexandro, ut malè Judæi, post congressum ejus scilicet cum Jadduâ summo Sacerdote, verùm annis à morte Alexandri XII. à I. Seleuci Nicanoris Asiæ Imperatoris, antè *Æram* Christianam annis 312. undè incipit *Periodus Calippica.* de quâ alibi. Indè fluunt anni *Alexandræi*, sive *Græcorum*, Hebræis anni *Contractuum*, ut suprà *Num.* VIII. Et his usi deinceps Judæi in *Civili* annorum ratione, etiam Historici, Josephus, Libri Maccabæorum: Sive jam ad *Paschales* rationes suas adhibuerint, ut contendit Scaliger, methodum *Calippicam*, ex IV. Cyclis *Enneadecaetericis*, sive decemnovennalibus, de quibus Cyclis prolixè Introductio nostra ad *Chronol. S.* à p. 57. ad 68. sive ut Petitus, Petavius, & alii observarunt, *octaeterides* Lunares Græcorum qui hoc spatio *tres menses* intercalabant; sive propriam intercalandi rationem, adæquando excessui motus Solaris. Porrò Josephus horum annorum caput constituit in mense *Autumnali*, sive ὑπερβερεταίῳ Syro-Macedonico, cum Exoticis Scriptoribus: Sed author Libri I. Maccabæorum, in *Nisan* antecedente, quod caput anni *Ecclesiastici* fuit, cujus *Nisan* XIV. vel in Æquinoctium, vel in proximum ab illo diem cadebat, quâ de re pluribus Petavius, & alii. Vide & infrà Diagramma Mensium Hebræorum.

Tandem successit nova *anni Judaici* forma, indè à R. *Hillele* principe Synedrii M. tempore

pore Conſtantii Imperat. incipiens ab anno Æræ Contractuum 670. Æræ Chriſti Vulg. 358. Quando nempè miſsâ priori intercalandi ratione, & obſervandi primas Lunæ *phaſes*, in conſtituendis Neomeniis, quæ Edicto Synedrii Judaici decernebantur, conſtituit ex Aſtronomicis & Chronologicis rationibus novum *Cyclum decemnovennalem*, eundemque accuratiſſimum, ſibi & poſteris perpetuò obſervandum. Itá tamen ut anni *Solaris* quàm exactiſſima ratio habita quoque à Magiſtris fuerit, diſtributo anno in 4. partes æquales, ſeu anni cardines *Tekuphas* appellatas, obſervatis momentis, ſeu *ſcrupulis* horariis, quibus Sol novam *Tekuphanr* ingreditur, ſeu primum punctum Æquinoctiale, vel Solſtitiale: Quæ variant prout anni *biſſextiles* ſunt, vel *primus*, *ſecundus*, *tertius*, à biſſextili: de quibus Scaligerum, Petitum, Petavium, Calviſium, Seldenum de Anno Judaico, alioſque conſulas. Simul & putati tùm anni fuerunt ab *Orbe Cond.* calculo Judaico, quæ vulgò Periodus Judaica; de cujus vitio dictum ſuprà eſt *Num.* v.

XI. *De annis Civilibus Veterum Ægyptiorum, Chaldæorum, Perſarum, qui olim æquabiles, & vagi. Fixi quando.*

Quam ſuprà anni rationem diximus fuiſſe Patriarcharum, & ante-Diluvianorum, eadem *Chaldæorum*, *Sabarum*, *Ægyptiorum*, *Perſarum* veterum fuit, & aliquando *Græcorum*, antè

 for-

formam Lunarem introductam, de quâ posteà. De *Ægyptiis* res certissima. sed & de *Chaldæis*, prout simillima utrisque Sacra fuerunt, ità & Annorum ratio. Constat posterius ex annis *Nabonassareis*, qui & Ægyptii vocantur, & æquabiles.

Nempè his Gentibus *annus* fuit Solaris, dierum 365. sine diei quadrante, & sine intercalatione; *menses* vero XII. singuli dierum nonnisi 30. qui efficiunt dies 360. Hinc additi in fine, extrà mensium ordinem, dies v. qui dies ἐπαγόμεναι, ut exurgerent dies 365. Aliàs *appendices*, *accessorii* dies, *assumptitii*, etiam *furtivi* κλοπιμαῖοι, ex fabulâ de Mercurio, hos dies à Lunâ suffurato. Arabibus النسي *alnesi*, νισί, quod Linguâ Ægyptiacâ *assumptitium* esse, docuit Salmasius, & ex eo observavit Jac. Golius.

Caput horum annorum fuit, Nemeonia mensis *Thoth*, qui primus mensis Ægyptiorum, sed vagus idem, nempè spatio annorum 1460. vagatus per omnes menses anni Juliani. Ità 1. anno *Nabonassareo*, incepit Thoth Ægyptiorum cum XXVI. Febr. Juliani, secundùm *Canonem Mathematicum* Ptolomæi, de quo suprà. Ac singulis *quadrienniis* Julianis, *uno* semper die retrograditur Ægyptius sive Nabonassareus, seu *uno* die hujus principium antevertit principium anni Juliani, singulis *octenniis* diebus *duobus*, & ità porrò; scilicet ob non additum *diem intercalarem*, ex diei quadrantibus exurgentem, anno Juliano. Ità tamen ut indè pateat, intellexisse Ægyptios eum defectum quadrantis Juliani, undè illa anticipatio *diei* unius, *quadriennio* quolibet vertente. Undè etiam patet,

tet, ex multiplicatis 365. per 4. exurgere 1460. quâ annor. periodo Nabonassarei anni, sive Ægyptii, [excesserunt annos Romanos *anno uno*, scil. 1461. mensibus intereà singulis anni Ægyptiaci per omnes menses anni Juliani retrogradiendo divagatis. Et ob rationem eandem, quum Σῶθις seu *Caniculæ* caput, fixum esset apud Ægyptios, singulis quadrienniis debuit promoveri uno die; puta à primo *Thoth* ad secundum, tùm ad tertium &c. Et sic totum anni contextum pervagabatur illud *Caniculæ* caput, spatio annorum Julianorum 1460. Ægyptiorum 1461. Undè periodus *Sothiaca*, sive *Cynica*, quâ finitâ annus Ægyptiorum cum Solari vel æstivo redibat in gratiam. Et sic *caput* anni Ægyptiaci primitùs Σῶθις fuit, seu Sotheôs exortus, propè *Cancrum*, seu solstitium æstivum.

Postmodùm verò annus Ægyptiorum apud *Alexandrinos*, evasit ex vago *fixus*, etiam antè Augusti tempora, admissâ intercalatione, & fixo capite *anni*, à *Thoth* mensis Neomeniâ, in XXIX. *Augusti*. Præterquàm in anno qui intercalarem proximè sequitur, quando incepit Neomenia Thoth à XXX. *Aug.* ob diem ad præcedentis anni finem adjectum, inter XXVIII. & XXIX. *Augusti*. Tandem sub jugo Romanorum, ab omnibus *Ægyptiis* admissa anni Alexandrini seu intercalaris forma, cum Julianâ in quantitate concordans. Et etiamnum hodiè *Thoth* Ægyptiacum incipit à XXIX. *Aug.* â tot Ægypto. Ratio verò figendi anni caput in 1. *Thoth*, non una fuit Alexandrinis: Nempè, exundatio Nili eo die, quo aquæ ad summum excreverant; finis XL. dierum adurentis

 om-

Reges Babylonior. & Persarum.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æra Nab.*	*Synchronismi quidam.*
			sex, cum habitu Pontificali, ostensurus Alexandro vaticinium Danielis, C. VIII. XI. Hæc omnia Anno *Nab.* 417. *Per. Jul.* 4382. *Alexandriam* extruit, anno sequente. Eodem contigit pugna ad *Arbela*, Kal. Octobr. Anno *Nab.* 418. *Per. Jul.* 4383. *Olymp.* CXII. anno 2. ingressuro mox Babylonem Alexandro. Indè initium *Monarchiæ Alexandri* M. insigne istud Charactere *Eclipsis Lunaris*, XI. die antè Pugnam.
Ἀλέξανδρος, *Alexander* M. potiturus Impe-	6.	424. *Hic finit Canon Mathemat.*	Darius Alexandrum persequentem è Mediâ

Reges Babylonior. & Persarum.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æræ Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
rio Asiatico annis VI. cum aliquot mensibus. Mortuus Babylone A. Per. Jul. 4390. Anno Nabon. 425. Olymp. CXIV. anno I. antè Æram Vulg. Annis 324. Δαίσιον mensem, quo mortuus, alii Julianum *Aprilem*, alii *Majum*, alii cum Petavio *Julium* interpretati. Cæterùm Plutarchus, *Diogenem* Cynicum obiisse eodem *anno* & *die*, quo Alexander M. A morte Alexandri, surgit caput *Æra Alexandrea* Ægyptiorum, Novembri Juliano: & *primus* Ptolo-			diâ fugiens, nefariè à Besso tollitur, anno *seq. Nabon.* 419. Pluribus Historici. A. *Nabon.* 422. Alex. Porum in Indiâ vincit. *Aristoteles* biennio circiter post Alexandrum, obiit in Chalcide, anno æt. LXIII. Eodemque anno obiit *Demosthenes*. *Epicurus* tùm natus annos XX. Judæorum Pontifex *Onias* Jaddi filius, à captivitate *Septimus*, clarus sub initia Ptol. Lagi, seu Æræ Alexandrinæ: Cui successit *Simon* I. cognom. *Iustus*, Pontifex VIII. Hinc *Eleazar* fra-

Reges Babylonior. & Perſarum.	*Anni ſingulorum.*	*Anni collecti Æræ Nabonaſſ.*	*Synchroniſmi quidam.*
mæi Lagi, ineunte anno Nabonaſſ. 425. Quando Æra Nabonaſſarea locum in Ægypto fecit Alexandreæ, quæ & Ptolomæorum. De hac & Æris reliquis, poſt Nabonaſſaream, vide in ſuperiori Schemate.			frater Simonis Juſti, jam ſub Lago Pontifex, idemque à Captivit. Pontifex IX. *Manaſſe* qui Euſebio *avunculus* Eleazaris, meliùs *patruus*, Jaddi filius, Pontifex X. *Onias* II. Simonis Juſti filius, Pontifex XI. *Simon* II. filius hujus Oniæ, Pontifex XII. *Onias* III. filius Simonis II. Pontifex XIII. Ptolomæo Epiphane Ægypti rege. *Jeſus*, *Jaſon*, frater Oniæ, Pontifex XIV. favore Antiochi. *Menelaus* qui & Onias, frater Jaſonis, abdicato fratre Jeſu, faciente eodem An-

Reges Babylonior. & Persarum.	*Anni singulorum.*	*Anni collecti Æræ Nabonass.*	*Synchronismi quidam.*
			Antiocho, Pontifex xv. Cui jam alii *Lysimachum*, fratrem Menelai, ſtatione pellendi; alii prætermiſſo Lyſimacho *Alcimum* Pontificem xvi. ſucceſſorem faciunt, etiam Judæ Maccabæo ſuperſtitem; ſed invito Joſepho. Hinc *Maccabæi* Pontifices. Sed & *Onias* Oniæ iii. filius invidens ſummum Pontificatum Alcimo datum, à Ptolomæo Philometore & Cleopatrâ veniam impetrat ſtruendi Templi in Præfecturâ *Heliopolitanâ*, quod ſtructum fuit annis circiter 150. antè Æram Chriſti Vulg.

X. *De*

X. *De variâ annorum Civilium ratione, initio vario, in comparatione Epocharum observando. Ac primò de anno Civili Hebræorum.*

Non hìc vastissimum de *Annis Civilibus* campum ingredimur, variâque anni formâ & ratione, sive Hebræorum, sive Gentium cæterarum, ac Civitatum; neque prolixas Munsteri, Scaligeri, Petavii, Petiti, Mulerii, Allatii, Seldeni, Buxtorfii, Usserii, Jac. Golii, aliorumque id genus Heroüm, commentationes compilamus.

Ad collationem modò Epocharum inter sese, & Chronologiæ S. notitiam inprimis facit, cognovisse varia earundem *initia*, ac variam *Civilium* annorum formam, à *Julianâ* diversam. Prout nempè Gentes aliæ ad *Solis*, aliæ ad *Lunæ* motum, vel etiam ad *utrumque* respexerunt, in mensurandis Annis & Mensibus; Et quidem exactiùs aliæ, aliæ imperitiùs, diversâ intercalandi ratione; sed & annum civilem inchoandi, à *brumâ*, à *verno* æquinoctio, à *solstitio* æstivo, à *Canis* exortu, à fine *Augusti*, ab *autumnali* æquinoctio, vel à mense *vago*.

Nec aliter ab annis *Astronomicis* seu *Naturalibus* annos *Civiles* seu *Politicos* distinxeris, quàm 1. Quod Civilium haud certum *caput* est, sed varium, pro diversâ Populorum consuetudine. 2. Quod minùs iidem accurati sunt naturalibus; undè Civilium annorum is optimus, qui proximè ad naturalem accedit, & *Solis*

Lunæ-

Lunæque motum quàm proximè coæquat.

Ac primò sese offerunt anni *Hebræorum*, indè *Ægyptiorum*, *Chaldæorum*, *Persarum*, *Græcorum*, *Asianorum*, *Macedonum*, *Romanorum*, *Arabum*, &c.

Hebræorum annos quod attinet, alia ratio censetur anni Civilis, *antè* Exitum ex Ægypto & Politiam Mosaïcam, alia *post* Exitum. Prior vulgò censetur fuisse *Solaris*; constans ex mensibus solaribus, quorum singuli dierum xxx. quales menses antè Diluvium, quorum scilicet quinque (à 17 secundi mensis ad 17 septimi mensis) confecerunt dies 150, collatis locis *Gen.* VII, 11, 24. & *Gen.* VIII. 4. Atque adeò singuli fuêre dierum 30. Sic post Diluvium tricenarii menses colliguntur ab aliis, ex loco *Gen.* XXIV. 55. Atque ità fuit annus mensium XII. menses verò dierum xxx. qui multiplicati efficiunt dies 360. Quæ antiquissima quoque ut apud *Chaldæos*, sic & *Persas*, etiam *Græcos*, saltem antè Solonis tempora, anni ratio fuit, quam hi ab Ægyptiis acceperant, & vulgato ænigmate Cleobuli expresserunt.

Et his 360. diebus, dubio procul, Ægyptiorum in morem, additi sub finem dies 5. ut annus esset dierum 365. Sex ità horis minor *Juliano*; quinque horis cum dodrante minor *Tropico* seu vertente; singulis adeò quadrienniis antevertens *die uno* annum Julianum.

Et hæc Scaligeri sententia, ut quoque Petavii, Tornielli, Saliani, aliorum, probabili id ratione concludentium, quicquid secùs pauci recentiores.

Posterior forma fuit omninò *Lunaris*, à Mose

usque ad tempora Alexandri M. seu Æræ Alexandrinæ, & jugi Macedonici; quo temporis intervallo, Deo per Mosem sanciente, suas in Templo ceremonias, sacra, festa, ad motum Lunarem instituerunt. Quò respicit locus Psalmi CIV. 19. Nisi *Luna-Solarem* malis, seu mixtam anni formam, beneficio mensis Embolimæi. Nempè VII. annorum spatio tres *intercalationes* factæ, integri mensis, anno II. IV. VII. Mensis ille dictus *Adar Secundus*, ואדר Martio nostro respondens, & additus in anni fine, & quidem Edicto Synedrii M. Aliàs XIV. Nisan anticipasset Æquinoctium vernum. Hinc annus Judaicus vel *communis* fuit, vel *embolimæus* XIII. Lunationum. Ille rursùs modò dierum 354. qui annus *ordinarius*; modò dierum 355. addito sic diē in mense *Marchesvan*, qui annus *abundans*; modò dierum 353. quando semel in Cyclo decem-novennali, in mense *Casleu* (qui tertius mensium Civilium, ut infra) dies unus per ἐξαίρεσιν demptus, qui tùm annus *defectivus*. Par ratio anni *Embolimæi*, qui modò dierum 383. modò 384. modò 385. Vide infrà, de *Mensibus* Hebr. nec Institutiones hîc Chronologicas tradimus.

Principium verò seu caput anni Hebraici, indè à Lege latâ, duplex fuit, aliud *Ecclesiasticum* seu Sacrum, aliud *Civile* seu Politicum. Qualiter geminum anni caput, Sacrum & Civile, cùm olim Ægyptii habuêre, quorum annus Hierophanticus, à Solstitio æstivo; tùm posteà Alexandrini Christiani, qui Cyclum Paschalem inchoarunt, seu annum Ecclesiasticum, à mense *Paschali*, ut Civilem à *Thoth*: Sic & Armenii; sed & hodièque Muhammedis

Se-

Sectatores Arabes, Perſæ, Turcæ, *Civilem* ab *Eccleſiaſtico* diſtinguunt. Quomodò apud Athenienſes annus duplex fuit, *Lunaris* in civilibus & ſacris, ac *Solaris* quo annuum ſpatium metiebantur, intercalationis beneficio. Imò menſes apud eos duplices, πολιτικοὶ, & πρυτανείας, quæ fuêre Magiſtratuum gerendorum ſpatia, in ſtatu Populari. Sic Arabum *menſes* alii dicti *ſacri* & *vetiti*, alii *liberi* & *profani*. Principium anni Sacri fuit menſis *Niſan*, in Scripturâ *Abib*, & uſitatè menſis primus, reſpondens Martio atque Aprili noſtro, incipienſque cum Novilunio, quod proximum Æquinoctio *verno*: Principium anni civilis, ראש השנה, fuit menſis תשרי *Tiſri*, reſpondens Septembri & Octobri noſtro, incipienſque à Novilunio quod proximum Æquinoctio *autumnali*. Priori reſpectu *Niſan* perpetuò dictus menſis primus; poſteriori dictus *Tiſri*, initium anni vertentis, *Exod.* XXIII. 16. XXXIV. 22. Prius conſtitutione *novâ* & *Moſaicâ*, in memoriam liberationis ex Ægypto, & inſtituti Feſti Paſchalis: Poſterius (ut videtur) ex obſervantiâ antiquâ & Patriarchali, jam antè Exitum ex Ægypto, in ordine ad tempus Creationis; licet Philo Alexandrinus, *Lib.* III. de Vitâ Moſis, ἐαρινὴν ἰσημερίαν *vernum æquinoctium*, undè primus menſis Moſaicus, vocet τὴν ἀρχὴν *principium* Mundi. *Niſan* igitur menſis primus ratione primi Feſti, & cum σχέσει ad Feſtorum reliqua tempora; *Tiſri* primus, extrà rationem Feſtorum, quoad tempus civile, undè etiam putati anni *Sabbathici* & *Jubilæi*. Ab illo, in rebus Eccleſiaſticis, ab hoc in rebus Politicis initium ductum. Confirmant Joſe-

 phus

phus *Antiq.* L. I. c. IV. & constans observantia Judæorum.

Et hæc quidem ratio fuit anni Civilis Hebræorum, usque ad tempora jugi Macedonici. Nec vivo tamen Alexandro, ut malè Judæi, post congressum ejus scilicet cum Jadduâ summo Sacerdote, verùm annis à morte Alexandri XII. à I. Seleuci Nicanoris Asiæ Imperatoris, antè *Æram* Christianam annis 312. undè incipit *Periodus Calippica*. de quâ alibi. Indè fluunt anni *Alexandræi*, sive *Græcorum*, Hebræis anni *Contractuum*, ut suprà *Num.* VIII. Et his usi deinceps Judæi in *Civili* annorum ratione, etiam Historici, Josephus, Libri Maccabæorum: Sive jam ad *Paschales* rationes suas adhibuerint, ut contendit Scaliger, methodum *Calippicam*, ex IV. Cyclis *Enneadecaetericis*, sive decemnovennalibus, de quibus Cyclis prolixè Introductio nostra ad *Chronol. S.* à p. 57. ad 68. sive ut Petitus, Petavius, & alii observarunt, *octaeterides* Lunares Græcorum qui hoc spatio *tres menses* intercalabant; sive propriam intercalandi rationem, adæquando excessui motus Solaris. Porrò Josephus horum annorum caput constituit in mense *Autumnali*, sive ὑπερβερεταίῳ Syro-Macedonico, cum Exoticis Scriptoribus: Sed author Libri I. Maccabæorum, in *Nisan* antecedente, quod caput anni *Ecclesiastici* fuit, cujus *Nisan* XIV. vel in Æquinoctium, vel in proximum ab illo diem cadebat, quâ de re pluribus Petavius, & alii. Vide & infrà Diagramma Mensium Hebræorum.

Tandem successit nova *anni Judaici* forma, indè à R. *Hillele* principe Synedrii M. tempore

pore Conſtantii Imperat. incipiens ab anno Æræ Contractuum 670. Æræ Chriſti Vulg. 358. Quando nempè miſsâ priori intercalandi ratione, & obſervandi primas Lunæ *phaſes*, in conſtituendis Neomeniis, quæ Edicto Synedrii Judaici decernebantur, conſtituit ex Aſtronomicis & Chronologicis rationibus novum *Cyclum decemnovennalem*, eundemque accuratiſſimum, ſibi & poſteris perpetuò obſervandum. Ità tamen ut anni *Solaris* quàm exactiſſima ratio habita quoque à Magiſtris fuerit, diſtributo anno in 4. partes æquales, ſeu anni cardines *Tekuphas* appellatas, obſervatis momentis, ſeu *ſcrupulis* horariis, quibus Sol novam *Tekuphanr* ingreditur, ſeu primum punctum Æquinoctiale, vel Solſtitiale: Quæ variant prout anni *biſſextiles* ſunt, vel *primus*, *ſecundus*, *tertius*, à biſſextili: de quibus Scaligerum, Petitum, Petavium, Calviſium, Seldenum de Anno Judaico, alioſque conſulas. Simul & putati tùm anni fuerunt ab *Orbe Cond.* calculo Judaico, quæ vulgò Periodus Judaica; de cujus vitio dictum ſuprà eſt *Num.* v.

XI. *De annis Civilibus Veterum Ægyptiorum, Chaldæorum, Perſarum, qui olim æquabiles, & vagi. Fixi quando.*

Quam ſuprà anni rationem diximus fuiſſe Patriarcharum, & ante-Diluvianorum, eadem *Chaldæorum*, *Sabarum*, *Ægyptiorum*, *Perſarum* veterum fuit, & aliquando *Græcorum*, antè

formam Lunarem introductam, de quâ posteà. De *Ægyptiis* res certissima. sed & de *Chaldæis*, prout simillima utrisque Sacra fuerunt, ità & Annorum ratio. Constat posterius ex annis *Nabonassareis*, qui & Ægyptii vocantur, & æquabiles.

Nempè his Gentibus *annus* fuit Solaris, dierum 365. sine diei quadrante, & sine intercalatione; *menses* vero XII. singuli dierum nonnisi 30. qui efficiunt dies 360. Hinc additi in fine, extrà mensium ordinem, dies v. qui dies ἐπαγόμεναι, ut exurgerent dies 365. Aliàs *appendices*, *accessorii* dies, *assumptitii*, etiam *furtivi* κλοπιμαῖοι, ex fabulâ de Mercurio, hos dies à Lunâ suffurato. Arabibus النسي *alnesi*, νισὶ, quod Linguâ Ægyptiacâ *assumptitium* esse, docuit Salmasius, & ex eo observavit Jac. Golius.

Caput horum annorum fuit, Nemeonia mensis *Thoth*, qui primus mensis Ægyptiorum, sed vagus idem, nempè spatio annorum 1460. vagatus per omnes menses anni Juliani. Ità 1. anno *Nabonassareo*, incepit Thoth Ægyptiorum cum XXVI. Febr. Juliani, secundùm *Canonem Mathematicum* Ptolomæi, de quo suprà. Ac singulis *quadrienniis* Julianis, *uno* semper die retrograditur Ægyptius sive Nabonassareus, seu *uno* die hujus principium antevertit principium anni Juliani, singulis *octenniis* diebus *duobus*, & ità porrò; scilicet ob non additum *diem intercalarem*, ex diei quadrantibus exurgentem, anno Juliano. Ità tamen ut indè pateat, intellexisse Ægyptios eum defectum quadrantis Juliani, undè illa anticipatio *diei* unius, *quadriennio* quolibet vertente. Undè etiam patet,

tet, ex multiplicatis 365. per 4. exurgere 1460. quâ annor. periodo Nabonassarei anni, sive Ægyptii, [excesserunt annos Romanos *anno uno*, scil. 1461. mensibus intereà singulis anni Ægyptiaci per omnes menses anni Juliani retrogradiendo divagatis. Et ob rationem eandem, quum Σῶθις seu *Caniculæ* caput, fixum esset apud Ægyptios, singulis quadrienniis debuit promoveri uno die; puta à primo *Thoth* ad secundum, tùm ad tertium &c. Et sic totum anni contextum pervagabatur illud *Caniculæ* caput, spatio annorum Julianorum 1460. Ægyptiorum 1461. Undè periodus *Sothiaca*, sive *Cynica*, quâ finitâ annus Ægyptiorum cum Solari vel æstivo redibat in gratiam. Et sic *caput* anni Ægyptiaci primitùs Σῶθις fuit, seu Sotheôs exortus, propè *Cancrum*, seu solstitium æstivum.

Postmodùm verò annus Ægyptiorum apud *Alexandrinos*, evasit ex vago *fixus*, etiam antè Augusti tempora, admissâ intercalatione, & fixo capite *anni*, à *Thoth* mensis Neomeniâ, in XXIX. *Augusti*. Præterquàm in anno qui intercalarem proximè sequitur, quando incepit Neomenia Thoth à XXX. *Aug.* ob diem ad præcedentis anni finem adjectum, inter XXVIII. & XXIX. *Augusti*. Tandem sub jugo Romanorum, ab omnibus *Ægyptiis* admissa anni Alexandrini seu intercalaris forma, cum Julianâ in quantitate concordans. Et etiamnum hodiè *Thoth* Ægyptiacum incipit à XXIX. *Aug.* à tot Ægypto. Ratio verò figendi anni caput in I. *Thoth*, non una fuit Alexandrinis: Nempè, exundatio Nili eo die, quo aquæ ad summum excreverant; finis XL. dierum adurentis

omnia Caniculæ ſeu Syrii; initium anni æſtate & autumno temperati.

Hic annus Ægyptiacus fixus, ſub Romanorum dominatu, vocari cœpit *Actiacus*; nempè in memoriam Actiacæ victoriæ, v. annis poſt Æram Actiacam, A. *Per. Jul.* 4689. ut ex Ptolemæo, & Theone Alexandrino, fusè Petavius *Lib.* x. Ratio, quia eo quidem anno *Actiaco* v. utriuſque anni, Alexandrini & vagi Ægyptiaci caput, in eundem diem concurrerunt, xxix. Aug. Et tùm popularis annus Ægyptiorum, vagus ille, figi aſtringique cœpit per Emboliſmum, ſive diem adjectitium in 4. anni fine. Manſit tamen diſcrimen hujus anni *Ægyptiaci* fixi, ab anno *Juliano*, tùm quoad *principium* anni diverſum; tùm quoad *intercalationis* locum; tùm quoad *menſes* diverſos, ſervatis apud Ægyptios v. ἐπαγομέναις, & retentis menſibus dierum xxx.

Annum *æquabilem* Ægyptiorum, dierum ccclx. cum v. ἐπαγομέναις, obſervarunt etiam *Perſæ* veteres, ſed inſertis diebus illis v. in anni *medio*, poſt *Aban* menſem vel *Aban-mah* qui octavus, non in anni *fine*, ut Ægyptii. Præterea *quadrantis* diei, quo deficit annus Ægyptiacus, habita à Perſis ratio fuit, factâ ſuo tempore intercalatione *menſis* unius, dierum xxx. poſt annos 120. Nempè hic numerus exurgit ex 4. ductis in 30. quùm *quarto* quoque anno, quatuor quadrantes diem unum efficiant. Ac promovebant intercalationem de *menſe* in *menſem*, à primo menſe in ſecundum, hinc tertium, &c. Unde ſpatio annorum 1440. ductis 12. in 120. redibat interca-

la-

latio ad priorem mensem, quæ ipsis *Periodus Embolismalis*.

Posteà verò, sub jugo Macedonico, post Alexandri M. de Persis triumphum, acceperunt Persæ annum *Macedonicum*, & Græcam *intercalandi* rationem. Rursus sub Muhammedis dominatu, omnem intercalandi rationem repudiarunt, retentâ *æquabili* annorum ratione Ægyptiacâ, 365 dierum, seu mensium τριακονθημέρων, cum v. *Epagomenis*, quas *Musteraka* vocant, seu dies *furtivos*, ut suprà. Hi anni etiam vocantur *Yezdagirdici*, ab *Yezdagirdo*, ultimo Persarum rege à Saracenis interfecto, qui auspicatus imperium est, anno Hegiræ XI. Junii nostri XVI. ut infrà ad Epochas Novi Test.

Tandem *Persæ* novam anni formam introduxerunt, annis post Jezdagirdum 419. Rege *Gelalo-daula Salgucidâ*, undè Calendarium *Gelalæum*. Nempè fixerunt anni caput in *Æquinoctio verno*, à *meridie*, post ingressum Solis in *Arietem*, qui primus evasit mensis *Ferurdin* Gelalæi, XVIII. tùm diebus adjectis ad præcedentis anni finem. Scopus fuit, ut panegyris seu festivitas *Neuruz*, ac si quæ aliæ, eodem semper die celebrarentur. Undè annum descripserunt ex diebus 365. horis 5. cum additis *Scrupulis* horariis, ut annus esset Tropicus, motui solari quàm exactissimè respondens. Sed ità ut intercalatio *diei*, ad *quintum* annum prorogata fuerit, postquam *quarto* anno septies vel octies fuisset intercalatum, quando fuit annus dierum 366. Ratio prorogationis in v. annum, quia *quarti* anni intercalatio minor esse debet uno die integro; quæ

ratio fuit castigati anni Juliani per Gregorium XIII. Quâ de re videsis Golium nostrum ad Alferganum, & Chronologos.

XII. *De anno Græcorum, cumprimis Atheniensium; deinceps Macedonum, Syro-Macedonum, Asianorum.*

Græcorum annum varias mutationes passum, variis reformatoribus, una omnium consensio est. Prout nempè increvit apud eos scientia *Siderum*, partim ab Ægyptiis accepta, partim propriis insignium Astrologorum observationibus firmata. Accessit deinceps, sub Macedonico dominatu, nova anni forma *Macedonica* à Græcis & Asianis recepta.

Antiquissimum Græcorum *annum* fuisse *Ægyptiacum* & *æquabilem*, de quo modò dictum est, ex Herodoto, Aristotele, Hippocrate, Plinio, cæterisque, pridem à Scaligero & aliis observatum. Sive jam à Thalete Milesio post ejus in Ægyptum profectionem, ut Laërtius, accepissent eam anni formam, sive pridem antè Thaletis tempora, cui Solon suppar fuit. Hoc modo descriptus illis annus fuerit diebus 360. mensibus singulis τριακονθημέροις *tricenariis*, undè vulgatum ænigma Cleobuli, addendis tamen in fine, Ægyptiorum more, diebus adjectitiis v. Sed quicquid ejus sit, (strenuè negantibus aliis hos menses *tricenarios* Græcorum) in eo diversi ab Ægyptiis, quod diei *quadrantem*, suprà 365. intercalarint jam olim Græci, suis tetraëteribus. Multi etiam censent Græcos vetustiores à *brumâ* an-

annum exortos, quia intercalatio facta ad *ποσιδεῶνα*, qui *Decembri* noſtro reſpondit. Ac non unum in his aſſertum Joſ. Scaligeri, puta de Græcorum annis ac menſibus *Solaribus*, de appendice *ſeptem* dierum, de *duobus* diebus ἀνέρχοις, de *Tetraëteridum* & *Octaëteridum* totâ ratione, de Ægyptiorum intercalatione *quarto* quoque anno &c. caſtigant Dion. Petavius, Leo Allatius, J. Seldenus, & alii.

Certum verò eſt, ſaltem indè à *Solone* Legiſlatore, qui Rempubl. Athenienſium & tempora ordinavit, Olympiade XLVI. Atticum annum civilem ſive popularem, κατὰ πόλιν, conſtitiſſe ex menſibus *Lunaribus* XII. qui ſinguli ferè dierum XXIX. cum *dimidio*. Quo factum, ut alternis fuerint menſes πλήρεις *pleni*, ſeu *æquales*, dierum XXX. alternis menſes κοῖλοι vel κυλοὶ *cavi* vel *mutili*, ſeu *inæquales* dierum XXIX. Anni Menſiſque principio in νεμηνίᾳ ſeu *novilunio* conſtituto. Et ſic annus Lunaris fuit, dierum 354. adeòque minor Solari diebus XI. cum quadrante vulgò. Atque indè etiam factum, ut aſſequendo Solari illi exceſſui, & ſervandæ concordiæ utriuſque Sideris, ſeu ut eſſet *annus Luna-Solaris*, adjecerint menſes ἐμβολίμως intercalares. Ac primò *bienniis* ſingulis exactis, ſeu alternis annis, παρ' ἐνιαυτὸν, videntur addidiſſe alternos dies modò XXII. modò XXIII. in anni fine, undè διετηρίδες, quæ & τριετηρίδες quandoque dictæ, recurrentes tertio quoque anno. Deindè, poſt Solonem, primus Cleoſtratus clarus Olympiade LVIII. inſtituit Lunarem ὀκταετηρίδα, in civilibus Athenienſium temporibus, mox correctam ab Harpalo, ut quæ ſeſqui-die deficeret.

D 6 Nem-

Nempè in totâ octaeteride, seu VIII. annorum spatio, (ἐννεαετηρίδα etiam appellarunt, nono quoque anno redeuntem) *tres menses* intercalarunt, tricenarios singulos; seu dies 90. id est octies XI. dies, cum octo quadrantibus, qui addendi supererant octo annis Lunaribus, dierum 354 singulis. Et quidem facta intercalatio, non anno demùm *octavo*, ut Macrobius, & alii, sed anno octaeteridis *tertio*, *quinto*, & *octavo*, qui anni tum fuêre Embolimæi, ut ex Gemino & aliis laudata nomina. Posteà & animadverso in his Octaeteridibus vitio, nec præcisam fieri æquationem Solis & Lunæ, inventa ἐννεαδεκαετηρὶς, seu Cyclus *decemnovennalis*, qui & Metonicus, à Metone Atheniensi Astrologo, filio Pausaniæ, Olympiade exeunte LXXXVI. emendaturo deindè & hujus excessum Calippo Cyziceno *Olymp.* CXII tempore Alexandri M. Sed Cyclum *decemnovennalem* magis τεχνικὸν fuisse, quàm πολιτικὸν, servatis in usu Civili *Octaeteridibus*, multis Petavius. Parùm verò in omni illâ temporis Græci ratione convenit inter veteres, & recentiores.

Principium quod attinet, undè annum exorsi sint Græci, videntur aliquando duxisse à *brumâ*, *Gamelione* mense, qui Januario respondit. Nam intercalatio facta ad ποσειδεῶνα, proximè antè solstitium hybernum, quando addidêre ποσειδεῶνα δεύτερον, in anni, ut videtur, fine. Et ità Iphiti tempore, fuisse anni exordium in brumâ, ipse Petavius, quanquàm *incerta* esse ista fateatur. Ut verò menses à νουμηνίᾳ seu *novilunio* exorsi, (sive jam à συνόδῳ, sive à primâ Lunæ φάσει) ità & annum.

Et-

Et quidem Athenienses, indubiâ tot Veterum fide, inchoarunt istum à Neomeniâ quæ μετὰ τὰς θερινὰς τροπὰς, seu quæ *solstitium æstivum* proximè sequeretur, Sole *Cancrum* ingresso. Petavius licet, quandoque hanc Neomeniam præcesisse ipsum solstitium, satisque Græcis fuisse, ob Ludorum solemnia, si *Pleni-lunium* τὰς τροπὰς sequeretur.

Rursus τροπῶν θερινῶν *solstititii æstivi* figendi, quando Sol Cancrum ingreditur, qui 1. dies καρκινῶνος *Carcinonis*, non constans apud Athenienses ratio fuit, ob *inæqualem* Solis in Signis Zodiaci motum, κτ̓ τὰ φαινόμενα, & dubias Signorum eorum *partes*, in quibus fiant Solstitia, & Æquinoctia. Hinc aliter atque aliter *Cœlestium* sive *Solarium* Mensium initium (uti primum Κριῶνος, quando Æquinoctium vernum, hinc primum Καρκινῶνος, quando Solstitium æstivum, tum primum Ζυγῶνος, tandem Αἰγῶνος) statuerunt Iphiti tempore, dein Metonis & Euctemonis, postremò Calippi illo, qui Aristoteli & Alexandro coævus, ex Ptolemæo, Gemino, Simplicio in Aristot. & aliis. Olim igitur primus Καρκινῶνος, seu τροπαὶ θεριναὶ, fixæ in diem *octavo Julii* respondentem, deinceps retroactæ ad XXVII. *Junii*, quâ de re multis Usserius. Hinc proximè sequens Νεομηνία initium Ἑκατομβαιῶνος, & anni Attici. In *Plenilunio* verò ejusdem mensis peragebantur *Ludi Olympici*, Jovi Olympio apud Elienses Sacri, & ab Iphito instaurati, instituto πεντάθλῳ. Ac tempore 1. Olympiadis incidit Plenilunium in diem qui XXIII. Julii respondit, Neomenia verè in Julii IX. Sole tum Cancrum ingres-

ſo. Et quum dies *quinque* fuerint iſtis Ludis attributi, primus eorum incidit in Lunam XI. id eſt *Julii* XIX. ultimus demùm in Lunam XV. ſeu *Julii* XXII. quando τέλειος ὁ κύκλος *perfectum plenilunium* fuit.

Hactenùs de vetere Græcorum & Athenienſium anno, circà quem obſcura multa & perplexa. Sequitur annus novus *Macedonicus*, recipiendus à Græcis, & Aſianis, poſt victoriam Alexandri M. ad Granicum, quando ad Macedonas defecit pars major Aſiæ. Mutatio fuit, quâ menſes ex *Lunaribus*, quales anteà & Macedonum illi fuerant, (quorum ex. gr. Ξανθικὸς reſpondebat Hebræorum *Niſan*, Atticorum Ἐλαφηβολιῶνι &c.) *Solares* evaſerunt; ac principium anni non ampliùs in Neomeniâ *Solſtitii æſtivi*, ſed in *autumnali Æquinoctio* fixum conſtitutumque fuit. Hinc igitur primus menſis Macedonum Solaris, Δῖος ipſis appellatus, reſpondens cœleſti Menſi ζυγῷ, quando Sol ζυγὸν ſeu *Libram* ingreditur, Juliani *Septembris* XXIV. ſeu VIII. *Kal. Oct.* Et hoc commune anni principium omnibus qui ſervârunt anni formam Macedonicam, uſque Æra Seleucidarum, quæ & Græcorum, & Syro-Macedonum, id eſt Aſianis, quos inter Pergameni apud Galenum, Bithyniis, Paphiis Cypriis, Antiochenis, certè antè Julium Cæſarem, omnibus tandem Σύροις vel Syro-Macedonibus. Indè quoque *Indictionum* Cæſarearum caput fuit, ad Kalendas Sept. poſteà retractum. Syri verò Antiocheni, ac reliqui, poſt Julium Cæſarem à *Kal. Octobr.* videntur annum inchoaſſe. Hinc in anno Syriaco, qui totus Julianus eſt, ità menſes diſpoſiti, ut

This.

Tishrin prior, qui anni caput, *Octobri* Juliano, cum eo incipiens & finiens; *Tishrin posterior* Novembri respondeat, & sic deinceps. Quanquàm Evagrius & alii videantur Annos Antiochenos, inchoare à *Kal. Septembribus*; quod & initium fuit Anni Constantinopolitani. Priorem anni mensiumque rationem, & cum Romanis συζυγίαν, servat in Annalibus Alex. Eutychius, Ibn. Batrik, aliique Orientalium. Igitur ut Δῖος Macedonicus fuit primus mensis *autumnalis*, cujus Νουμηνία in XXIV. Sept. sic Περίτιος mensis primus *brumalis*, cujus initium XXIV. Dec. Ἀρτεμίσιος primus *vernus* à XXV. Mart.; Λῶος primus *æstivus*, à XXV. Junii; omnium postremus Ὑπερβερεταῖος, à XXV. Aug.

Sed verò non par apud omnes mensium civilium in anno dispositio est; quod præprimis observandum in lectione Historicorum. Nam qui ultimus apparet inter Macedones, Europæos, Pergamenos, Ephesios, aliosque, Ὑπερβερεταῖος *Hyperberetæus*, (uti apud Galenum,) idem apud Syro-Macedones, & Smyrnæos, hinc apud Josephum Ἀρχαιολόγον, & in monumentis Ecclesiasticis variis, apparet primus; Δῖος demùm mensis secundus. Cujus rei rationem ex Plutarcho in *Vitâ* Alexandri, ad Granicum contrà Persas pugnaturi, pluribus exposuit Usserius in Anno Asiano. Quum enim ageretur tum mensis Δαίσιος Macedonicus, Majo ferè nostro respondens, quo religio erat educere exercitum: monitus hac de re Alexander, edicto jussit agi δεύτερον Ἀρτεμίσιον, seu *iterari* mensem præcedentem Ἀρτεμίσιον. Exindè factum, ad rei memoriam, ut retinuerit appellationem *Artemisii*, qui anteà *Dæsius* mensis; sicque *antecedentium* men-

mensium appellatio ad *subsequentes* menses translata sit. Quare, qui postremus antè mensis fuit, *Hyperberetæus*, evasit apud istos primus, Δῖος secundus, & sic porrò.

Nec desunt aliæ confusorum nominum mensiumque rationes, dùm idem nomen, v gr. Ἀπελλαῖος, Romanorum *Augusto* applicatur apud Epiphanium, *Hær.* XI. nempè juxta Achivorum formam; aliàs *Hær.* LI. *N.* XXIV. mensi Autumnali secundo, qui incipit XXIV. *Octobr.* nempè juxtà novam quam diximus formam Macedonum; idem tamen juxtà Syro-Macedones respondens mensi Autumnali tertio, ineunti XXIV. *Novembr.* Olim verò Ἀπελλαῖον, quum mensibus Lunaribus uterentur adhuc Macedones, tempore Philippi Regis, respondisse mensi *brumali* primo, seu Atheniensium *Gamelioni*, prout in ejusdem Philippi literis ad Peloponnesios Lous Macedonicus cum *Boëdronione* Atheniensium componitur, ex Usserii Laterculo intelliges, Dissertat. *Cap.* I. Mittimus alia confusorum mensium exempla in utrâque Historiâ: quomodò v. gr. de mense natali Alexandri Macedonis diversissima Plutarchus, Ælianus, & alii; Λῷον Macedonicum ejus ævi malè applicantes hic ad *Thargeliona*, iste ad *Hecatombæona* Atheniens. Sed & perturbatus ordo *Atticorum Mensium*, quorum plurimi Authores, etiam Veteres, ex gr. Μαιμακτηριῶνα, & Ἀνθεστηριῶνα, præpostero ordine locarunt: Sic & Ποσιδεῶνα, ut infrà in collatione Mensium; alios etiam cum *Mensibus Romanis* diversimodè contulerunt. Sed nec hujus ista loci sunt; nec jam vel *Harpocrationem*, vel *Theod. Gazam*, & qui hos secuti, ad partes vocamus. Multus in his est Petavius, ad Uranologium, etiam Ani-

Animadversionibus ad *Epiphanium Hær.* LI. Unde posteà confusioni vitandæ, additi passim in Ecclesiasticis Tabulis, ordinales numeri, v. gr. mensis Asianorum aut Macedonum *primi*, *septimi* &c. quod factum utinàm fuisset semper.

XIII. *De anno Romano vetere, tùm antè Julium Cæsarem, tùm indè à constituto anno Juliano; deque emendatione Augusteâ.*

De anno *Romanorum* veterum, cùm antè Julium Cæsarem, tùm indè à Julio, à quo annus Julianus, à Gregorio Pontifice castigandus, verbum dicendum est. Quamvis incerta plurima, obvia alia, & prolixissimè discussa Chronologis, ubi de anno *Juliano*, & *Gregoriano*. Nos hæc pauca.

Romulum x. modò mensibus annum descripsisse, quorum primus à *Martio* inciperet, ferè omnes indè à Livio, Varrone, Cicerone, Ovidio, Suetonio, Plinio, Solino, &c. Macrobio etiam urgente. Scaliger licet XII menses jam à *Romulo* derivet, & à Latinis, cum paucis Veterum, de quibus Censorinus. Sed & in his alia adstruxit Scaliger, flagellanda Petavio. Quomodò nec de mensium Romulinorum *diebus*, nec de anni *quantitate*, an diebus CCCIV. an CCCLIV. an CCCLX. ut alicubi Plutarchus, convenit Eruditis. Id constat, ignarissimum fuisse Romæ conditorem cœlestium motuum, viderique mutuatum anni.

ni rationem five ab Albanis, ut Cenforinus, five à Latinis.

De *Numæ Pompilii* emendatione, certa alia, alia dubia & controverfa. Certum 1. de iis menfibus, qui fub Romulo fuiffent dierum xxx. & quales *fenos* fuiffe tradunt, dempfiffe unum diem Numam, feciffeque fingulos dierum xxix. dùm reliqui effent xxxi. fc. *Martius*, *Majus*, *Quintilis*, & *October*, qui foli hodieque in Calendario Romano *fex* Nonarum dies habent, reliqui *quatuor*. 2. Sub Numâ menfibus xii. conftitiffe annum Romanum; addendis *Januario*, cui dies affignati xxix. (uti *Aprili*, *Junio*, *Sextili*, *Septembri*, *Novembri*, *Decembri*) & *Februario* cui nonnifi dies xxviii. 3. *Imparis* numeri religione ductum fuiffe Numam, ut patet ex dierum imparium numero, fingulis menfibus affignato: Indèque *Februarium* infauftum fuiffe habitum, Februo feu Diis Manibus hinc confecrandum. 4. Anni quantitatem fuiffe *Lunarem*, uti apud Græcos veteres, ac conftitiffe annum communem ex diebus 354. cum *uno* die addito ex fuperftitione, cui nec certa fedes adfcripta, ut impar effet numerus dierum 355. Quo factum, ut biennio exacto exceffus Solis, fuprà dies 355. effet modò dierum xx. horarum xii. circiter. Undè *intercalationi* feciffe locum Numam, indubium eft, exemplo Græcorum, at quali, incertum effe contendit Petavius, nec *Merkedonium* à Numâ inftitutum. Quicquid fit, ità conftat intercalatum, ac fi *dies* ille *fuperfluus*, & ex fuperftitione adjectus, nullus fuiffet, manfiffetque exceffus Solis *dierum* xi. cum $\frac{1}{4}$. 5. Etiam ad *Lunæ* φάσις refpe-

ſpexiſſe partitionem illam menſium, in *Kalendas*, *Nonas*, *Eidus*, retentam à primâ Urbis origine, etiam à Julio Cæſare; qui nec mutavit ordinem *Nonarum* in quatuor menſibus Romulinis. 6. Annum inchoaſſe à *Januario*, mediâ brumâ, Sole à Solſtitio hyberno ad nos redeunte, undè menſis ille *Jano* ſacer; quem *Martius* tum quidem excepit; terminaſſe verò in *Februario*, menſe tunc poſtremo,

Qui ſequitur Janum, veteris fuit ultimus anni.

Quod & pauciores *dies* illius Menſis; & *Terminalia* eodem menſe, quaſi anni terminus, die XXIII. Febr. qui ultimus antè *Regifugium*; & *intercalatio* ad illum menſem facta, ſatis indicant, & confirmat Macrobius, *Lib.* I. Saturnal. C. XIII.

De cætero inter ἀντιλεγόμενα ſunt ac controverſa, ex. gr. 1. A quo *Februarius* in menſium ordine *ſecundus* conſtitutus ſit, quod aliquot poſt U. C. Seculis factum, contendit Petavius, certè longo poſt Numam tempore. Ovidius,

Poſtmodò creduntur ſpatio diſtantia longo
Tempora bis quini continuaſſe Viri,

ſeu Decem-Viri Sacrorum. Alii viri Docti, à Macrobio præcipuè inducti, à Numâ ipſo, ſed ſeriùs, factum cenſent. 2. A quo *Merkedonius* menſis adjectus ſit, tanquam Embolimus altero quoque anno, iſque dierum modò

XXII. modò XXIII. Addendus idem post d. XXIII. Februarii, qui dies dictus *Terminalis*, quasi anni terminus, uti olim fuerat, & quoniam immediatè præcedat diem *Regifugii*, seu Romanæ libertatis, qui fuit XXIV. Febr. seu VI. Kal. Martii. Resectis ità ex Februario v. diebus, sed addendis per modum appendicis in fine mensis Embolimi, ut v. ἐπαγόμενας addebant Ægyptii, Chaldæi, Persæ. 3. Quid de *Romanâ Periodo* statuendum sit, de quâ Livius, Macrobius, alii, Scaligero in alia eunte. Quanquàm omninò XXIV. *annorum* spatium censeri debeat, quibus exactis demebanter dies XXIV. ut æquarentur Solis Lunæque rationes. Erant autem illi superflui, ob *diem* à Numâ *quotannis* additum ad dies 354. & cujus ratio nulla habebatur in intercalando Merkedonio. Nec plura hic modus permittit.

Succedit annus Romanus vulgò *Julianus*, cujus deinceps usus in omni Chronologiâ, & collatione Epocharum. Nempè Julius Cæsar annum ex *Lunari*, aut *Luna-Solari*, constituit merè *Solarem* seu *Tropicum*, exigendum deinceps ad motum Solis; eumque adeò dierum 365 cum *quadrante*, seu sex *horis*, inchoandum semper à Kal. Januarii. Nec una ratio fuit Cæsari Dictatori & Pontifici emendandi Calendarii 1. Fœda ejusdem *corruptio*, ac vitium non unum, hinc perturbatio temporum, per priorum Pontificum *licentiam*, penes quos fuerat *intercalandi* cura atque provincia, ut ex Cicerone, Suetonio, & aliis constat. Nam v. gr. ut citiùs vel tardiùs abirent *Magistratu*, qui annuum gerebant; ut longior *Vectigalium* redemptoribus esset annus, vel

vel brevior, in lucrum vel damnum; ut etiam vitaretur concursus *Nundinarum*, cum Kalendis Januariis, uti cum Nonis, aut alio die Romanis Sacro; & si quæ id genus aliæ causæ his Pontificibus essent, pro libidine aut non omninò, aut pessimè intercalabant, modò plus, modò minùs. Quo factum ut *Januarius*, anni caput, aliquando in Septembrem, vel in Octobrem Julianum inciderit. 2. Accessit consuetudo Julii Cæsaris cum *Ægyptiis*, qui anno Solari uterentur dierum 365. quanquàm sine intercalatione. Quâ additâ, ut factum à Julio est, aptissima sanè visa est hæc mensura temporum, ac motui Solis quàm proximè respondens. Nec parùm etiam faciebat ad decus novi Dictatoris ex Ægypto modò reducis, restituisse tempora; Sosigene insigni in Alexandrinis Mathematico, operam commodante, explorant eque tùm & *Lunæ* cum *Sole* conjunctiones, ut cum Neomeniâ annum inciperet, & *Solis* in signa ingressum, sive δωδεκατημόρια, cumprimis in IV. signa cardinalia *Arietis*, *Libræ*, *Cancri*, *Capricorni*, ad VIII. Kalendas circiter, ut ipsa Æquinoctia & Solstitia quasi in *Kalendas* sequentium mensium inciderent, *Octavas* signorum partes. Ita solstitium brumale in Kalendas Januarias, undè illud Ovidianum,

Bruma novi prima est, veterisque novissima
Solis;
Principium capiunt Phoebus & Annus idem.

Nam in *octavis* signorum partibus confici Æquinoctia

noctia, & Solstitia, putavit tum cum aliis Sosigenes.

Tempus restituti Calendarii, quando incepit annus *Restitutionis*, idemque annus *Confusionis*, ob insolitam intercalationem, sed confusionis ultimus, magno consensu incidit in annum U. C. 707. *Per. Jul.* 4667. Coss. Julio ipso III. cum M. Æmilio Lepido, ab *Octobri* mense tùm anno inchoato; qui desiit adeò cum anno U. C. 708. *Per. Jul.* 4668. Ut sic annus Julianus I. qui excepit annum eum Confusionis, incipiat à *Kal. Jan.* A. Urbis Cond. 709.

Per. Jul. - - - - 4669.
Olymp. CLXXXIII. anno - - - 3.
Anno Nabonassareo, Septembri - - 704.
Antè Æram Christi Vulg. - - - 45.
Julio Cæs. IV. & M. Lepido Mag. Eq. *Coss.*

Modus restitutionis fuit, quo I. Emendandæ priorum temporum labi, annus ille Confusionis constitit, primò ex diebus ordinariis anni Pompiliani. - - - - 355.
hinc ex *Merkedonio*, eo anno intercalando, qui fuit, (quicquid Scaliger, & alii) dierum - - - 23.
tùm ex adjectis à Julio Cæs. *Mensibus duobus*, extrà ordinem, inter *Novembrem* & *Decembrem* inserendis, qui fuêre ut accuratissimi Chronologi, dierum - - - - 67.
Atque ità incepit annus ab *Octobri*, fuitque, aliter licet Manucius, Lucidus, Calvisius &c. statuant, dierum - - 445.

Num vero Ciceronis illa verba, *Epist.* ad Ligarium, *Libro* VI. ad Familiares, *Cùm ad* V. *Kal.* (alii

(alii II. *Kal.*) *Intercalaris prioris*, *venissem manè ad Cæsarem* &c. respiciant ad hunc annum Correctionis Julianæ, & ad *Kalendas primi* horum mensium, antè Decembrem intercalati, facilè cognoscitur ex tempore scriptæ Epistolæ.

2. Introducta nova *Anni* forma est; ut videlicet Annus *communis* esset dierum 365. quot diebus constitit annus Ægyptiacus æquabilis, additis diebus *decem*, ad Lunarem Numæ annum 355. Esset verò annus *embolimæus*, seu *intercalaris*, rediturus anno quovis *quarto* exeunte, vel ineunte *quinto*, dierum 366. supplendis nempè illis *sex* horis, seu diei *quadrantibus*, quos neglexerant Ægyptii, & qui quarto quoque anno diem efficiunt. Sedes verò intercalationis mansit quæ prior, nempè VI. *Kalend. Martii*, seu XXIV. Febr. undè dies ille insertus, inter Terminalia & Regifugium, dictus *bissextilis*, sed & annus *bissextilis*, ob *bis* eo anno repetitum *sextum* Kal. Martii, ne dies embolimæus augere videretur numerum dierum ordinariorum mensis. Sive jam idem ille annus Julianus fuerit *bissextilis*, deinde Julianus V. IX. XIII. &c. sive, ut quidam alii & Petavius, *bissextilis* fuerit ipsissimus annus Confusionis qui Julianum I. antecessit. Quamvis prius statuendum, secundùm *Æram* vulg. Dionysianam, quâ natus est Christus exeunte Juliano XLV. ipso exeunte quoque *bissextili* anno, undè bissextilis fuerit Julianus I. Quo fit, ut annus I. Æræ Vulgaris sit proximus à *Bissextili*, atque adeò dato anno Æræ Christianæ, eodemque *diviso* per 4. facile sit cognoscere, ex residuo à *quaternariâ divisione*, qualis sit an-

nus,

nus, an Bissextilis, an Communis, & quotus?

3. *Menses* pariter *Solares* à Julio constituti, qui essent alterni dierum XXXI. indè à Januario, & XXX. præter Februarium, qui esset dierum XXIX. deinceps ob additum diem unum *Sextili*, tantùm XXVIII. sublatâ sic superstitione imparis numeri, quum anteà menses essent dierum XXIX. aut XXXI. Et quidem incidit I. Januarii, anno Juliano primo, in ipsum *Novilunium*, proximum à *Solstitio* hyberno

Mirum verò videatur, in re tam manifestâ, mox à Julio aberrasse Pontifices, & si Suetonio ac Solino fides, intercalasse diem Bissextilem non *quarto* quovis anno exeunte sed *tertio*, ex ternis ità quadrantibus *diem* constituendo. Quo factum, ut spatio XXXVI. annorum dies XII. intercalassent, qui IX. fuerant adjiciendi. Igitur Augustus Cæsar, ut superfluum illud *triduum* tolleret, annos XII. ἀνεμβόλους esse jussit; ab anno XXXVII. Juliano, vel potiùs XXXVIII. ut Censorinus, ad XLIX. à quo tempore rursùs processerunt, *quarto* quoque anno finito, *bissextiles*. Accessit & illud Augusti, quod eodem anno quo vitio Pontificum mederi decrevit, mensem *Sextilem* à se *Augustum* appellari voluit, eumque dierum XXXI. *Julio* æquandum, dempto die uno è Februario qui in anno Communi esset dierum XXVIII. sed hæc obvia.

XIV. De

XIV. *De Castigationibus factis per Gregorium XIII. Pontificem.*

Tandem successit ævo superiore A. 1582. anni *Juliani* castigatio per *Gregorium* Pontificem, operâ præcipuè Christ. Clavii Franci, undè annus *Gregorianus.* Postquàm frustrà priores Pontifices, etiam Concilia Constantiense, Basileense, Tridentinum, eâ de re laborassent, consultis Joh. Regiomontano, Paulo Middelburgensi, Nic. Copernico, Petro Pittaco Veronensi, aliis. Vitium nempè anni *Juliani* in eo fuit, quod major est *Tropico* vero, scrupulis horariis primis XI. circiter; dùm Sol cursum conficit, saltem juxtà plerosque Astrologos, (nec in hoc consensus est) diebus 365. horis 5. m.49. Igitur singulis quadrienniis, anni Juliani excedunt totidem Tropicos, scrupulis horariis minimùm 44. quibus fit προήγησις seu anticipatio Æquinoctii veri & cœlestis; Singulis verò annis 130. plus minùs, anni Juliani excedunt motum Solarem toto *die*, sive uno die anticipant Æquinoctia & Solstitia, ac præcedunt illum diem qui iis in Calendario deputatur. Igitur ab anno Juliano 1. antè Æram *Vulg.* annis 45. ad annum Reformationis Gregorianæ 1582. fluxerunt anni Juliani 1627. Quo temporis spatio facta προήγησις, in anno *Tropico*, dierum fermè *tredecim.* Demendus igitur hic excessus fuit in anno *Juliano*, ut cum Tropico rediret in gratiam. Sed terminus *à quo* emendationis factæ per Gregorium Pontificem, fuit annus Æræ Vulg. 325.

 quo

quo habita Synodus *Nicæna* Oecumenica, & quando *Æquinoctium* vernum, ut observatum Alexandriæ fuit, ac retentum posteà à Dionysio Exiguo, fixum est in XXI. *Martii*, cui proxima Luna XIV. esset *terminus Paschalis*, redituris in orbem iisdem terminis, & eodem die, in *Cyclo* Lunæ *decemnovennali*, sive Paschali; De quo fusè etiam nostra Introductio prior ad *Chronol. S.*

Gregorius igitur fixurus eundem verni *Æquinoctii* diem cum Nicænis, & *Terminos Paschales* in ipso Plenilunio, quod proximum Æquinoctio verno est, 1. *Decem* dies excessus Juliani, qui acciderat spatio annorum 1257. (totidem fluxerunt ab anno 325. ad annum 1582.) *eximi* jussit, inter IV. & XV. Octobris, & ob προηγησιν illam Solis, loco III. *Nonar.* seu V. *Octobris*, numeratæ sunt *Idus Octobr.* seu dies XV. ità loco XXII. *Dec.* 1582. putatus est 1. *Januarii* 1583. 2. In futurum ità prospexit Gregorius, per Aloysium Lilium, isti excessui anni Juliani, ut singulis annis 400. omitterentur *tres* intercalationes, seu *tres* dies bissextiles, *triduum* adeò minùs putaretur, quàm in formâ Julianâ, nempe tribus primis annorum expirantibus Centuriis, qui Cyclus *Tetracosieteridis* Lilianæ vocatur, à Scaligero vexatus, vindicatus Clavio, & Petavio. Et quia sic necesse fuit, ob *decem* dies exemptos, & *ternos* dies non intercalandos spatio annorum 400. interturbari rationes *Cycli Solaris*, currentis in anno Juliano, & mutari *Literas Dominicales* in Calendario adscriptas, præscripta per Lilium Methodùs est, inveniendi in anno Gregoriano Cyclum Solis, hinc Literam

ram Dominicalem, ex comparatione Cycli Juliani. Dùm enim Gregorius præter 7. *dies*, quibus totidem *Literæ* respondent, etiam 3. alios dempsit, hinc *tres Literæ* auferendæ sunt ordine retrogrado (quo procedunt semper Lit. Dominicales) post Dominicalem Julianam, & habebis Lit. Dominicalem Gregorianam eo anno, quæ semper quarta est à Gregorianâ: Ut si hoc anno 1689. sit Litera Dominic. Juliana F. demptis E. D. C. remanet Litera Gregoriana B. Sed nec hujus ista loci sunt; & succurrunt Tabulæ hunc in finem adornatæ, cognoscendis Cyclis, & Literis Dominicalibus: De quibus & nos *Introd.* priore ad Chronol. S. a *pag.* 52.

Verùm neque id satis erat, ut reducerentur *Termini Paschales* ad *Lunam* XIV. in quâ fixi à Nicænis. Alibi enim, in doctrinâ *Cycli decemnovennalis*, pluribus ostenditur, spatio illo annorum XIX. Neomenias anticipare ferè *sesquihorâ*; hinc spatio annorum 312. fieri προήγησιν Lunarem, *uno die*, cum minutis fortè quibusdam; tandem spatio annorum 1257. quot elapsi à Nicænis ad castigationem Gregorianam, factam esse προήγησιν Neomeniarum, diebus *quatuor* & ampliùs, Lunâ in anteriora recedente, v. gr. à 1. *Martii*, ad XXV. *Febr.* Undè Termini Paschales veteres incidebant non amplius in Lunam XIV. sed in Lunam XVIII. vel XIX. & sic nimis dilatum Pascha. Hinc igitur misso Lunari illo Cyclo, & Aureis Numeris atque Epactis prioribus, (vide Tabulas in præfatâ *Introd. ad Chronol. S.*) cujus Cycli vitium semper rediturum fuerat, alium Cyclum substituit Gregorius, cujus ra-

tionem Clavius in *Calendario Gregoriano*, & in *Apologiâ* exposuit, ut Origanum, Petavium, aliosque taceam, vulgatis Scriptis. Est is *Cyclus Epactalis* novus, juxtà quem ad singulos anni Juliani Menses, & Mensium dies, adscribuntur *numeri*, incipiendo à 30. ordine retrogrado, qui indicant ætatem Lunæ, Noviluniorum sede signatâ: Ut sic ad singulos Menses Julianos intelligatur προήγησις Noviluniorum, & in fine anni cujusque προήγησις Lunaris dierum XI. quibus Novilunia unius anni antevertunt illa anni sequentis. Ità in Tabulis Gregorianis Termini Paschales exactè respondent *pleniluniis mediis*, seu Lunæ XV. qui olim Lunæ XIV.

Rursùs quia singulis annis 312. exactis, *Neomeniæ* anticipant die *uno*, quæ προήγησις neglecta fuit in Cyclo Epactali vetere, ex dictis, requirit Liliana Methodus, ad faciendam æquationem, ut tùm sumantur Epactæ *præcedentes*, sive ut ascendendo Epactæ *unitate augeantur*. Tandem quia singulis centenariis, (*quarto* excepto) omittenda intercalatio *unîus diei*, ut suprà, hinc necesse sit uno die tardiùs accidere tùm Novilunia, statuit eadem, ut tunc Neomeniæ prolabantur ad Epactas *inferiores*, seu *unitate minuantur*; prout Epactæ Gregorianæ semper descendendo minuuntur. Sed non hîc Computistam agimus, nec Calendarium scribimus. Tabulas Epactales exhibent laudata nomina & Calendaria, & qui Institutiones Chronologicas scripsêre.

XV. *De Anno Arabico, seu Lunari vago Muhammedico, & reductione ejus ad annos Æræ Christianæ.*

Superest Annus *Arabicus*, sive *Muhammedicus*, sive *Turcicus*, qui & anni *Hegiræ* nuncupantur; quâ de Ærâ alibi, quæ in locum Damascenæ seu Hagarenæ apud Arabes successit, Anno Æræ Christ. Vulg. 622. Julii 16. labente anno Per. Jul. à *Kalendis Jan.* 5335. Nempè anni formam merè *Lunarem* esse jussit Impostor, tam in Sacris quàm in Civilibus, nullâ *æquatione* cum Sole, ut factum ab Arabibus, & à Judæis, Syris, Græcis, Romanis antè Julium Cæsarem, ac plerisque Gentibus etiam Barbaris, Germanis, Gallis, aliisque, intercalare solitis, in anno Lunari, menses ἐμβολίμους. Ità ratum est Arabes antè Muhammedem intercalasse *biennio* quoque, ac fixisse *Dulhagiam* ultimum mensem in Autumno; ob aëris temperiem, quo confluebant ad Templi Meccani Solemnia: Et quidem fuisse intercalandi potestatem penes suum *Pontificem*, uti apud reliquas Gentes, ob proxima Sacra, & anni tùm Ecclesiastici exordium.

Sublato igitur per Muhammedem omni *Embolismo*, seu *protractione* anni vertentis, tanquàm re profanâ, ut solemnia suis Sacra per omnes Anni tempestates decurrerent, annum merè Lunarem constituit: Et *Astronomicè* quidem, dierum 354 horarum 8. min. 48. *Politicè* verò, alternis dierum 354 qui annus communis, & dierum 355 quando annus ὑπερήμερος. Hinc *menses* XII. in anno Arabico, ii-

 que

que *Lunares*, constitutâ Neomeniâ in primâ Lunæ *φάσει*, incurrente in omnium oculos, هلال Arab. Quæ Neomenia *Politica*, *uno* die plerumque, quandoque seriùs observata *duobus*, posterior est *τῇ συνόδῳ*, Neomeniâ *Astronomicâ*, seu cœlesti novilunio. Mensis quoque initio, uti diei civilis, à *vesperâ*, seu ab ortu *Lunæ*, semper ducendo, quod & Judæis in usu fuit, & Atheniensibus, aliisque, ad *Lunæ* motum tempora exigentibus. Undè Arabes, non quo *die*, sed quâ *nocte*, aliquid actum sit, in Historiis memorant.

Quum verò Menses Lunares Arabici essent dierum 29. horarum 12. min. 44. circiter, hinc alternis menses fecerunt *plenos*, dierum 30. & *cavos* dierum 29. qualis quoque fuit *Dulhagia* mensis ultimus, scilicet cavus, extrà annos Embolimæos. Et quando *excessum* Lunarem suprà dies 354. observarunt esse horarum 8. min. 48. & has horas, cum dictis minutis, *tricies* sumptas, efficere *dies* XI. præcisè; idcircò spatio 30 annorum (quæ Periodus Arabica *τριακονταετηρὶς tricenaria*) *undecies* diem intercalant, quando Dulhagia, qui per se cavus est, fit plenus, & *ὑπερήμερος*. Undè eâ Periodo sunt anni *communes* XIX. *embolimæi* seu *ὑπερήμεροι*, dierum 355. sunt XI. iique annus *secundus*, *quintus*, *septimus*, *decimus*, *decimus tertius*, *decimus sextus*, (nonnullis Arabibus *decimus quintus*) *octavus decimus*, *vigesimus primus*, *vigesimus quartus*, *vigesimus sextus*, tandem *vigesimus nonus*.

Porrò de Anno Arabico observanda, ejus *caput*, *mensura*, & *comparatio* cum annis Æræ Christianæ Julianis. *Caput* est Neomenia men-

sis *Muharram*, cujus primus dies etiam anni Arabici veteris caput fuit, atque illis solemnis, & quo Mense pugnare nefas erat. Quanquàm Muhammed excesserit Meccâ die primo *Rabie prioris*, qui mensis fuit *tertius*, diebus 59. post Epochæ veteris initium; retrotrahendæ ità in Hegiræ suæ memoriam. Annus verò 1. *Hegiræ* concurrit cum Anno *Æræ Christi* labente 622. anno *Per. Jul.* 5335. incipitque à *Julii* nostri die XVI. *feriâ* VI. & ita Turcæ; quanquàm Arabum alii, & Alfonsinæ Tabulæ, ordiantur à *Julii* XV. feriâ V. quum fuisset Συζυγία XIV. *Julii*. Atque ità caput anni Arabici, seu Æræ Turcicæ, sequitur Æram Christianam annis Romanis 621. diebus 196. quot dies fluxerunt à Kal. *Januariis*, anni 622. ad XVI. *Julii*. In universum supputant Tabulæ *dies* 227016. quibus Arabum Æra Christianâ posterior est.

Mensura verò anni Arabici ex dictis liquet, *Lunaris* ea, tùm Astronomica tùm Civilis; ut ità Juliano anno minor sit Arabicus, diebus ferè XI. quibus anticipat eorum annus, semper in anteriora retrogressus, vagatusque per omnes menses anni Juliani. Undè menses nulli Arabibus & Turcis *æstivi*, vel *hyberni*, quales evadunt successivè singuli, & ità quoque mensis eorum Sacer, quibus *Beiram* suum agunt. Fit verò spatio annorum ferè 32. ut redeant ad idem principium ii menses, completo orbe anni Juliani. Eodemque spatio annorum 32. est excessus annorum Julianorum suprà Arabicos anni 1. minùs 6. diebus, ut ex dierum calculo quàm accuratissimè demonstratur, in Tabulis. Quare juxtà regulam proportionum, & ex inspectione quoque Tabula-

bularum, ſpatio annorum 1066. quot fluxêre ab Anno Æræ Chriſt. 622. ſeu ab anno 1. Hegiræ Muhammedicæ, *Julii* XVI. ad hunc incluſivè annum 1688. & diem *Julii* XVI. factus eſt exceſſus Julianorum, ſuprà Arabicos, annorum 32. dierum circiter 261.

Hinc non difficilis inventio anni *Arabici*, dato anno Æræ *Chriſtianæ*, v.gr. hoc ipſo 1688. Nam primò demendi ſunt ex annis Chriſtianis, quot fluxerunt antè Æram Muhammedicam, ſcil. 622. reliquus numerus eſt. - - 1066. Deindè ſupplendus defectus Annorum Arabicorum, qui ſpatio annorum Julianorum 32. eſt anni unîus Arabici, minus 6. diebus, ſeu dierum 348. uti ſpatio 33. annorum Julianorum, defectus ſeu retroactio anni Arabici, eſt anni *unîus*, dierum 4. cum minutis horariis, ſive tantus eſt exceſſus anni Juliani, ex dictis. Exceſſus verò annorum Julianorum 1066. ſuprà Arabicos, modò fuit annorum 32. dierum 261. circiter. Hunc igitur exceſſum adde ad annos 1066. fient anni Arabici 1098. qui abſoluti ſunt diebus 261. antè XVI. *Julii*, caput annorum Hegiræ. Atque adeò juxta hunc calculum annus Hegiræ 1098. iniverit ſub finem *Octobris* præcedentis 1687. undè totidem dies numerantur, antè XVI. Julii 1688. Si verò ad dies 261. addas alios 93. fient dies 354. quibus abſolvendus annus Hegiræ 1099. ſi communis eſt, quod incidit in XVI. *Octobris* ſequentis. An verò is annus Hegiræ *communis* ſit, an ὑπερήμερος dierum 355. & *quotus* ſit annus Periodi *triacontaëteridos*, de quâ modò, facile eſt cognoſcere ex diviſione eorum Annorum per 30. & ex annis qui à diviſione remanſerint;

Nam,

Nam si remanserint *duo*, *quinque*, *septem* &c. erit annus ὑπερήμερος. *Item*, cognosces annos *Hegiræ*, ex proposito anno quocunque *Æræ Christianæ*, v. gr. 1453. qui annus captæ Constantinopoleôs. 1. Si abjicias ab annis Christi 621. qui *Hegiram* præcesserunt, ut remaneant sic 832. 2. Si *residuos* annos 832 diviseris per 33. quia tot annis Julianis completis deficiunt Anni Muhammedani *anno* 1. & diebus ferè *quinque*. 3. Si *quotum* ex divisione, puta 25 *addideris* ad dictos annos residuos puta 832. *summa* ostendit annum Hegiræ saltem ἐν πλάτει, & παχυλῶς, puta 857. labentem, quam & signant Turcæ. Quando verò iniverit ille annus seu quando completus sit annus Arabicus 856. ex numero Syzygiarum sciri potest, ut demonstrationes operosas mittam, apud J. Beveregium, & alios. Ex supputatione etiam *dierum*, qui fluxerunt ab *Ærâ Arabicâ*, ad datum annum *Æræ Christ.* eorumque æquatione cum *annis*, item ex comparatione cum annis *Æræ Alfonsinæ*, cujus initium A. 1252. *Kal. Juniis*, aliundè etiam cognoscitur quotus labatur Annus Arabicus, & anni dies. Sed hæc nec loci hujus sunt; nec instituti. Tabulas ipsas Alfonsinas consule, & qui eas illustrarunt, Mulerium, aliosque.

Cumprimis verò in lectione Historicorum Arabicorum, operæ pretium est cognoscere; ex signatis annis *Hegiræ*, quotus sit annus *Æræ Christianæ*. V. gr. signant annum captæ *Constantinopoleôs* à Muhammede II. Hegiræ 857. aut captæ *Rhodi* à Solimanno, Hegiræ 929. neglectis jam mensibus, & feriis. Reduces hosce ad annos Æræ Christianæ, 1. Ad-

dendo annos Christianos 622. qui præcesserunt Hegiram, seu 621. dies 196. 2. Reducendo annos *Arabicos* datos ad annos *Julianos*, supplendo istorum defectum, qui singulis *annis* Arabicis est dierum XI. quibus superantur à Julianis; singulis periodis *tricenariis* Arabicis, est dierum ferè 327. singulis periodis annorum Arabicor. 33. est anni *unîus*, cum diebus ferè 5. & ità porrò servatâ proportionis regulâ. Sed commodùm hujus accuratæ reductionis difficultati, quam & professi sunt gravissimi Chronologi, succurrunt omnium instar Regulæ, & Tabulæ Nic. Mulerii, olim Professoris Groningani, in *Turc-Arabum Anno Lunari*, scripto longè utilissimo, & compendioso, ut Guil. Beveregium aliosque recentiores sileam. Habebis ibi Canonem geminum, & facilem: Primùm quo *anni Hegiræ* collecti, ab eorum capite, ac crescentes per Cyclum annorum 60. usque ad annum ejus Æræ 1080. reducuntur ad *annos Æræ Christi*, cum *diebus* excedentibus à Kal. Januarii: Alterum, quo continentur *anni* Arabici *expansi*, usque ad 60. & è regione respondet ad singulos annos *defectus* anni Arabici, seu *excessus* in totiannis Julianis. Igitur quæris connexionem Anni Arabici, v. gr. 929. quo Rhodus proditione capta. Juxtà primum Canonem, Annus Hegiræ 900. expiravit anno Christi 1495. cum diebus 263. à Kalendis Januarii. Juxtà secundum, habes quot diebus anni Arabici completi 28. superentur ab annis Julianis totidem.

Anni

Anni Hegiræ completi.	*Anni Christi Juliani.*	*Dies plus, aut minùs.*
A. 900. expirar.	A. 1495.	plùs 263.
A. 28. faciunt	Ann. 28.	minùs 305.
928.	1523.	minùs 42. diebus; subtrahendo *minorem* numerum à *majore.*

Ergò anni Arabici 928. absoluti, effluxerunt diebus 42. antè absolutum annum 1523. sive diebus 323. post principium anni 1522, id est, Novembris Juliani die 19. Novembris igitur nostri die 20. incepit annus Arabicus 929. Ulteriùs inquires in *mensem* Arabicum vel Turcicum, & *diem* mensis expugnatæ Rhodi; facilè comparandum cum mense & die Romano.

Hactenùs de *Annis Civilibus*, quorum diversitas præprimis attendenda, in Chronologiâ omni Sacrâ. Nam Barbararum Gentium aliarum annos hoc loco negligimus.

XVI. *Menses Civiles Hebræorum veteres, collati cum Mensibus Civilibus, iisque fixis, variarum Gentium; quorum in utrâque Historiâ mentio.*

תשרי *Thisri*, Mensis 1.

Mensis *Civilis* primus, *Sacer* septimus; Idemque מלא *plenus*, in Calendario vulgato Judæorum, dierum - - - - 30. Sed in Calendario vetere, quod exhibet Seldenus, *Cap.* VII. ut *Nisan* habetur חסר *defectivus* seu *cavus*, sic & septimus ab eo *Thisri*, dierum - - 29. Incepit astronomicè à מולד seu *Neomeniâ*, quæ *Æquinoctio* autumnali proxima; civiliter, à primâ Lunæ φάσει & occasu Solis, seu *sextâ* pomeridianâ. Ac primum *Novilunium* in Epochâ Judaicâ, quæ incepit (ut suprà) anno *Per. Jul.* 953. componitur cum VII. *Octobr.* dictum

Collatio cum Mensibus Civilibus aliarum Gentium.

Responderunt Mensi *Thisri*:

Cælestis Mensis, sive Metonicus, Sole Libram ♎ ingresso, - - - - Ζυγών.

Romanorum menses ex parte - - { *Septemb.* & *Octobr.*

Alexandrinorum, post fixos hos menses, & Neomeniam *Thoth*, primi mensis, in XXIX. Augusti, - { Θὼθ, & præc. Παωφὶ, à 28. *Sept.*

Cophtitis dicuntur *Thut*, & *Babah*. Ne dicamus menses *Æthiopum* qui mensem 1. Civilem orsi à *Kal. Septembr.* Jul. Sic *Græci*, *Armenii*, *Russi*, &c.

Athe-

מולר תחרי Νεομηνία τῆς χαῖς. Singulis autem annis circiter 300. anticipant die *uno*. Novilunia, non præcisè reditura ad idem punctum, in *Cyclo decemnovennali* vetere.

Æquinoctium autumnale, circà Christi Servatoris & Apostolorum tempora, incidit in XXIV. *Sept. Rom.* quod initium anni Syro-Macedonici. Igitur eo Seculo Neomenia Civilis *Thisri*, Cyclo Lunæ I. figitur in XXIV. *Sept.* Sed prout fuit prima Lunæ φάσις, ità ראש השנה *caput anni*, seu dies I. Civilis, & *Clangor tubæ*, quandoque die uno, etiam altero, excepit *Molad Thisri*. Habita ratio & Neomeniæ *Nisan*, à quâ illa Thisri semper distat *diebus* 177. Regulæ Judæorum de *Translationibus Feriarum*, in eorum Calendariis, & apud Munsterum, Middelburgensem, Genebrar-[illegible]

Atheniensium mensis ὀπωρινὸς seu Autumnalis *primus*, Civilis *quartus*, incipiens à νεομηνία *Æquin. Autumn.* juxtà plerosque Veterum, & Th. Gazam, dictus - - Μαιμακτηριών.

At juxtà Harpocrationem, cui hic est πέμπτος μὴν, *Mens.* V. hinc Maussacum, Scaligerum, Petitum, Calvisium &c. Civilis IV. & Autumnalis I. fuit - - - Πυανεψιών.

Macedonum Græcorum sive Europæorum, *Pergamenorum* &c. ut jam suprà monitum, de Anno Græcorum, - - - Δῖος, à XXIV. *Sept.*

Syro-Macedonum, qui & Græci dicti, & *Smyrnæorum*, etiam apud Josephum Historicum, - - Ὑπερβερεταῖος.

Cypriorum, ac præcipuè *Paphiorum*, in Tabulis Ecclesiast. - - - Ἀφροδίσιος.

Bithyniorum, ex Ptolemæo &c. - Ἥριος.

Syrorum recentio-

 rum,

dum, Scaligerum, Calvisium, Petavium, Mulerium, &c. putantur recentioris instituti. Juxtà has initium *Thisri*, non cadit nisi in ferias 2. 3. 5. 7. קביעות *Kebias* Thisri vocant, nunquam אדו &c. Uti Pascha ex vetere superstitione nunquam בדו, id est feriis 2. 4. 6.

Die Thisri 1. *Clangor Tubarum*, *Lev.* XXIII. *Num.* XXIX.

Die 9. *Jejunium*, צום dies luctûs, ob Godoliam occisum, 2 *Reg.* XXV. *Jer.* XLI. Unum ex *quatuor* Jejuniis occasione Excidii primi, *Zach.* VIII. 19.

Die 7, *Jejunium*, ob decretum in eos qui Vitulum aureum fabricarunt. Sic illi.

Die 10. *Jejunium* seu Festum *Expiationum*, *Lev.* XXIII. De quo alibi.

Nunquàm id transferendum in alium diem.

Die 15. Σκηνοπηγία, Festum *Tabernaculorum* à Kal. Oct. Solari mense primo, - - - *Thisrin prior.*

Samaritani verò τῷ Thisri præposuerunt אילול *Ilul*, mensem 1. qui respondet *Thoth* fixo *Alexandrinor.*

Persarum, post fixum mensem *Ferurdin*, in vernum Æquinoctium, respondit mensis septimus, seu Æquinoctii Artumnalis, - - - *Mihr-Mah.*

rum, & *Lætitiæ*, *Lev.* XXIII.

Die 21. *Hosanna Rabba*, scil. magnus dies Festi. H' βαιοφόρος. Gestati rami salicis vel palmarum, *Lev.* XXIII.

Die 22. qui *octavus* à 1. Σκηνοπηγίας, Festum *Convocationis*, *Collectæ*, etiam *Interdicti*, *Lev.* XXIII. *Neh.* VIII. Eo die absoluta *Lectio Legis* annua. Sequebatur die 23. שמחת תורה *festivitas Legis.*

–

מרחשון *Marchesvan.* Mensis II.	Respondent Mensi *Marchesvan.*
Mensis *secundus* Civilis, *octavus* Sacer. *Cavus* idem, dierum - - - 29. In Calendario Seldeniano, מלא *plenus*, dierum - - - 30. In anno Civili *abundanti* בשנה שלימה, (qui scilicet dierum 355. si ordinarius, 385. si Embolimæus, ad supplementum *horarum* quæ in Anno Lunari excedunt dies	*Cœlestis* mensis, Sole Scorpionem ♏ ingresso, - - Σκορπιών. *Romanorum* { *October* & præc. *Novemb.* } menses, ex parte. *Alexandrinorum* fixi jam menses Civiles, ex parte secundus & tertius, { Παωφὶ à XXVIII. *Sept.* A'θὺρ, incip. à XXVIII. *Oct.* } Hi sunt Cophtitis *Babah* & *Athur.*

Athe-

354.) hic Menſis ſecundus *Marcheſvan*, fit ex cavo *plenus*, dierum xxx. Et ſic in eo anno *tres* Menſes priores ſunt ſucceſſivè *pleni*, juxtà regulas Calendarii Judaici.

Die hujus ſecundi menſis 7. eſt צום vel צומא *Jejunium*, ob Zedekiam Regem excœcatum, ejuſque Filios coràm Patre jugulatos, *Jerem.* LII. Sic Magiſtri.

Athenienſium menſis Ωπωρινὸς ſeu autumnalis *ſecundus*, id eſt Civilis *quintus* pleriſque, ut viſum modò - - Πυανεψιών.

Aliis ordine inverſo, * juxtà Harpocrationem &c. ut ſuprà. { Πυανεψιών. * Μαιμακτηριών.

Macedonum Europæorum, *Pergamenorum* ex Galeno &c. - - - Ἀπελλαῖος à XXIV. *Oct.*

Græcorum vel *Syro-Macedonum*, item *Smyrnæorum*, ab eodem die, - - - - Δῖος.

Cypriorum, in ſpecie *Paphiorum*, - - Ἀπογονικός.

Bithyniorum - - - - Ἥερμιος.

Syrorum menſis II. ſed demùm à *Kal. Novemb.* - - *Thiſrin poſterior.*

Perſarum menſis VIII. fixus, indè ab Æquin. verno, - - - *Abân-mah.*

Re-

כסליו *Casleu* vel *Cisleu*, Mensis 111.

Mensis *tertius* Civilis, *nonus* Sacer.

Plenus idem in Calend. recentiore, dierum - - - - 30.

In Cal. Seldeniano, *Cavus* d. - - 29.

In anno Civili *deficiente*, בשנה חסירה, (qui est dierum nonnisi 353. si Communis annus, & dierum 383. si annus Embolimæus, per ἐξαίρεσιν unius diei; quæ fit in mense *Casleu*) est is in recentiori etiam Calend. *cavus*, dierum modò XXIX. tribus sic mensibus *cavis* se continuò excipientibus, *secundo*, *tertio*, & *quarto*. Fit verò annus *deficiens*, quando abjectis omnibus Septimanis, remanent 3. in anno Communi, & 5. in anno Bissextili. Hi enim numeri, in Anno Judaico, sunt Characteres anni *deficientis*. Quâ

Respondent Mensi *Casleu*.

Cœlestis mensis, Sole ♐ Sagittarium ingresso, - - - Τοξών.

Romanorum menses ex parte. { *Novemb.* & præc. *Decemb.*

Alexandrinorum post fixos menses, ex parte tertius, & quartus; *Cophtitis* *Athur* & *Chihac*. { Ἀθύρ. & Χοιάκ: qui Salaminiorum *tertius*, Alexandrinorum *quartus*, à XXVII. *Nov.*

Atheniensium mensis Civilis *sextus*, autumnalis *tertius*, desinens in brumam, seu Solstit. hybernum. - - - - Ποσειδεών.

Quod Plutarchus, in vitâ Cæsaris, hunc componat cum *Januario*, quasi esset primus mensis, *post brumam*, seu *post Solstitium* hyb. respi-

de re, ut & de Translationibus feriarum Judaicis, harumque causis, omnes qui de *Anno*, deque *Festis* Judæorum.

Die 15. *Casleu*, anni Græcor. 145. *Idolum* erigunt suprà Altare Domini &c. 1 *Macc.* 1. 57.

Die 25. *Casleu*, fuerunt *Encænia* Judæ Maccabæi, חנוכה per *octiduum*. Vide 1 *Macc.* IV. *Joh.* x. 22. &c. φῶτα etiam vocat Josephus. Ritus & in eo σκηνοπηγίας, 2 *Macc.* 1. 9. 18.

Die 28. *Jejunium*, ob combustum volumen à Barucho scriptum, dictante Jeremiâ, *Jer.* XXXVI. Ex majorum instituto.

spicere videtur ad mensem intercalarem seu Ποσειδεῶνα δεύτερον, in annis Octaëteridos *embolimæis*. Sed difficilis collatio mensium Lunarium, cum Solaribus Romanis, quasi *simul* inceperint; quod *Theodorum Gazam* in errorem induxit. Qualis & error Gazæ, hinc Morelii, aliorumque qui mensem Civilem *sextum*, (nobis Ποσιδεῶνα) faciunt Ἀνθεστηριῶνα.

Macedonum Europ. *Pergamenorum* &c.
- - - - Αὐδυναῖος. à XXIII. *Nov.*

Syro-Macedon.Smyrnæorum &c.
- - - Ἀπελλαῖος.

Paphiorum
- - - - Αἰγικός.

Bithyniorum
- - - - Μητρῷος.

Syrorum mensis III. à Kal. *Decemb.*
- - - *Canun prior.*

Persarum mensis fixus IX. ab Æquinoctio verno, - *Adar-mah.*

Re-

טבת *Thebet*, Mensis IV.

Mensis *quartus* Civilis, *decimus* Sacer.

Cavus in Calend. recentiore, dierum - - - - - - - 29.

Plenus in Calend. vetere Selden. d. - - - - - - - 30.

Hoc mense *Esther* adducta coràm Ahasſuero, *Esth.* II. 16.

Ad diem Thebet 8. Judæi in Calend. signant צום vel תענית *jejunium*, propter *Legem* tempore Ptolomæi Regis Græcè translatam: Quum Hellenistæ Alexandrini, tempus illud, & locum translationis, lætâ festivitate honorarent.

Die 10. Thebet, *Jejunium* Judaicum, ob Urbem à Babyloniis obsideri cœptam. Unum ex *quatuor* Jejuniis, de quibus *Zach.* VIII. 19. institutis

Respondent Mensi *Thebet*.

Mensis *Cœlestis*, Sole Capricornum ♑ ingresso - - Αἰγών.

Romanorum menses ex parte { *Decemb.* & *Januar.* præcip.

Alexandrinorum fixi jam menses, quartus & quintus. Cophtitis *Chihac* & *Tubah.* { Χοιὰκ, & præcipuè Τυβί, à XXVII. *Dec.*

Atheniensium mensis Civilis *septimus*, χειμερινὸς brumalis *primus*, à Solstitio hyberno, dictus - - Γαμηλιών. Malè Ποσειδεὼν apud Gazam.

Macedonum Europ. *Pergamenorum*, aliorumque in Asianis, - - - Περίτιος. à XXIV. *Dec.*

Syro - Macedonum, *Smyr-*

à Judæis, occaſione Excidii Urbis & Templi.

Smyrnaorum &c.
- - - Αὐδυναῖος.
Paphiorum in Cypro
- - - Ἰουλος.
Bithyniorum
- - - Διονύσιος.
Syrorum menſis IV. à *Kal.* Januariis
- - *Canun poſterior.*
Perſarum menſis fixus X. - - *Dei-mah.* qui & dictus.
- - - *Hizm-mah.*

שבט *Schebath*, Menſis V.

Reſpondet huic Menſi *Schebath.*

Menſis *quintus* Civilis, *undecimus* Sacer.

Plenus in Calend. novo Judæorum, d. - - - 30.

Cavus in Calend. vetere Selden. d. - - - 29.

Hujus die 5. ſignant Judæi, in ſerie תעניות, *Jejunium* ob mortem Seniorum, qui Joſuæ coævi, *Jud.* 11.

Die 23. ſignant *Jejunium*, ob congregatos omnes Iſraëlitas contrà Benjamin, propter pellicem, & Ido-

Cœleſtis menſis, Sole Aquarium ♒ ingreſſo - - Ὑδρῷν.

Romanorum menſes, ex parte *Januar.* & *Februar.* præcip.

Alexandrinorum fixus menſis ſextus
- - - Cophtitis *Amshir.* Μεχίρ, à Jan. XXVI.

Athenienſium menſis Civilis *octavus*, brumalis *ſecundus*, in quo jam initium τοῦ ἐκ τῆς γῆς ἀνθεῖν,
- - - Ἀνθεστηριών.

Malè

lum Michæ, *Jud.* XVIII. XX. Die 24. Darii anno II. Verbum Domini ad Zachariam, *Zach.* I. 7.	Malè apud Gazam, - - - Γαμηλιών. *Macedonum* Europ. *Pergamenorum*, aliorumque Aſianorum, - - - Δύστρος. à *Jan.* XXIII. *Syro - Macedonum*, *Smyrnæorum* &c. - - - Περίτιος. *Paphiorum* - - - Καισάριος. *Bithyniorum* - - Ἡράκλειος. *Syrorum* menſis V. à *Kal.* Februariis - - *Schabath*, *Perſarum* menſis fixus XI. - - *Babmen-mah.*
אדר *Adar* ordinarius, Menſis VI.	Reſpondent Menſi *Adar.*
Menſis *ſextus* Civilis, *duodecimus* ſeu ultimus in anno Sacro. *Cavus* idem; in Calend. Jud. dierum - - - 29. *Plenus* in Calend. Vetere Seld. d. - - - 30. Præceſſit immediatè	*Cœleſtis* menſis, Sole Piſces ♓ ingreſſo, - - Ἰχθυών. *Romanorum* menſes, ex parte { *Februar.* & *Martius.* *Alexandrinorum* menſis fixus ſeptimus; Cophtitis *Bormahat.* - - Φαμενώθ. à XXV.

hic mensis Civilis VI. sine intercalatione, mensem Paschalem *Nisan*, in anno *Communi*. Quoties nempè *Tekupha Nisan*, seu Æquinoctium vernum, aut antè diem XV. Nisan, qui Paschalis *primus* fuit, aut certè ipso die XV. accideret.

Si verò prævidérent XV. Nisan anticipaturam esse Æquinoctium, atque adeò non esse Festo Paschali aptam, nec vernantem adhuc esse tempestatem, seu nondùm esse tempus אביב *Abib*, ex Lege requisitum, id est maturas fruges, *Exod.* XVI. 4. XXIII. 15. XXXIV. 18. *Lev.* XXIII. 10. tùm addidêre mensem intercalarem, seu adjectitium, qui XIII. indè à Nisan priore, dictum ואדר *Adar secundus*, seu *Et Adar*.

Undè annus tum fuit mensium XIII. & hic mensis intercalaris modò *plenus*, modò *cavus* fuisse videtur.

à XXV. Febr.

Atheniensium mensis Civilis *nonus*, brumalis *tertius*.
- - Ἐλαφηβολιών.

Macedonum Europ. *Pergamenorum* &c.
- - - - Ξανθικός.
à XXII. *Febr.*

Syro-Macedonum, & *Smyrnæorum* (qui mensis tempore Apostolor. desinebat in tempus Æquin.) à XXIV. *Martii*,
- - - Δύστρος.

Paphiorum &c.
- - - Σέβαστος.

Bithyniorum.
- - - Δῖος.

Syrorum mensis VI. à Kal. Martiis
- - - *Adar.*

Persarum mensis fixus XII. desinens in Æquinoctium vernum.
- - *Astendurmedmah.*

Addunt huic ἐπαγόμενας V. in anno Communi, & VI. in anno Intercalari, de quo suprà. Quia sunt menses singuli *triceynarii*.

Neo-

Neomenia *Nisan*, quæ *Adar* proximè excepit, omnium citima fuit, paulo antè Christi tempora, XII. Martii, & sic XIV. Luna incidebat in XXV. Martii, diem *Æquinoctii verni*. Quæ verò tùm præcessit Neomenia, incidens puta in X. Martii, imputata fuit *Adar-secundo*.

In Calendario recentiore Judæorum, ità dispositus uterque hic *Adar*, *primus* & *secundus*, ut Adar ראשן *prior* habeatut pro *intercalari*, idemque d. - - - 30.

Adar שני *secundus*, pro ordinario, dier. - - - 29.

Intercalatio autem fit in *Cyclo Lunari* III. VI. VIII. XI. XIV. XVII. XIX.

Porrò hoc mense *Adar*, Magistri ex Traditione signant a. d. 5. *Jejunium*, ob mortem Mosis.

Die 9. *Jejunium*, ob contentiones inter

Re-

Scholas Sammai & Hillelis.

Die 13. Festum *lætitiæ*, ob cæsum à Judâ Maccabæo Nicanorem. 2 *Macc.* xv. 36, 37.

Die 14. Festum פורים *Phurim*, גורל *sortium*, *Esth.* ix. 27. quod *bis* celebrant in anno Embolimæo, utroque *Adar* Φυραῖοι ἡμέραι.

ניסן *Nisan* Mensis VII.
Aliàs אביב *Abib*.

Mensis *septimus* Civilis, Sacer *primus*.

Mensis *plenus*, dierum - - - 30.

In Calend. Seldeniano, *cavus*, dier. - 29.

Ex hujus mensis *Neomeniâ*, quæ ex primâ Lunæ φάσει æstimanda, festivi *dies* omnes Sacri intellecti, Pascha, Azymorum dies, Pentecoste, Clangor Tubarum, dies Expiationum, Scenopegia &c.

Ejusdem mensis *Luna* XIV. definens, quan-

Respondent Mensi *Nisan*.

Cœlestis mensis, Sole Arietem ♈ ingresso, - - - - Κριῶν.

Romanorum menses ex parte, { *Martius* & *Aprilis*.

Alexandrinorum mensis fixus octavus, - - - Φαρμοῦθι indè à XXVII. *Mart.*

Cophtitis *Barmudah*.

Atheniensium mensis Civilis *decimus*, ἐαρινὸς vernus *primus*, - - - Μουνυχιών.

Macedonum Europ. *Pergamenorum* &c. - Ἀρ-

do immolandum fuit Pascha, *Exod.* XII. 6. nunquam præcedere debuit vernum Æquinoctium. Sed neque, ex Judæorum traditione, incidere debuit in בדו seu feriam 2. 4, 6. Adeòque nec Neomenia Thisri in אדו, seu feriam 1,4,6. quia semper intermedii dies 177. inter Neomeniam *Nisan* & *Thisri*, id est feriæ *duæ* ultrà septimanas XXV. qualiscunque annus *fuerit*. Et hinc *Translationes* Judaicæ Neomeniarum, & Festorum, è ferià in feriam sequentem, ut fusè qui de *Calend. Jud.*

Ast verò inter Neomeniam *Thisri*, & Neomeniam *Nisan*, ut ordinariè sunt dies 177. sic variat dierum numerus, prout sunt anni *communes*, vel *embolimæi*; item anni *deficientes* vel *abundantes*. Quicquid enim additur dierum, vel demitur, fit hoc semestri spatio, post mensem Thisri,

- - - Ἀρτεμίσιος. à *Mart.* XXV.

Syro - Macedonum, *Smyrnæorum* &c. - - - Ξανθικός.

Paphiorum &c. - - Αὐτοκρατορικός.

Bithyniorum &c. - - - Βενδιδαῖος.

Syrorum mensis VII. à *Kal.* April. - - - - *Nisan.*

Persarum mensis fixus 1. ab Æquin. verno - - *Ferwardinmah*, vel *Pherurdin*, d. 30.

Illud ماه *mah*, additum mensium nominibus, *mensem* Persis notat. Et primum diem hujus mensis, omnium maximè festum Persis, vocant النوروز *Alneuruz*, νεημερίαι.

& antè Nisan.

Igitur, primo hoc Mense Sacro, *diebus* 1. & 10. & 20. lugent Judæi, ex traditione, mortem filiorum Aaronis, *Lev.* x. 1. & Mariæ sororis *Num.* xx. 1. & Josuæ *Jos.* xxiv.

Die 10. separandus Agnus Paschalis *Exod.* xii. 3.

Die 14. sub 1. vesperam, antè occasum Solis, Pascha immolandum, *Exod.* xii. *Lev.* xxiii.

Die 15. *primus* dies Azymorum, seu solemnitatis Paschalis.

Die 16. *secundus* dies Azymor. undè numeranda *septem Sabbatha*, seu 49. dies completi, ad Festum Pentecostes qui tùm dies 50. *Lev.* xxiii. 15, 16. *Deut.* xvi. 9. Vocant diem, undè putandæ septimanæ, מחרת השבת *crastinum* (seu posterum) *diem Sabbathi*. Dissentiunt circà hunc diem Karaïtæ, quem faciunt d. 22. Nisan, seu à se-

cundo Azymor. diem *septimum*.

Dies 15. & 22. dicti μεγάλαι ἡμέραι.

אייר *Jiar*, Mensis VIII.

Mensis *octavus* Civilis, Sacer *secundus*.

Cavus in Calend. Jud. dierum - - 29.

Plenus in Calend. vetere Seld. d. - - 30.

Neomenia hujus mensis intelligitur, ex illâ *Nisan*.

Festa Sacra hoc mense nulla. Sed ex traditione Magistrorum, צום *jejunium* duplex:

Die 10. ob mortem Eli Pontificis, & captam Arcam Testimonii, 1 *Sam.* IV.

Die 28. ob mortem Samuëlis Prophetæ, 1 *Sam.* XXV.

Respondent Mensi *Jiar*.

Cœlestis mensis, Sole Taurum ♉ ingresso - - - - Ταυρών.

Romanorum menses ex parte. { *Aprilis*. & *Majus*.

Alexandrinorum mensis fixus nonus; - - - - Παχών. (Cophtitis *Bashnes*,) - - - - à XXVI. *Apr*.

Athenienſium mensis Civilis *undecimus*, vernus *secundus*, - - - Θαργηλιών.

Macedonum Europ. *Pergamenorum* &c. - - - - Δαίσιος. à XXV. *Apr*.

Hoc mense Macedonico pugnatum ad Granicum. Quare ob superstit. Macedonum, appellatus Ἀρτεμίσιος est, de nomine mensis præcedentis.

Syro - Macedonum, *Smyrnæorum* &c.
- - - Ἀρτεμίσιος.

Paphiorum &c.
- - Δημαρχεξάσιος.

Bithyniorum
- - - Στρατήγιος.

Syrorum mensis VIII. à *Kal. Majis*,
- - - - *Aiyar.*

Persarum mensis fixus II. seu secundus vernus,
- *Aredbibisht-mah.*

סיון *Siwan* Mensis IX.

Mensis Civilis *nonus*, Sacer *tertius*,

Plenus in Calend. Jud. dier. - - 30.

Cavus in Calend. vet. Seld. d - - 29.

Mensis hic Pentecostalis. Nempè die 6. *Siwan*, ac præcisè die 50. à *secundo* Azymorum, finitis 7. septimanis, celebrandum ex Lege *Festum septimanarum*, *Lev.* XXIII.

Christianis incidit Pentecoste in 50. diem ab ipso Paschali die.

Karaitæ celebrant

Respondent Mensi *Siwan.*

Cœlestis mensis, Sole ♊ Geminos ingresso
- - - - Διδυμάων.

Romanorum menses, ex parte { *Majus*, & *Junius.*

Alexandrinorum mensis fixus decimus,
- - - Παυνί, à Cophtitis *Baunah.* { XXVI. Maji.

Atheniensium mensis Civilis *duodecimus*, extrà intercalat. Vernus *tertius*,
- - - Σκιρροφοριών.

Quidam addiderunt Σκιρροφοριῶνα δεύτερον, in

Pentec. hujus mensis die 12 numerando septem Sabbatha, à die *septimo* qui excepit 2. Azymorum.

Die 23. Judæis *Jejunium* est, ob defectionem x. Tribuum ad vitulos Jeroboami, 1 *Reg.* XII. 28.

Die 25. *Jejunium* istis ,; ob occisum R. *Simeonem*, Ben-Gamaliel, filium R. Gamalielis Senioris, principem Scholæ, paulo antè Excidium. Vide Chronica Judæor. ad A. Æræ Jud. 3810. 3825.

Die 27. *Jejunium* ob combustum R. *Haninam*, vel *Chananiam*, Vicarium Sacerdotum, unà cum Libro Legis, in eodem Excidio. Vide L. *Juchasin.*

in anno intercalari, sed malè. Ad Ποσιδεῶνα intercalatum fuit.

Macedonum Europ. *Pergamenorum* &c.
- - - Πάνεμος, à xxv. Maji.

Syro - Macedonum, *Smyrnæorum*,
- - - - Δαίσιος.

Paphiorum,
- - - Πληθύπατος.

Bithyniorum,
- - - - Ἄρειος.

Syrorum mensis IX. à *Kal.* Juniis,
- - - - *Haziran.*

Persarum mensis fixus III. ab Æquin. verno,
- - - *Chordad-mah.*

תמוז *Tamuz* Mensis x.

Mensis Civilis *decimus*, Sacer *quartus*.

Cavus in Calend.

Respondent Mensi *Tamuz*.

Cœlestis mensis, Sole ♋ Cancrum ingresso - - - Καρκινών.

 Roma-

Jud. d. - - - 29.
Plenus in Calend. Vet. Seld. d. - - 30.

Hoc mense *quarto* Sacro, indictum *Jejunium*, ob Urbem captam à Babyloniis, *Jerem.* XXXIX. LII. Unum ex quatuor Jejuniis, *Zach.* VIII. 19.

Die 17. cessat, (inquiunt Talmudici) juge sacrificium. Urbs fissa. Epistemon cremat Librum Legis. Ponit statuam in Templo.

Die 17. notant *Jejunium*, ob fractas Tabulas Legis, *Exod.* XXXII.

Romanorum menses, ex parte { *Junius.* & *Julius.*

Alexandrinorum mensis fixus undecimus, - - Ἐπηφὶ à Cophtitis *Jun.* *Abib.* XXV.

Atheniensium mensis Civilis *primus*, idemque *primus* θερινὸς seu æstivus, ὑπὸ τροπὰς θερινὰς sub tempus Solstitii æstivi. Qui mensis malè cum *Septembri* collatus, in Laterculo vetere apud Henr. Stephanum.
- - - Ἑκατομβαιών.

Macedonum Europ. *Pergamenorum* &c.
- - - - Λῷος, à XXV. *Jun.* initium *Solstit.*

Syro - Macedonum, *Smyrnæorum* &c,
- - - - Πάνεμος.

Paphiorum
- - - Ἀρχιερεύς.

Bithyniorum
- - - - Περιέπιος.

Syrorum mensis x. à *Kal.* Juliis,
- - - - *Tamuz.*

Per-

Perfarum menfis fixus IV. ab Æquin. verno - - *Tyr-mah.* תִּיר *Tyr* Mercurium notat.

אב *Ab* Menfis XI.

Refpondent Menfi *Ab.*

Menfis Civilis *undecimus*, Sacer *quintus*.

Plenus in Calend. Jud. dier. - - 30.

Cavus in Calend. vetere Seld. d. - - 29.

Die I. notant *Jejunium* ob mortem Aaronis, de quâ *Num.* XXXIII.

Die 2. *Jejunium*, ex eâdem traditione, ob fententiam à Deo latam in non introituros in Terram promiffam, *Num.* XIV. 13.

Jejunium cumprimis, ob defolationem Templi utriufque, prioris & pofterioris, hoc menfe V. qui *Augufto* refpondet, 2 *Reg.* XXV. 8, 9. *Zach.* VII. 3. VIII. 19. *Iofephus* de

Cœleftis menfis, Sole ♌ Leonem ingreffo, - - - - Λεοντών.

Romanorum menfes ex parte { *Iulius* & *Augufl.*

Alexandrinorum menfis fixus duodecimus, & ultimus, definens in XXIV. *Aug.* Additæ tum V. Epagomenæ. - - - - Μεσορή.

Cophtitis *Mesbri.*

Athenienfium menfis Civilis *fecundus*, idemque *fecundus* æftivus, - - - Μεταγειτνιών.

Macedonum Europ. *Pergamenorum* &c. - - - Γορπιαῖος. à XXV. *Iul.*

Syro-Macedon. Smyrnæorum &c. - Λῶος.

Hunc Λῶον cum Syrorum *Ab* fixo, à *Kal. Aug.* ple-

Bello Jud. L. VII. C. IX εἱμαρμένην ἡμέραν *fatalem diem*, δεκάτην Λώου μηνὸς, *diem* X. *ſcilicet Loi* Syro-Macedonici, qui aliàs incepit à XXV. Julii. Sed aptat ibi *Loum* Joſephus *Auguſto* Juliano.

Die 18. notant *Iejunium* ob extinctam lucernam veſpertinam, in diebus Regis Achaz.

Die 22. קרבן העצים *oblatio Lignorum*, ſeu Feſtum Ξυλοφορίων, abrogatum; quibus de lignis *Neh.* X. 34. Joſephus de *Bello Iud.* L. II. C. XVII. eo anno notat XIV. Λώου menſis, iſti Feſto dicatum. De hoc diſſentit Samuel Petitus in *Var. Lection.* à Scaligero, *Lib.* VII. de Emend. Temp. & in Elencho Trihæreſii.

plerique componunt, & Scaliger, ſub Romano dominatu.

Paphiorum, - - - Ἔθιος.

Bithyniorum. - - - Ἀφροδίσιος.

Syrorum menſis fixus XI. à *Kal.* Auguſti, - - - *Ab.*

Perſarum menſis fixus V. ab Æquin. verno - - *Mordad-mah.*

אלול *Elul* Menſis XII.

Menſis Civilis *ultimus*, Sacer *ſextus*.

Cavus idem in Ca-

Reſpondent Menſi *Elul*.

Cœleſtis menſis, Sole ♍ Virginem ingreſſo - - - Παρθενών.

je-

lend. Jud. d. - 29.

Plenus in Calend. Vet. Seld. d. - 30.

Die 17. notant *jejunium*, ob mortem Exploratorum, qui Terram diffamaverant, *Num.* XIV. 36, 37.

Romanorum mensses, ex parte { *August.* & *Septemb.*

Alexandrinorum mensis fixus (post appendiculam, seu ἐπαγομένας quinque, adjectas ad finem Μεσορὴ) omnium primus - - - - - Θώθ, à Cophtitis { XXIX. *Thut.* *Aug.*

Atheniensium mensis Civilis *tertius*, idemque *tertius* æstivus, - - - Βοηδρομιών.

Macedonum Europ. *Pergamenorum*, *Asianorum*, - - - Ὑπερβερεταῖος. à XXV. *Aug.*

Respondit in anno vetere Macedonico, quum is Lunaris adhuc esset, mensis Λῷος in quo Alexander natus.

Syro-Maced. *Smyrnaeorum* &c.

- - - Γορπιαῖος.

Paphiorum

- - - - Ρωμαῖος.

Bithyniorum

- - - Δημήτριος.

Syrorum mensis XII. à *Kal.* Septembr.

 Elul,

- - - - *Elul*, vel *Ilul.*

Apud Samaritanos est אילול mensis Civilis I. quem sequitur *Thisri* &c. Chaldæi verò post XII. mensem intercalarunt אלול תרניא *Elul secundum.*

Persarum mensis fixus, ab Æquin. verno VI. - - *Xahrir*, vel *Shahrir*, *Sharijarmah.*

Hactenùs *Mensium* ratio in Ecclesiâ Judaicâ Vetere, collatis *fixis* Mensibus qui Judaicis magis responderent, apud Romanos, Ægyptios, Athenienses, Macedonas Europæos, Pergamenos, Asianos, Syro-Macedonas, Cyprios, Bithynios, Syros indè à Julio Cæsare, Samaritanos, Cophtitas, Persas, post fixos his Menses in anno Gelalæo. Singulorum verò Mensium, apud dictas Gentes plerasque, (etiam *Arabes* seu Hagarenos, & *Ægyptios* veteres, qui usi sunt mensibus vagis) nomina, seriem, initia, distribuendi rationem putandique dies Mensis, expressimus aliquâ ex parte, post multos alios, in *Diagrammate* Mensium, *Introd.* priore ad *Chronol.* S. Et horum præcipuè notitia usum habet in Historiâ omni Sacrâ & Ecclesiasticâ. Quare neglexímus conferre cum *Judaicis* vel *Romanis* mensibus, alios etiam Menses, Ex. gr. Tyriorum, Thebanorum, Achivorum, Æthiopum,

pum, Sinensium, Indorum, Mexicanorum, Peruanorum, Danorum, Saxonum veterum &c. quod hujus instituti non erat. Adi Scaligerum, Petavium, & varios qui harum Gentium Antiquitates eruerunt.

Non perindè institui potuit collatio *Mensium* eorum, qui ob defectum intercalationis fuêre *vagi*, & mobiles per fixos omnes Menses. Quales illi Ægyptiorum veterum, Chaldæorum, Persarum, etiam Armeniorum, qui usi sunt formâ anni *Nabonassareâ*, singulis quadrienniis retrogressi uno die: Quales & menses Arabum, Turcarum, qui formâ *Lunari*, Solarem anticipante annis singulis, diebus XI. Quâ de re suprà, de variis *Annorum* formis, atque principiis.

XVII. *De Distributione omnis Temporis, indè à Creatione Mundi. Variæ Ætates à variis constitutæ.*

Sequitur *Distributio* omnis temporis, eaque in Ætates, Epochas, Periodos certas. Non jam distributio *Poëtica*, in IV. Ætates, auream, argenteam, æneam, ferream: Non *Varroniana*, quæ & Censorini est, in tempus ἄδηλον seu obscurum, ad Diluvii universalis tempora; μυθικὸν seu fabulosum, ad tempora usque I. Olympiadis, id est, Azariæ vel Uziæ Regis Judæ; denique ἱστορικὸν, inde à I. Olympiade & Historiarum fide: Non *Judaica*, vel *Eliana*, (quæ & placuit Gerah. Mercatori, Gerh. Vossio, & aliis) in tria Tempora quibus Mundus duraturus, singula annorum 2000.

 Quo-

Quorum primum *Inane*, ſeu antè Legem; alterum *ſub Lege*; tertium ab *adventu* Meſſiæ; Quæ diſtributio eô notabilior, quô inter Judæos antiquior, & receptior, & Talmudiſtarum ac Kabbaliſtarum authoritate potior, jugulum verò petens cauſæ Judaicæ, *ſexto* Millenario magnâ ſui parte lapſo, ut fatetur quoque Manaſſeh Ben-Iſraël. Quâ de Traditione dicitur aliàs. Sed temporis diſtributio hîc obtinet *Chriſtiana*, & generaliſſima quidem bipartita, I. In tempus quod fluxit ab Orbe Condito ad Natum Chriſtum, ſeu in tempus vulgò *Vet. Teſtamenti*. II. In id quod fluxit à Chriſto nato ad noviſſima hæc tempora, ſeu in tempus *Novi Teſtamenti*.

Tempus prius, ſeu Vet. Teſtamenti, variè à variis ſubdiviſum fuit. Aliis in Ætates, ſeu intervalla majora *duo*, pro diſtributione Eliana: Quorum I. ſe extendit ab O. Cond. ad initium rerum Hebræarum, ſeu ad vocationem Abrahæ; II. hinc ad Chriſtum exhibitum, & vel natum vel paſſum. Prius rursùs intervallum faciunt bipartitum, ab O. C. ad Diluvium, & à Diluvio ad Abrahamum; Poſterius quinque-partitum, cujus ſcilicet pars prima tranſacta ſub Patriarchis, & in Ægypto; altera ſub Moſe, Judicibus, Regibus; tertia ſub Babyloniis, Perſis, Græcis, Syris; quarta, ſub Aſmonæis vel Maccabæis; quinta ſub Romanis ad Chriſtum uſque, & ita Gerh. Voſſius, *Iſag. Chronol. Diſſert. I. Cap. V.*

Aliis commodior viſa diſtributio in *tres* ſeu Ætates ſeu Periodos Majores, quarum I. ab Adamo ad Moſem, annorum illis circiter 2454. II. A Moſe ad Captivitatem Babyloni-

nicam, annorum 912. III. A Captivitate ad Christum natum, annorum 605. Singulas denuò in tres minores Articulos secant, qualiter novissimè, ex Abr. Bucholzero, Henr. Altingius in *Theologiâ Historicâ*, & Georgius Hornius in *Histor. Ecclesiast.*

Pluribus placuit distributio in ætates *quinque*, ut Græcis Latinisque veteribus, nominatim Augustino *de Civit. Dei Lib.* XXII. *Cap. ult.* Quarum scilicet I. Ab Adamo protoplastâ. II. A Noacho. III. Ab Abrahamo. IV. à Mose, aliis à Davide, V. à Captivitate ad Christi natalem. Quam probavit nuper divisionem Vir Clariss. Christianus Schotanus in *Biblioth. Vet. Test.* Quintâ rursùm Ætate in *quatuor* segmenta, secundùm quatuor Monarchias, ad Christum usque, subdistributâ.

Plerisque in ætates *sex* facta fuit divisio Veteris Ævi, probante pridem Damasceno, *de Orthod. Fide*, *Lib.* II. *Cap.* I. Secuti sunt hanc distributionem Arias Montanus, August. Torniellus, Henricus Harvillæus, Dion. Petavius, Jacobus Usserius, alii innumeri, nec tamen eodem modo: Quandoquidem v. g. I. Ætatem terminant alii in Diluvio, alii demùm in vocatione Abrahami. Sic II. Ætatem alii in Abrahamo nato, alii in vocato, & Promissione factâ, recentiores quidem in Exitu Populi ex Ægypto. Sic Ætatem III. extendunt plerique ad Mosem seu Legem latam; Arias Montanus non nisi ad visionem scalæ Jacobo exhibitam, *Gen.* XXVIII. Recentiores ad Ædificationem Templi Salomonici. Sic ætatem IV. producunt alii ad Davidem Regem, alii ad ædificationem Templi, alii (ut Arias) ad Le-

gem latam: Recentiores ad Templi destructionem, & quæ hanc proximè exceperunt. Sic v. ætatem iste ad Davidem, illi ad Captivitatem usque, seu Desolationem Templi Salomonici: Recentiores quidam ad Christum natum. VI. Ætas prioribus est ad Christum natum; recentioribus, ad ejus usque Ascensionem, & erectionem Regni Dei.

Aliis placuit annorum distinctio secundùm intervalla *septem*, ex Sacrâ Historiâ illustria, quorum I. A Mundi ortu ad Diluvium. II. A Diluvio ad promissionem factam Abrahamo, *Gen.* XV. 13. III. Hinc ad Mosem Legem promulgantem, vel ad Exitum populi ex Ægypto. IV. Ab Exitu ad fundatum Templum Salomonis 1 *Reg.* VI. 1. V. A fundato Templo ad transmigrationem Babylonicam, eamque sub Jechoniâ, II *Reg.* XXIV. 14. VI. Hinc ad finem Captivitatis, quæ annornm LXX. id est ad 1. Cyri annum, Edictum de reditu promulgantis 2 *Chron.* XXXVI. 21, 22. VII. Tandem ab Edicto de reditu Populi, ad finem LXX. septimanarum Danielis; demptis tamen annorum iis septimanis, quæ à Nativitate Christi ad Passionem fluxêre. Præivit hîc Beroaldus, cujus unîus vestigiis institit in *Chronol. Sacrâ* summus Theologus David Pareus, duriùs à Josepho Scaligero hoc nomine exceptus, in Elencho utriusque Orationis Pareanæ.

Thomas Lydiatus constituit ab O. C. ad Principium Evangelii, seu ad XV. Tiberii, quo Christus manifestatus est, Canones Chronicos, seu Epochas IX. I. Ab O. C. ad Diluvium, annorum 1656. II. A Diluvio ad Natalem Isaaci, an-

annor 452. III. Hinc ad Exodum ex Ægypto an. 400. IV. Indè ad fundatum Templum à Salomone, an. 479. V. Indè ad Monarchiam absolutam Nebucadnezaris; annis 17. antè eversionem Templi, an. 413. VI. Indè ad Monarchiam Cyri Babylonicam, an. 70. VII. Hinc ad ultimum Codomanni, & finem Monarchiæ Persicæ, captâ Babylone ab Alexandro, an. 204. VIII. Hinc ad finem Imperii Macedonici, seu ultimum Ptolomæorum, & primum Julii Cæsaris à Pharsalicâ victoriâ, an. 282. IX. Denique à primo Monarchiæ Julii Cæsaris, ad principium Evangelii, quando baptizatus Christus, mediis annis J. Cæsaris 4. Triumviatûs 6. Octavii Cæsaris 52. Tiberii 15. Epocha annorum 77. Summa est annorum 4033. Hactenùs ille.

XVIII. *Auctoris distributio in IX. Epochas. Cum singularum Canone Chronologico.*

Missis distributionibus id genus, ac subdistributionibus; vel etiam *signis temporum* Propheticis, quæ vocant, qualia *sex* vulgò constituunt, à Mosis excessu ad Christum exhibitùm; aut si mavis à Creatione ad Christum, pro numero dierum Creationis; nos Tempus omne prius ab O. Cond. ad Æram Christi Natalitiam, in IX. *Epochas* insigniores, seu totidem Intervalla, dispertimur.

Et singularem placuit subjungere brevissimum Canonem, seu rationem annorum qui Intervallis singulis effluxerunt, totidem quasi Tabellis, Introductionis vice.

In hac Tabulâ, 1. Oἱ LXX. addunt totidem ἑκατοντάδας, seu 100. annos, annis Hebraïcis τεκνογονίας, quos detrahunt ætati quæ τεκνογονίαν excepit: Idque in sex Patriarchis, *Adamo*, *Setho*, *Enoscho*, *Cainane*, *Mahaleele*, *Enocho*. Secùs in *Iared*, *Methusalah*, *Lamecho*, *Noacho*.

2. Iidem *Methusalæ* gignenti detrahunt, secundùm plerosque Codd. quos secuti Eusebius, Hieronymus, Augustinus, annos 20. sed addunt sequenti ætati Methusalæ; ut sic totos annos 14. supervixisse *Diluvio* videatur, quod absurdum. Contrà mendosos esse eos Codices, contendunt Lud. Capellus, Isaacus Vossius &c. & convenire hîc τοῖς LXX. cum Hebræo. Et sic Africanus, juxtà quem Methusalah obiit 6. annis *antè Diluv.*

3. Iidem *Lamecho* gignenti addunt 6. annos suprà calculum Hebraïcum, & contrà quàm Samaritanus, & Josephus.

4. *Samariticus* Codex, in *quinque* prioribus Patriarchis, nihil ab Hebræo distat. Deficit in annis *Iared*, *Methusalæ*, & *Lamechi*: Ità tamen ut Methusalah excesserit eo anno in quo secundùm Samarit. contigit *Diluvium*. Sed secundùm Hieronymnm *Tradit. in Gen.* Samaritano conveniebat cum Hebræo in Methus. & Lamecho. Igitur mendosissimus ille Codex; aut de Samaritano pronunciavit Hieronymus, licet non à se viso.

5. *Vulgatæ* editioni cum Hebraïcis fontibus convenit, uti Hieronymo, Augustino, Bedæ, &c. quâ de re suprà, ut & de dissensu Baroniano à Vulgatâ. Ac Judæos ab accusatione *abbreviatæ Chronologiæ* Patriarcharum, libe-

bi He-
tanus,
iùs ſe-
runt à
ɔ, do-
ɔnfre-
tanus,
Sālia-

A-

In h
ἑκάτοντα
cis πεντ
γενίας e
mo, Se
nocho.
Noacho
2. I
cundùn
Hieron
dunt fe
annos n
absurdu
ces, co
fius &
bræo.
lah obii
3. Ii
suprà c
Samarit
4. S
Patriar
annis Ia
men ut
secundù
cundùm
tano co
Lamech
aut de S
licet no
5. V
conven
dæ, &
Baronia
tione a

lib
bra
non
qua
LXX
&i
riu
Ha
nu

liberat ipse Simonius. Constant etiam sibi Hebræi Codices, non Græci, non Samaritanus, non Josephus, ut liquet. Undè quos tutiùs sequaris, facilè intelligitur. Ac recesserunt à LXX. Interpretibus, & Martyrologio suo, doctissimi Pontificiorum, Genebrardus, Bonfrerius, Malvenda, Pererius, Ar. Montanus, Harvillæus, Despierus, Torniellus, Salianus, Petavius &c. & qui non?

I. Græci rursùm in *ſex* Patriarchis, uti factum *antè Diluvium*, addunt ſuprà calculum Hebraïcum, in annis τεκνογονίας, annos 100. ſcilicet ab Arphaxad uſque ad Serug incluſ. 2. Addunt *Cainanem* genitum Arphaxadi anno 135. ignoratum Hebræis, Samaritanis, Beroſo, Onkeloſo, Philoni, Joſepho, Theophilo Antiocheno, Origeni in Hexaplis, Africano, Euſebio &c. ac Lucæ contextui per errorem inſertum, ut evictum aliàs. 3. Iidem ſecundùm quoſdam *Codd. Nachori* inſuper tribuunt annos 179. Atque ità ſecundum lectionem hancce, excedunt epilogiſmum Hebraïcum annis 880. Aut ſi Nachori tribuantur tantùm anni 79. dùm Hebræus Codex nonniſi 29. excedunt annis - - 780. Sed corruptos hac parte eſſe numeros τῶν LXX. fatetur etiam nuperus Auctor *Antiquit. Tempor.* Ut hìc corrupti, ſic in diſcrepantiis reliquis ab Hebræo.

II. *Samaritanus* Codex ſequitur in his τοῖς LXX. ſecùs ac in annis antè Diluv. Sed Cainanem neſcit, ut nec Joſephus. Excedit autem numeros Hebraïcos annis 650. vel 645.


Diſcrimen iſtorum ab Hebræo, in annis vitæ *poſt* τεκνογονίαν, videſis in Tab. Lud. Capelli, aut Uſſerii Armachani &c.

III. Qui Chronologiam *Patriarchalem* contexunt ex Verſione τῶν LXX. ut noviſſimè quoque, poſt Iſaacum Voſſium, *Inſtaurator* Gallus *Antiquitatis Temp.* ſupponunt confidentiſſimè plurima. Ex. gr. 1. *Judæos*, poſt Chriſtum exhibitum. de induſtriâ detraxiſſe annos 1500. & ampliùs, de annis Patriarcharum, ut *Meſſiæ* tempus hoc magis prorogaretur. 2. *Verſionem* τῶν LXX. vel *authenticam* in his nume-

ris.

videns
ɔtionis
ıumeri
ɔnymi;
ɔ ador-
. *Jose-*
cis fon-
xit Jo-
pugna,
ire *Jo-*
ltem in
ɔd fal-
endam
ɜ citant
ıcellus;
) con-
ue hoc

ompleti
concep-
ıtivita-
ſcepta-
t. Quâ
ɪɪ.
n anno
m ple-
lemon-
, *Gen.*
umpri-
xɪ. 32.
ıs The-
patris,
atus hic
ſunt &
ıriſſ. de
Ca-



1. (
antè L
cum,
Arpha
Caina
ratum
Philo
geni i
conte
liàs. 3
insupe
dum l
Hebra
tur ta
nonni
Sed c
fatetu
por. U
quis a
II.
LXX.
nem n
nume
Dis
tæ *po*
pelli
III
texun
que,
lus
tissim
stum
1500.
ut *M*
Ver

ris fuiss
discrep
antè n
in Jose
fata h
nata ;
phum
tibus
sephi
ne d
Sephe
ann
sum
fide
Jo
N
ci
ca

ris.

ris fuisse; vel remansisse *integram*. Quod evidens discrepantia Codd. & Editionum; corruptionis antè manifestissima exempla; pugnantes numeri in Josepho & Veteribus; judicium Hieronymi; fata hujus Versionis; tempus & locus quo adornata; ut sileam alia, falsi arguunt. 3. *Josephum* Historicum suos calculos ex *Hebraicis fontibus transtulisse* ipsummet, quod non dixit Josephus, nec patitur ejus cum semetipso pugna, ne dicam cum Hebræis Codd. 4. Convenire *Josepho* per omnia, imò & *Samaritano*, saltem in annis post Diluvium, cum τοῖς LXX. quod falsum ex Tabulis. 5. Magnam esse adhibendam fidem *computis* eorum Historicorum quos citant Josephus, Clemens Alex. Eusebius, Syncellus; Nec *Exotica* (certæ & indubiæ jam fidei) conciliari cum Historiâ Sacrâ posse, absque hoc calculo τῶν LXX. Vide suprà *Sect*. II.

IV. Porrò anni-ne Patriarcharum *incompleti* an *completi* intelligantur; item, anni *conceptionis*, quibus patres genuerunt, an *nativitatis*, quibus matres viris pepererunt, disceptatur. Posterius utrumque vero propius est. Quâ de re fusè Usserius in Chronol. S. *Cap*. III.

V. *Abrahamum* verò natum esse, non anno *Tharæ* Patris 70. ut censet quoque cum plerisque Petavius, sed anno 130. invicta demonstratio est, non modò ex ætate Saræ, *Gen*. XVII. 17. natæ fratre Abrahami; sed cumprimis etiam ex collatione locorum *Gen*. XI. 32. & *Gen*. XII 4. *Act*. VII. 4. Nam mortuus Therach anno ætatis 205. & post mortem patris, quando migravit Abraham Charane, natus hic fuit annos 75. Contortæ omnes aliæ sunt & violentæ conciliandi rationes, etiam Clariss. de Dieu.

Ca-

Canon Epochæ III.

A Vocatione Abrahami, ex Ur Chaldæorum, ad Exitum ex Ægypto.

Epologiſmus Scripturæ S. non unus eſt. Illinc enim à Vocatione Abrahami, & initio Peregrinationis, poſt factam illi Promiſſionem, uſque ad Exitum Iſraëlitarum ex Ægypto, conſtituitur *Exod.* XII. 40. *Gal.* III. 17. Epocha annorum 430. Illinc ſervitus ſeminis Abrahamitici, & peregrinatio in terrâ alienâ, dicitur *Gen.* XV. 13. *Act.* VII. 6. Epocha annorum 400. Quod dicitur phraſi geminâ, reverſuros in terram Canaanis generatione *quartâ*, *Gen.* XV. 16. nempè quatuor Ætatibus completis, ſeu annis 400.

Undè variæ ſententiæ Chronologorum & Interpretum: Scaligero, poſt Veterum alios, inter ἄπορα reponente; Genebrardo Epocham 400. annorum inchoante à deſcenſu Jacobi in Ægyptum; Paræo noſtro illam annorum 430. exorſo ab Abrahami anno 85. ſcilicet *decennio* poſt primam promiſſionem *Gen.* XII. quando facta fuit κύρωσις τῆς διαθήκης, ſolemni ritu, deſcripto *Gen.* XV.

Conciliationis vera ratio eſt: Fluxiſſe annos 430. ſeu à primâ vocatione Abrahami, quando egreſſus ex *Ur Chaldæorum* natus annos 70. annis antè natum

tum Isaacum 30. ut quoque Petavius, & alii; seu veriùs à migratione Abrahami ex *Charane* Mesopotamiæ, ipso anno quo egressus ex Chaldæâ fuerat, mortuo jam Patre, quando natus dicitur annos 75. *Gen.* XII. 4. etiam juxtà Josephum *Antiq.* L. I. C. VIII.

Sed indè à nato hujus Patriarchæ *semine*, scilicet Isaaco, in *terrâ peregrinâ*, annis 30. ab egressu ex Ur Chald. ut Judæi quoque, certè annis 25. ab ingressu in Canaanem, usque ad eductionem seminis Abrahamici ex servitute Ægyptiacâ, (qui fuerunt anni *peregrinationis* Hebræorum, & *servitutis in terrâ alienâ*, partim in Canaane, partim in Ægypto) fluxêre demùm anni 400. vel ad summum majori rotundoque numero in Scripturâ S. expresso, anni 405. Canon ità habet.

Ab anno Abrahami 75. quo egressus Charane est, *Gen.* XII. 4. (missis jam annis illis dubiis 5. quos supponunt hæsisse Charane) ad natum Isaacum, anno Patris *centesimo*, *Gen.* XXI. 5. fuerunt anni - - - - - 25.

A nato Isaaco, ad natum illi Jacobum, jam *sexagenario*, *Gen.* XXV. 26. XV. annis antè mortem Abrahami, *Gen.* XXV. 7, 8. anni - - - - 60.

Hinc ad descensum Jacobi in Ægyptum, anno Josephi 39. seu annis circiter 9. ab exaltatione Josephi, *Gen.* XLI. 46. anni juxtà Scripturæ calculum, - - - - - 130.

Fiunt

Fiunt anni ab ingressu Abrahami in Canaanem, ad migrationem Jacobi in Ægyptum. - - -	215.

Rursùs anni habitationis ac servitutis Israëliticæ in Ægypto, fuêre totidem scilicet 215. Qui additi prioribus annis 215. antè descensum *Iacobi*, cum omnibus suis, exurgunt anni 430. Mosi & Paulo memorati. Anni autem præfati habitationis Ægyptiacæ 215. ità colliguntur.

Certum primò est, Josephum denatum esse anno ætatis, 110. *Gen.* L. 26. A quibus si demas annos 39. quos natus erat tempore descensûs Jacobi, supersunt anni completi quos vixerit Joseph, à descensu Israëlis patris, - - -	70.
A morte Josephi ad nativitatem Mosis, nepotis Caathi, qui admodùm infans cum patre Levi in Ægyptum descenderat, *Gen.* XLVI. 11. (contrà quàm Polyhistor apud Euseb.) & genuit filium Amram patrem Mosis, sexagenario jam major; Amram verò septuagenarius Mosem, juniorem Aarone, *Exod.* VI. 18, 20.; putandi anni circiter - - -	65.
A nato Mose, ad susceptam vocationem, & eductionem Populi ex Ægypto, *Exod.* VII. 7. anni - - -	80.
Fiunt anni habitationis in Ægypto -	215.
Adde suprà, annos antè descensum in Ægyptum - - - - -	215.
	430.

Ju-

Judæi communiter in Seder-Olam Rabba, & aliàs, annos habitationis Ægyptiacæ faciunt 210.

Et sic præcesserant ab Egressu ex Ur Chaldæorum anni 220. putando hos ab Abrahami anno 70. antè natum Isaacum annis 30.

Dav. Pareus qui annos 430. putat ab Epochâ, non *Promissionis*, ut debuit, sed κυρώσεως τῆς διαθήκης, in sacrificio illo *Gen.* XV. *decennio* post primam promissionem, tribuit moræ in Ægypto annos 225.

Canon Epochæ IV.

Ab Exitu ex Ægypto, ad initium Samuëlis, cujus annis implicantur illi Saülis.

Epocha est *ab Exitu* Israelitarum *ad finem Judicum*, seu ad exitum Eli, & initium Samuëlis, cum cujus annis combinantur illi Saulis Regis *Act.* XIII. 20, 21. Atque hæc colligitur, ex annis Judicum ac servitutum, esse annorum circiter 396. Ità quidem ut verba Jephtæ *Jud.* XI. 26. de *trecentis* annis placidæ possessionis Israëlitarum, intelligi debeant de *tertio Centenario* pridem inchoato, & magnâ sui parte elapso. Quibus annis 396. si addas, ex Tabulâ sequente, annos 84. qui fluxêre ad jacta Templi fundamenta, conficiuntur anni 480., irrefragabili authoritate loci 1 *Reg.* VI. 1.

Re-

Reclamat quidem Petavius, *de Doctr. Temp.* L. IX. C. XIII. putans hos annos 480. ad structuram Templi Salomonici, non ab *Exodo*, sed ab Ε'ισόδῳ seu *Ingressu* in Terram, protrahensque hanc Epocham annis XL. Reclamant & Lud. Capellus, Gerh. Joh. Vossius, ac quotquot annos Servitutum separant ab expressis annis Judicum. Undè Viri illi duo conficiunt Epocham annorum 580. legente ità locum, 1 *Reg.* VI. I. ac textum emendante, post alios tamen, Lud. Capello. Josephus *Lib.* VIII. C. II. extendit Epocham ad annos 592. Alii Veterum etiam ultrà annos 600. Epocham prorogant; & Chronicon Alexandrinum ad annos 630. Omnes mirâ inter sese pugnâ commissi.

Nuperus verò Auctor *Antiquitatis Temporum Restitutæ*, ut vocat, *Cap.* IX. putat ab Exodo ad initium fabricæ Templi Salomonici, annos 873. Et sic totis ferè annis 400. hoc spatium protendit, ut nempè serviat hypothesibus, ac 2000. annos Legi attribuat, à Mose scilicet ad Messiæ tempora; ex traditione Elianâ Hebræorum, & ex Josephi calculo, sed minùs sibi constante, in *Præfat.* Α'ρχαιολογίας. Cui rei firmandæ supponit alia. Ex. gr. Mosem coævum *Inacho* fuisse, Argivorum Regi, qui regnaverit ferè *bis mille* annis antè Christum: Ità Ægyptiorum *Dynastiam* in Nectanebo, sub Artaxerxe, extinctam (quæ fuisset annorum 2620) cœpisse indè à *Phalegi* temporibus. Rursùs, non modò *Servitutum* tempora, in Epochâ Judicum, distinguit ab iis annis qui *Judicibus* tribuuntur, sed & longas *Anarchias* intermedias facit, ab annis Servitutum, & Judicum, distinctas: Atque ità ex. gr. inter mortem

tem *Josuæ*, & initium *Othonielis*, medios facit annos *Seniorum Judæ* 50. *Anarchiæ* 35. annos 8. *servitutis* Mesopotamicæ, *Jud.* III. 8. quibus demùm subjungit *Othonielis* annos 40. Ex dubiis verò admodùm hypothesibus, & precariis, pollicentur frustrà demonstrationem restitutionemque Temporum.

Certissima autem nobis est ea Epocha, seu is calculus annorum, quem Sacer Textus signavit. Nec obstat locus *Act.* XIII. 20. *Et posteà, annis circiter* 450. *dedit Judices*, variè is & lectus, & constructus, & explicatus: Sed referendus potiùs ad tempus *quando* dati *Judices*, *postquàm* scilicet fluxissent totidem anni, ὡς *quasi*, *circiter*, puta indè à nato *Isaaco*, usque ad κληρουχίαν seu sortitionem Tribuum; quàm ut explicetur (quod fit à viris eruditis, & à præfato modò Scriptore) de tempore *quamdiu* dati *Iudices*, scil. per annos 450.

Nempè à nato Isaaco ad Exitum, ut suprà fuerunt anni 405. Hinc ad κληρουχίαν anni 46. undè exurgunt (ὡς) anni 450. numero rotundo posito. Et sic quoque magnus Armachanus.

Porrò anni suprà dicti 396. colliguntur in hunc modum;

Ab Exitu ad ingressum in Terram Canaanis, fluxêre juxtà Scripturam anni - -	40.
Hinc ad excessum Josuæ, communiore calculo, (ut supervixerit Josua paucis annis, *decennio* puta, post sortitionem Terræ, jam is ætate gravis tempore κληρουχίας, *Ios.* XIII. 1.) anni fuerint, quos alii decennio augent, sed precariò. - - - - -	17.

Contrà Usserius, & alii *decennium* illud Josuæ, post *κληρυχίαν*, includunt in annis sequentibus 40. Supplent verò aliàs, annos inserendo 9. & aliquot menses, inter Gedeonem & Abimelechum, licet non expressos in Scripturâ S.

Hinc ad mortem Othonielis, *Iud.* III. 11. *quiete Terræ* restitutâ, (inclusis quidem, sed distinctis tamen ab annis pacis & quietis, annis *ἀναρχίας* à morte *Seniorum*, & annis *corruptionis*, *Iud.* II. 7, 10, 14. hinc annis 8. servitutis, *Iud.* III. 8.) fluxerunt anni - - - - 40.

Hinc ad finem annorum 80. quibus includuntur anni 18. servitutis Moabiticæ, *Iud.* III. 14, 30, 31. Judicibus Ehud & Schamgar, anni - - 80.

Hinc ad devictum Siseram, sub Deborâ, inclusis annis 20. oppressionis per Cananæos, *Iud.* IV. 3. V. 31. anni - - 40.

Hinc anni quietis sub Gedeone, *Iud.* VIII. 28. inclusis annis 7. servitutis Madianiticæ, *Iud.* VI. 1. anni - - - 40.

Hinc anni 3. Abimelechi, *Iud.* IX. 22. & Tholæ anni 23. *Iud.* X. 2. & Jairi anni 22. *Iud.* X. 3, 8. quibus nempè includendi sunt anni 18. Hammoniticæ oppressionis; Et sic exurgunt anni - - - - 48.

Hinc ad Samsonem, inclusis annis
Jephtæ, 6.
Ibzanis, 7.
Elonis 10.
Abdonis 8 --- ex *Iud.* XII. 7--14. fiunt in universum anni - - - 31.

Hinc

Hinc ad finem Judicaturæ Samsonis, cui tribuuntur anni 20, *Iud.* XVI. 31: & ad finem Judicaturæ Heli, cui tribuuntur anni 40: ità ut in istis includantur anni 40. oppressionis per Philistæos *Iud.* XIII. 1. seu partem horum mediam ad anteriora Samsonis referas; seu ad sequentes annos Heli, fiunt anni - - - 60.

Summa Annor. 396.

Usserius paulo aliter, daturus Samsoni & Heli nonnisi annos 40. inclusis 40. annis oppressionis per Philistæos. Tum *Samueli* daturus annos 21. distinctos ab annis 40. *Saulis*: quos annos Samuelis & Saulis, in sequente Epochâ, nos combinamus. Epilogismus utrobique idem, ab Exitu, ad jacta Fundamenta Templi Salomonici.

Canon Epochæ V.

Ab initio Samuelis, ad initium structuræ Templi Salomonici: Vel etiam, Usque ad divisionem Regni per Jeroboamum.

Si terminetur Epochâ in jactis Templi Salomonici fundamentis, fuerit modo annorum 84. juxtà Scripturæ S. calculum. Si extendatur ad distractionem Regni, & initium Jeroboami, primo anno à morte Salomonis, fuerit anno-

 rum

rum 120. Qui anni hunc in modum colliguntur.

Ab initio Præfecturæ solius Samuëlis, Prophetæ simul & Judicis, post mortem Heli, 1 *Sam.* IV. usque ad initium regni Saülis, 1 *Sam.* X. fluxerunt anni omninò plus quàm 20. Hi enim putantur indè à collocatâ Arcâ in Kirjath-Jearim, usque ad tempus resipiscentiæ, & liberationis Israëlis à jugo Philistæorum, 1 *Sam.* VII. 2. &c. Undè ad unctionem Saülis, videtur adhuc intercessisse annus 1. colligente Usserio ex 1 *Sam.* XIII. 1. tum *biennium* ad rejectionem Saülis, 1 *Sam.* XV.

Hinc ad mortem Saülis, quæ acciderit haud longè post Samuëlis excessum, 1 *Sam.* XXV. XXXI. putandi sunt anni reliqui, usque ad impletos annos 40. qui tribuuntur toti tempori Samuëlis & Saülis: Combinato sic utriusque regimine, in epilogismo annorum, *Act.* XIII. 21.

Igitur ab initio Samuëlis, ad initium regni Davidis, fluxerunt anni - -	40.
Ab inchoato Regno Davidis, in Hebron, ad mortem ejusdem, putandi juxtà calculum Sacrum, 2 *Sam.* V. 4. anni - - - - -	40.
Hinc ad fundatum Templum à Salomone Rege, anno ejusdem 4. 1 *Reg.* VI. 1. anni - - - -	4.
Fiunt A.	84.

Sed

Sed extendi hæc Epocha potest, ad distractionem Regni Israëlitici, seu ad defectionem x. Tribuum, statim anno I. Rehoboami, additis tum annis completis Salomonis 36. qui fluxêre à fundato Templo ad hujus excessum, 1 *Sam.* XI. 42. Quod enim recentiores quidam Chronologi, inducti authoritate Josephi, *Lib.* VIII. *C.* III. ad annos Salomonis in Scripturâ traditos, 1 *Reg.* XI. 42. 2 *Chron,* IX. 30. ut hypothesi serviant, & producant Epocham à fundato Templo ad ejus destructionem, addunt alios annos 40. quibus Salomon regnaverit impius & Idololatra, fit nullo documento, & audaci conjecturâ: Josepho in calculo Chronologico, ab Hebræis Codd. & à se ipso dissidente, ut visum, adaugenteque vehementer res Salomonis.

Quare ad priores annos 84. adde reliquos annos Salomonis - - - -	36.
Sic fuerit hæc Epocha *Quinta*, annorum - - - - -	120.

Canon Epochæ VI.

A distractione Tribuum, Anno I. Rehoboami Judæ, & Jeroboami Israëlis, ad initium Annorum LXX. Captivitatis Babylonicæ.

Epocha à *distractione Regni* vel defectione Tribuum, seu ab anno 1. Rehoboami 1. *Reg.* XII. XIV. 21. qui & 1. Jeroboami, 1 *Reg.* XII. 20. &c. ad initium *Captivitatis Babylonicæ*, seu ad initium annorum LXX. est jam intervalli non satis certi. Variat enim supputatio annorum hujus Epochæ, prout alii initium Captivitatis referunt ad annum IV. Jehojakimi Regis; alii ad 1. Jechoniæ; alii ad Excidium Templi & Urbis anno XI. Zedekiæ. Prout rursùm alii auctoritate loci *Ezech.* IV. 9. indè ab anno 1. Jeroboami, qui peccare fecit Israëlem, ad deportatum Populum, numerant annos 390. hos etiam diversimodè terminatos, vel in Jechoniâ, vel in Urbis obsidione ultimâ, vel in Excidio. Prout denique variè computantur anni Regum *Israëlis*, & contemporaneorum Regum *Juda*, in Scripturâ S. undè fit ut illi hos superent annis IV. supputatione factâ.

Quare dubia non pauca hærent, v. gr. sintne anni Regum intelligendi *completi*, an *inchoati*; numerusne *præcisus*, an sæpè *laxior*, ut rotundus numerus exurgeret? Sic anni-ne Filiorum *seorsim* ab annis Patrum supputandi, an

an quandoque *conjunctim*, Filiis assumptis in societatem Regni à vivis Patribus, v. gr. Joramo Judæ assumpto, ob absentiam Patris 1 *Reg.* XXII. anno Josaphati XVII. annis VIII. ante mortem Patris; vel etiam antè hanc annis III. Patris scilicet anno XXII. ob difficultates ex 2 *Reg.* III. 1. VIII. 16. Sic Achazià constituto Rege, vivo Achabo, 1 *Reg.* XXII. 51, 52. Sic Joramo Israëlis regnante antè Joramum Judæ, id est antequàm hic regnaret solus, 2 *Reg.* VIII. 16. sed post Joramum, à Patre Josaphato assumptum, 2 *Reg.* 1. 17. Sic Jeroboamo II. regnante annos XI. cum Patre Joaso; undè æstimandi anni illi XXVII. hujus Jeroboami, quando Azarias Judæ regnare cœpit, 2 *Reg.* XV. 1. &c.

Dubium etiam quandoque est, anni-ne Regum inchoandi *immediatè* à morte Patrum, an *mediatè* facto interregno, ut quidam volunt in annis Azariæ, 2 *Reg.* XIV. 23. alii in annis Ezechiæ, 2 *Reg.* XVIII. 2. Sic anni-ne intelligantur *Regum*, an sæpè *Regni*; quomodò de anno Asæ XXXVI. id est, indè à Regno diviso, cui imperabat Asa, 2 *Chron.* XV. 19. XVI. 1. Sic quandoque, sintne anni Regni continuati in hac & illâ familiâ, nec tam de ætate *Regis*, quàm *Domûs* ad fastigium Regium evectæ, ut quidam de annis Achaziæ 2 *Chron.* XXII. intellectis de annis domûs Omri in Israële regnantis.

Tacemus dubiam quandoque lectionem Codd. Quomodò plerique, cum Græcis, Syro, Arabe, censent 2 *Chron.* XXII. 2. mendosè esse expressos annos 42. pro quibus legendi anni 22. authoritate loci 2 *Reg.* VIII. 26. Quanquàm nec laxanda hîc fibula, nec pro arbitrio

fine addendi, demendive, aut immutandi numeri, ut factum non uno in loco à Lud. Capello, & qui eum exceperunt, novis seu Chronographis, seu Criticis.

Contractis verò in summam annis Regum *Judæ* in Scripturâ S. expressis scil. à Divisione Regni, ad IV. inchoatum Jehojakimi Regis, undè initium Captivitatis, & annorum LXX. (ità ut nonnulli dicantur regnasse totidem annos, nempè *inchoatos*, aut ex parte cum *Patribus*, ut suprà) exurgit epilogismus annorum propè 370. Ità, incidit distinctio Regni Israëlitici, secundùm Petavium, Usserium &c. in annum *Per. Jul.* 3739. Annus verò IV. Jehojakimi Regis, seu I. Nebucadnezaris, undè initium LXX. annorum Captivit. in annum *P. Jul.* 4107. Relinquuntur anni intermedii 368.

Sigillatim verò anni Regum *Judæ*, quales singulis tribuuntur, ità habent.

Rehoboamo, duabus Tribubus imperanti, anni tribuuntur, 2 *Chron.* XII. 13. - -	17.
Abiæ, in Textu Hebraico, (nam excedit calculus ꝟ LXX) tribuuntur 1 *Reg.* XV. 2. 2 *Chron.* XIII. 2. anni - - - -	3.
Asæ 1 *Reg.* XV. 9, 10. anni aliis inchoati, aliis completi; - - - -	41.
Josaphato ab anno IV. Achabi completo, 1 *Reg.* XXII. 41, 42. 2 *Chron.* XX. 31. itidem anni - - - -	25.

Joramo, dùm regnavit cum

Patre:

Patre, anni 8. 2 *Chron*. XXI.
5: dùm verò solus, anni modò - - - - 4.

Achaziæ, qui & Azaria, post mortem patris, 2 *Reg*. VIII. 26. tollendus à Jehu, annus modò - - - - - 1.

Athaliæ viduæ Jorami, matri Achaziæ, usurpatrici regni, 2 *Reg*. XI. 1, 3, 4. 2 *Chron*. XXII. 10, 12. anni completi - - - - - - 6.

Joaso, filio Achaziæ, à quo *Zacharias* (qui & Barachia) in Atrio Domûs occidi jussus, 2 *Chron*. XXIV. 21. anni saltem inchoati, ex 2 *Reg*. XII. 1: 2 *Chron*. XXIV. 1. - - - 40.

Amaziæ, filio Joasi Judæ, regno admoto anno 2. Joasi Israëlis, anni juxtà Scripturas, 2 *Reg*. XIV. 1, 2. - - - 29.

Uzziæ vel Azariæ anni multi fuerunt, ac dubium nonnullis, an post anni 1. interregnum. Quomodò à morte Jeroboami II. Regis Israëlis, anno Azariæ 26. interregnum annorum ferè 12. concipitur ex loco 2 *Reg*. XV. 8, 13. Hujus Azariæ Anno XXXIV. vel XXXV. inchoato, incipiunt vulgò anni *Iphiti*, seu *Olympiadum* ab æstate. Tribuuntur illi post mortem Patris, 2 *Reg*.

xv. 1, 2. anni - - - - -	52.
Jothamo filio Uzziæ, vel Joathamo, ad regnum admoto anno 2. Pekach Iſraëlis, 2 *Reg.* xv. 32, 33. anni - - -	16.
Quod enim Jothami annus xx. memoratur, 2 *Reg.* xv. 30. intelligitur de tempore elapſo ex quo Jotham regnare cœperat. In Jothami verò hujus tempora, incidunt Æræ nobiliſſimæ *Urbis Cond.* & *Nabonaſſari.*	
Achazo Jothami filio 2 *Reg.* xvi. 1, 2. anni - - - - -	16.
Ezechiæ, cujus anno 6. Hoſeæ Iſraëlis 9. deportatæ x. Tribus, anni 2 *Reg.* xviii. 1, 2. - - - - -	29.
Manaſſi, ex impio pœnitenti, incluſis annis Captivitatis ejus Babylon. anni in univerſum 2 *Reg.* xxi. 1. 2 *Chron.* xxxiii. 1. - -	55.
Amoni, à morte Patris Manaſſis, non anni xii. ut Euſebius, authoritate τ̃ LXX. ſed anni, juxtà loca 2 *Reg.* xxi. 19. 2 *Chron.* xxxiii. 21. -	2.
Joſiæ optimo Regum, à cujus anno 13. prophetavit Jeremias, tollendi anni ætatis 39. anni ex 2 *Reg.* xii. 1. &c. - - - - -	31.
Joachazo (qui & Johanan, Sallum) trium menſium Regi,	

in Ægyptum abducendo, 2 *Reg.* XXIII. 31. &c. - -		3. Mens.
Jehojakimo (qui Ἰεχονίας propter ἐυφωνίαν *Matth.* I. 11.) dato fratri in Successorem, anni completi 3. inchoato anno 4. quando fuit initium Captivitatis Babylonicæ, anno 1. Nebucadnezaris Filii, ut suprà in Canone Nabonassareo, & *Jer.* XXV. *Dan.* I. 1. -	3.	
Fit summa annorum à *Distractione Regni* utriusque, sed putatis annis quandoque *inchoatis* pro *completis*, ad *initium Captivitatis Babylonicæ*,	370.	
Hinc verò addendi ad finem Jehojakimi Regis, qui regnavit annos 11. vix exactos, 2 *Reg.* XXIII. 36. anni completi - - -	7.	
Jechoniæ vel Jojachimo, trium rursùs mensium Regi, antè deportationem, 2 *Reg.* XIV. 8. tribuuntur. - -		3. Mens.
Zedekiæ, qui & Mattania, (cujus anno IX. Urbs à Nebucadnezare ultimò obsessa) ad excidium seu conflagrationem Templi & Urbis, anni juxtà Scripturas, 2 *Reg.* XXV. 2. *Jer.* LII. 4, 5. - -	11.	

Fit

Fit epilogismus annorum, à 1. Rehoboami, vel 1. Jeroboami, ad excidium Templi, sed annis singulorum quandoque inchoatis tantùm, - - -	388. - 6. Mens.
Quando verò *primus* Rehoboami incidit in annum *Per. Jul.* 3739. Conflagratio verò Templi Salomonici, in annum *Per. Iul.* 4126. (quâ de re Petavius, Usserius, Chronologi alii accuratiores, Scripturis insistentes) relinquuntur accuratiore calculo anni modò completi - - - -	387.
Et sic ferè coincidunt anni, ænigmaticè indicati Ezechieli, *Cap.* IV. 9. sub dierum numero, scilicet 390.	
Adde jam annos Salomonis, post jacta primùm Templi fundamenta, ad hujus excessum - - -	37.
Fiunt anni completi, à fundato Templo Salomonis ad ejus conflagrationem; - -	424.

Ca-

Canon Epochæ VII.

Ab initio Captivitatis Babylonicæ, ad finem LXX. Annorum.

Hanc Epocham annis LXX. ipsa Scriptura S. passim definit, *Ierem.* XXV. 12. XXIX. 10. 2 *Chron.* XXXVI. 2. *Dan.* IX. 2.

Quicquid alii hos annos seriùs inchoent, vel à Captivitate *Iechoniæ*, cum Josepho Scaligero, & sequacibus; vel ab excidio Urbis & Templi, A. XI. *Zedekiæ*, cum Josepho, & plerisque Veteribus, seriùs ità terminandos; Nobis placet ea hujus Epochæ ratio, quæ conciliat Scripturæ Canonem cum Canone Babylonico, & cum Ptolemæi rationibus, ac Berosi apud Josephum contrà Appionem *Lib.* 1. Probantibus pridem Eusebio, Sulpicio Sev. G. Syncello &c. ut mittamus Petavium, Usserium, aliosque primæ notæ Chronologos.

Igitur, ab Anno 4. Jehojakimi Regis, inchoato scilicet, qui fuit A. 21. Nabopolassari, seu Nebucadnezaris Patris, & Annus 1. Nebucadnezaris ejus filii, *Ierem.* XXV. 1. *Dan.* 1. 11. ad excidium Urbis & Templi, fluxêre anni circiter. - - - - - -	19.
Hinc ad mortem Nebucadnezaris, cui anni 43. in universum tribuuntur, anni - - - - - -	24.
Hinc anni solidi Evilmerodachi, qui filius Nebucadnezaris, (nec *Belshasar* idem, quicquid Petavius, Marshamus, &c.)	

&c.) consentientibus præfatis Scriptoribus, . - - - - - 2.

Hinc anni Neriglissoroari, regnum invadentis sui Affinis, & transmittentis dein (ad IX. circiter Menses) ad filium suum Labor-assar-chadum, juxtà Berosum, &c. - - - - - 5.

Hinc anni Nabonnadii, Nabonnedi, Nabonedi, qui filius Evilmerodachi, nepos adeò Nebucadnezaris (sive jam is sit idem qui Belshasar, post Josephum, Hieronymum, Torniellum, Usserium, & benè multos, *Jer.* XXVII. 7. *Dan.* V. 2, 30. sive idem qui Darius Medus, *Dan.* V. 31. ut quidem vellent Scaliger, Petavius &c.) antè expeditionem Cyri Regis, consensu Ptolemæi, Berosi, - - - - - - - 17.

Hinc *biennium*, sive ad captam tandem à Cyro Babylonem, victo Nabonedo Babylonio seu Belshasare, *Jer.* LI. *Dan.* V. 31. (sive post eam jam occupatam, ad mortem usque Darii Medi, qui fuerit ità *Cyaxares*, Astyagis filius, Cyri Socer & avunculus, cui Imperium à Cyro traditum fuerat, ulteriùs victorias suas prosecuturo; invito licet Petavio, *Lib.* X. C. VIII. IX. Atque adeò ad annum I. Monarchiæ Persicæ, quo prodiit Edictum in favorem Judæorum, *Esdr.* I. I. 2 *Chron.* XXXVI. 22. fluxêre anni - - - - - 2.

Fiunt anni Captivitatis completi, - 69.

Adde

Adde 1. Cyri Babylone Imperantis, fiunt anni, à IV. Jehojakimi Regis, - | 70.

Canon Epochæ VIII.

A fine LXX. Annorum, seu ab Anno 1. Monarchiæ Cyri, ad Principatum Maccabæorum, post Excessum Antiochi Epiphanis.

Non certior hujus Canonis ratio est, quàm 1. Si putentur anni totius Monarchiæ Persicæ, à 1. Cyri Regis, *septennio* antè ejus excessum, ad ultimum Darii Codomanni, præeunte Canone Nabonassareo apud Ptolemæum, de quo suprà, & Historiâ duce, ac consentiente ferè (paucis annis exceptis) Chronologorum choro. 2. Si hinc, scil. à primo Monarchiæ Alexandri Macedonis, undè Calippus Periodum suam exorsus est, ducamur ad primum annum Græcorum, seu Seleucidarum, annis XII. à morte Alexandri M. Et hinc ad excessum Antiochi Epiphanis, notatum Scriptori 1. Maccabæorum, & Josepho Ἀρχαιολόγῳ *Lib.* XII. *Cap.* XIV.

Annos quod attinet, quibus duraverit Monarchia Persica, explosus pridem calculus Hebræorum, qui quatuor tantùm Reges Persis assignant, annos verò his 52. contrahendis temporibus, & prorogando adventui Messiæ. Errarunt etiam hac parte Clem. Alexandrinus, Tertullianus, alii Veterum. Sed & David Paræus, summus aliàs Theologus, secutus Beroal-

roaldum. ut LXX. *septimanas* Dan. inchoandas illi à 1. Cyri, terminaret ad tempus *excidii* Christi proximum; sicque Chronologiam universam Vet. Test. ex solis characteribus Scripturæ S. contexeret.

Consentit autem turba tota Chronologorum, Monarchiæ Persicæ tribuendos esse annos minimùm 200. ex Canone Ptolomaico, & collatis historiis Herodoti, Thycididis, Diodori, Ariani &c. Undè alii putant 201. & sic Lud. Capellus; alii 204. cum Lydiato; alii 205. ut nuperus scriptor de *Antiquit. Temporum*; plerique annos 207. vel 208. saltem inchoatos, & ità quoque Magnus Usserius. Cœpit enim annus 1. Cyri Babylone Imperantis anno Nabonassareo 211. Desiit imperium Darii Codomanni anno Nabonass. 418. ut suprà in Canone Mathemat. Canon igitur ità habeat:

A. 1. Cyri, post mortem Darii Medi, ad ejus excessum, anni - - -	7.
Hinc ad ultimum Codomanni, & occupatam ab Alexandro M. Babylonem, Olymp. CXII. anno 2. impleto, ut quoque Diodorus Siculus, anni circiter - - - - - -	200.
A primo Alexandri, ad mortem ejusdem, Olymp. CXIV. anno 1. (quanquàm in anno uno & altero varient Chronologi) anni communiter, - - - -	7.
Hinc ad 1. annum Seleuci Nicanoris, seu Æræ Seleucidarum vel Græcorum, annis XII. completis à morte Alexandri, anni - - - - -	12.
Hinc ad mortem Antiochi Epiphanis, mortui anno Seleucidarum, (qui inci-	

pit

pit à verno tempore in 1. *Maccab.* sed ab autumno apud Josephum) 149. ex Josepho *Lib.* XII. C. XIV. & 1 *Maccab.* VI. 16. ubi jam terminanda hæc Epocha; anni - - - - - -	149.
Fiunt anni - -	375.

Canon Epochæ IX.

Ab Excessu Antiochi Epiphanis, seu à Principatu Hassamonæorum, ad Æram Christi Vulgarem, seu Dionysianam.

Hujus Epochæ intervallum tutissimè constat, tùm ex Josepho Historico, *Lib.* XIV. C. ultimo, putante annos ad captam ab Herode Hierosolymam; tùm ex annis singulorum in Hassamonæis Pontificum, seu laterculo eorundem, apud Josephum; tùm ex termino Æræ Seleucidarum, post Syriam in Provinciæ formam à Pompeio redactam, à quo & Hierosolyma occupata, *Olymp.* CLXXIX. anno 1. Urb. Cond. Varr. 691. Per. Jul. exeunte 4651: tùm ex collatis annis Olympiadum; ut & potentiæ Julii Cæsaris à victo Pompeio; hinc annis Octavii Augusti sub quo natus Christus; tandem & Regni Herodiani apud Josephum. Dubiis quanquàm vel perplexis nonnunquàm characteribus, ut frustrà omnimoda consensio, in anno uno alterove, expectetur.

Igitur à 1. anno Pontificatûs Maccabaici, pau-

paulo antè mortem Epiphanis, A. Per. Jul. 4550. usque ad cæsum Antigonum, ultimum Hassamonæorum, & expugnatam ab Herode Hierosolymam, operâ C. Sosii Antonii legati, fluxerunt juxtà Josephum loco cit. consentientibus ferè Chronologis, anni - - - - - - - - 126.

Ab expugnatâ per Herodem Hierosolymâ, seu ultimo *Dec.* seu Kalendis *Januariis*, (annis tribus postquàm Rex Romæ declaratus fuerat, favore Antonii & Octavii; Coss. *M. Agrippâ* & *L. Caninio Gallo*, Olympiadis CLXXXV. anno 3. aliis 4. ab occupatâ per Pompejum Hierosolymâ, juxtà Josephum anno 27. qui non potest esse nisi inchoatus, completus 26. Juliano anno 9. *Per. Jul.* ineunte anno 4677. à cæde Julii Cæsaris anno 7.) fluxerunt apud eundem Josephum, usque ad mortem Herodis eidem descriptam, *Antiq.* L. XVII. C. X. de Bello Judaico *Lib.* I. C. XXI. anni modò λδ. 34. ἔτη τέσσαρα καὶ τριάκοντα, ut habent numeri hodierni. Et sic mortuus fuisset Herodes M. Olympiadis CXCIV. anno 1. *Per. Jul.* 4710. anno Juliano 42. circà Pascha, Coss. *Calvisio Sabino* II. & L. *Passieno Crisp. Rufo.*

Quo fit ut Æra Dionysiana (quæ conjicit Natalem Christi in Olympiadis CXCIV. annum 4. *Per. Jul.* annum exeuntem, in *Decembri*, 4713. Julianum 45. Coss. *Corn. Lentulo*, & *Calpurn. Pisone*)

sone) sit posterior triennio, & IX. circiter mensibus, morte illâ Herodis M. contrà fidem Evangelistarum. Hinc crux Chronologis, & conciliandæ Historiæ Sacræ cum illâ Josephi, & Exoticâ, remedium duplex. 1. Si *numeri* apud Josephum censeantur fuisse corrupti, quod Viris magnis creditum; ut legendi sint anni, à detruso regno Antigono, ad mortem Herodis, non λδ' 34. sed minimùm λς' 36. Quo magis annum emortualem Herodis Josephus nullo certo charactere signavit, ut facit annum expugnatæ Hierosolymæ, *Lib.* XIV. C. XXVIII. 2. Si omninò censeatur errasse Dionysius Exiguus; & Natalis Christi verus non uno anno anticipandus esse. Quâ de re summa hodie consensio est inter Latinos Chronologos, quamvis in annorum numero dissensus sit. Adeundus omnium instar Parens noster, Dissertat. de *Ærâ Christianâ*, deque *Periodo Regni* Herodis, Parte II. Dubior. Evangelicor.

Quicquid ejus rei sit, à captâ per Herodem Hierosolymâ, Olympiadis CLXXXV. anno 3. ex dictis, Petavius anno 4. ad Æram Communem Dionysianam, fixam in annum 4. Olympiadis CXCIV. necesse est fluxisse annos - - 36.

Fiunt anni à Principatu Maccab. ad Æram Christi Vulgarem, - - - - 162.

Summa Annorum, quos conficiunt hæ omnes Epochæ.

Ab Orbe Cond. ad Æram Communem.	*Anni Mundi Cond.*	*Per. Julianæ.*
Incepit Creatio, juxtà hunc Canonem, in Æquin. Autumnali; anno *Periodi Jul.* - - - -		710.
Ep. I. A Creatione Mundi, ad Diluvium, anni completi - - - - -	1656.	2368.
Ep. II. A Diluvio ad primam Vocationem Abrahami, seu ad egressum ex Charane, vel ingressum in Terram Canaanis, anno æt. 75. anni - - -	427.	2793.
Ep. III. A Vocatione Abrahami, ad Exitum ex Ægypto, anni - - -	430.	3223.
Ep. IV. Ab Exitu ex Ægypto, ad initium Samuëlis, & Saülis, vel finem Præfecturæ Heli, anni -	396.	3619.
Ep. V. Ab initio Samuëlis, ad distractionem Regni Israëlitici, anno 1. Rehoboami, anni - -	120.	3739.
Ep. VI. A distractione Tribuum, ad initium annorum LXX. Captivitatis		

Baby-

	Anni Mundi Cond.	Per. Juliana.
Babylonicæ, juxtà annos Regibus Judæ in Script. S. tributos, sed quandoque inchoatos, anni 370. Accuratiore verò calculo, ad Periodum Julianam exacto, anni completi - - -	368.	4107.
Ep. VII. Hinc anni Captivitatis Babylonicæ, ad 1. Cyri, Babylone jam imperaturi, completi - - -	69.	4176.
Ep. VIII. A 1. Monarchiæ Cyri, ad Pontificatum Judæ Maccabæi, certè ad excessum Antiochi Epiphanis, Anno 149. Græcorum, sunt anni nostro calculo, - -	375.	4551.
Ep. IX. Ab excessu Antiochi Epiphanis, successuro Eupatore, ad Æram Communem Nativit. Christi, anni - -	162.	4713.
Fiunt in universum, (concordante hoc Epilogismo cum illo Usserii, Lydiati, &c. licet discordent in particularibus nonnullis computis, ut sigillatim visum est) anni ab O. C. ad Æram Vulgarem - -	4004.	4713.

XIX. *Epo-*

XIX. *Epochæ quædam nobiliores, quæ exceperunt illam Æræ Natalitiæ; exacta quoque ad Periodum Julianam.*

Æræ *Passionis Christi* momentum intelligitur, vel ex LXX. *Septimanis* Danielis, in quarum *ultimâ* exscindendus fuit Christus, Fœdus confirmandum, & abolendum Sacrificium, *Dan.* IX. Nempè cognoscitur tempus Passionis, 1. Ducto initio publici à Baptismo Ministerii, toto minimùm anno, si non ultrà, ab ἀναδείξει Joh. Baptistæ, quæ incidit in annum XV. Tiberii, *Luc.* III. 1. Malè enim connecti annum hunc Tiberii, cum Baptismo Christi, aut cum ejus Passione, ut factum à Veteribus, aliàs ostensum. 2. Connectendo annum Christi ὡσεὶ *circiter trigesimum*, *Luc.* III. 23. quando fuit aquâ baptismali à Johanne perfusus, (Baptistâ jam propè impleturo τ̄ δρόμον *cursum*, sui Ministerii, *Act.* XIII. 24, 25.) cum anno labente Tiberii XVI. si non XVII. cujus initium in XIX. Augusti locant Hi-

Anni Per. Jul.	*Anni Æræ Christ. V.*

sto-

	Anni Per. Jul.	*Anni Æræ Christ.*
ſtorici. 3. Hinc prorogando Chriſti Miniſterium certè in *quartum* Paſcha, ſeu Tiberii annum XIX. ſi non XX. quando Chriſtus celebravit ultimum Paſcha, morti proximus, id eſt, juxtà Euſebium, Scaligerum, Uſſerium &c. anno *Per. Jul.* nuper inchoato; - - - -	4746.	33.

Sed de anno Paſſionis alibi diſſertavimus, in *Ærâ Converſ. Paulinæ.*

Æra *Converſionis Pauli* Apoſtoli, ea eſt à quâ ipſe Paulus orditur ſupputationem annorum, in *Epiſt.* ad Galatas. Et ex quâ judicium eſt de tempore Concilii Hieroſolymitani, cui Petrus interfuit, *Act.* XV. anno inchoato XIV. à Pauli converſione, *Gal.* II. I. Item judicium, de profectionibus Pauli Hieroſolymitanis, quarum prima fuit, *triennio* à converſione *Gal.* I: 18. *Act.* IX. 26. & de ſcriptâ poſteriore *ad Corinthios*, annis XIV. impletis, ab exſtaſi ſeu raptu Hieroſolymitano 2 *Cor.* XII. 2. *Act.* XXII. 17. ſcil. in ſecundo itinere, *Act.* XI. 25, 26. A. Claudii IV. Agrippæ ultimo;

Indè

	Anni Per. Jul.	Æra Christ.
Indè etiam judicium de tempore adventûs Paulini in Urbem primi, ubi nullus tùm Petrus; &c.		
Atque incidere primùm hanc Pauli Conversionem, (contrà quàm plerique Veteres ac recentiores) non in annum à Passione II. ut nuper quoque Doctiss. Pearsonus, sed in annum à Passione VI. vel VII. alibi demonstravimus fusâ Dissertatione: Id est, si non anno seriùs, saltem in annum *Per. Jul.* -	4752.	39.
Æra *Excidii* Urbis, & Templi, & Politiæ Judaicæ per Romanos, ea est in quâ Josephus Scaliger, Ubbo Emmius, & qui sequuntur τ̀ πάνυ, constituunt finem LXX. septimanarum Danielis, sed malè. Incidit ea verò, quicquid Judæi *triennio* antevertant, in VI. Eid. *Sept.* anno - - - - -	4783.	70.
Æra primi *Agonis Capitolini*, à Domitiano celebrati, Consulatu ejus XII. & Ser. Corn. Dolabellæ, quam notat Censorinus, Urb. Cond. A. 839. (siquidem Agones Capitolini, Καπιτώλια, surrogati à Domitiano in Lustrorum		

cti,

	Anni Per. Jul.	*Æra Christ.*
locum, & *quinquennales* facti, ad modum Olympicorum) coincidit cum anno -	4799.	86.
Æra *Diocletiani*, quæ *Martyrum* & *Ægyptiaca* posteà est appellata, incepit ab Augusti XXIX. apud Ægyptios, anno I. Diocletiani, Æræ Actiacæ 314. Contractuum 595. Carino II. & Numeriano Coss. Successit in Ægypto in locum Annorum Actiacorum, eique diuturnus usus fuit apud Orientales: Uti ejus meminerunt Latini etiam Chronographi, Beda, Hermannus Contractus &c. Concurrit cum anno - - - - -	4997.	284.
Æra *Constantini M.* Imperatoris in Britanniâ salutati, à morte Constantii Chlori VIII. *Kal. Aug.* eodemque anno exeunte accepturi à Galerio Purpuram, Christianis observanda est. Concurrit cum Anno Æræ Diocletianeæ 22. - - -	5019.	306.
Æra *Indictionum Constantinianarum*, instituta fuit à Constantino M. ad VIII. *Kal. Oct.* diem scilicet cladis & interitûs Maxentii, novumque initium princi-		

	Anni Per. Jul.	Æræ Christ.
patris Constantini M. & unde pridem initium anni Syro-Macedonici. Ac deinceps abjectis *Olympiadibus*, & *Agonibus Capitol.* notatæ hæ in Imperatorum rescriptis, & in Actis publicis R. Imp. inde à Constantini M. temporibus; uti apud Francos & Germanos, inde à Carolo M. Incipiunt igitur *Indictiones* Constantinianæ, & Cæsareæ, quæ singulæ sunt annorum xv. ab anno Imperii Constantini VII. - -	5025.	312.
Ut retroactæ sint à Græcis Imperatoribus ad *Kal. Sept.* à Romanis Pontificibus ad *Kal. Jan.* alibi traditur.		
Æra *Concilii Nicæni* I. Oecumenici, quando Alexandrini fixerunt dim Æquinoctialem XXI. Martii, & unde Gregorius XIII. initium fecit in restituendo Calendario, non observata hæc licet Eusebio, spectat omnino ad Ecclesiasticas Tabulas. Communi sententiâ iniit Synodus Nicæna, Æræ Hispanicæ Anno 363. Æræ Contractuum, juxta Socratem, A. 636. Paulino & Juliano Coss. id est anno -	5038.	325.

Æra

Æra reformati *Calendarii Judaici*, &c.	*Anni Per. Jul.*	*Æra Christ.*
Æra reformati *Calendarii Judaici*, scil. à R. Hillele, Principe Synedrii M. (de quo suprà in Anno Judaico) etiam Chronologis observanda est. Accidit anno Per. Judaicæ 4118. Æræ Contractuum 670. secundùm Chronologiam Magistrorum, imperante Constantio Imperatore; ab Excidio Templi & Reip. Judaicæ anno, secundùm Judæos 290. veriore calculo 287. Concurrens adeò cum anno	5070.	357.
Æra *Arabum*, seu *Hegiræ*, id est migrationis Muhammedicæ, quæ successit apud istos in locum Æræ Damascenæ seu Antiochenæ, ea est de quâ fusè suprà in *Anno Arabico*, *Sect.* XV. Figitur nempè ejus caput in annum labentem Æræ Dionysianæ 622. Julii diem XVI. (licet ex sententiâ Alfonsi Regis figenda in diem Julii XIV.) feriâ VI. Æræ Damascenæ A. 670. Periodi Judaicæ A. 4382. Concurrens adeò cum anno - - -	5335.	622.
Æra *Persarum*, aliàs *Jezdagirdica*, familiaris Orientis Scriptoribus (à Jezdagirdo postremo Persarum rege,		

 antè

	Anni Per. Jul.	*Æra Chriſt.*
antè Saracenorum invaſionem, ſic appellata) ducenda eſt ab anno 1. Imperii Jezdagirdi, id eſt *Hegiræ* Arabicæ A. 632. Et quidem à Neomeniâ menſis Perſici *Ferurdin*, vel *Ferwardin*, qui tùm vagus fuit, incidens in Junii d. XVI. Concurrens cum anno - - -	5345.	632.
Æram anni *Gelalæi*, vide *pag.* 81.		
Æra *Caroli M.* à quo inſtauratum Imperium Occidentis, omninò inter nobiliores reponenda eſt, ad Hiſtoriam mediæ ætatis. *Triplex* illa omninò ſtatuenda eſt, qualiter & ipſe diſtinxit Carolus M. poſt ſuſceptum titulum *Imperatoris*, & *Auguſti*, licet quandoque confundantur.		
Prima eſt Epocha *Regni Francici*, quando Patri Pipino ſucceſſit, cujus *Pipini* ad *Regnum* evecti, pulſo Childerico, Merovingiorum ultimo, figenda Æra eſt ad A. 751. ut fusè Doctiſſimi Gallorum. Succeſſit autem in Franciæ regnum Carolus, *Octobri* menſe, anno - - -	5481.	768.
Altera Epocha Carolina, eſt *Regni Italici*, ſive *Lon-*		

go-

	Anni Per. Iul.	Æræ Christ.
gobardici, annis sex posterior Regno Francico, incidens in annum - - -	5487.	774.
Tertia Epocha Carolina, est illa *Imperii*; non quidem *collati* in eum, vel *translati* authoritate scil. Pontificiâ Leonis III. sed tamen gesti deinceps etiam *titulo*, & *nomine* Imperiali, post acclamationes S. P. Q. R. & consecrationem Leoninam, expirante Anno Vulg. 800. in Festo Natalitio. Excipit hæc Epocha illam Regni *Francici* annis 33. *Longobardici*, annis 27. ab anno -	5514.	801.
Æra *Alfonsina*, sic dicta est ab Alfonso Romanorum & Castiliæ Rege, à quo sunt *Tabulæ* Alfonsinæ Astronomicæ, inservientes præcipuè æquationi motûs Solis & Lunæ: A quo etiam Æra *Mundi Cond.* hinc & illa *Diluvii*, planè alia est ab eâ quam constituunt seu Græci Codd. seu Hebraici, hinc & diversissima connexio cum annis Periodi Julianæ, ut suprà *Sect.* II. N. IV. Instituit autem à se Æram Alfonsus, cujus initium seu caput ducitur ab Æræ Christianæ Anno 1252.		

	Anni Per. Jul.	Æræ Christ.
Kal. Junius, qui dies videtur fuisse inthronizati Alfonsi, Innocentio IV. adhuc Pontifice, biennio à sublato Friderico II. Imperatore optimo. Incidit adeò hujus Æræ caput, cujus multiplex usus est in comparatione Epocharum, ex Tabulis Alfonsinis, in annum currentem. - - - -	5965.	1252.
Æram *Gregorianam*, seu castigati Calendarii, & emendati Anni Juliani, supra signavimus, *Sect.* XIV. Et hæc speciminis loco, accendendo rei Chronologicæ desiderio, in Ecclesiasticæ Antiquit. studioso.		

FRIDERICI SPANHEMII F. F.

In Acad. Lugd. Bat. Prof. Primarii,

DE

DE GENERE CHRISTIANISMO ORATIO,

RECITATA

Quum se annuo Academiæ Lugd. Bat. Regimine tertium abdicaret,

Ad. d. IX. Febr. A. CIↃIↃCLXXXVIII.



Abium Maximum, gesto quinquies Consulatu, egisse cum populo ut vacationem aliquando hujus honoris Genti suæ daret, author est, extremo Tiberii principatu, * Valerius. Sive jam invidiæ quorundam, sive oneris explorata illi moles, sive etiam in eâ Fabianæ Gentis, & rerum domi forisque gestarum, atque administrationum gloriâ, satias quædam honorum, à celso illo fastigio dignitatis aversiorem reddidisset Romani Senatûs principem, non nescium

* *Val. Max. L.* IV.

ſcium aliàs, optimis ſemper auſpiciis geri quæ pro ſalute Reipublicæ. Quicquid ejus ſit, Auditores, ego fortaſſis fidem haud ægrè à vobis impetrabo, ſi vacationem ſummi hujus in Rep. Literariâ Magiſtratûs, quem tertium apud vos, ſecundum inter Palatinos, quinquies adeò geſſi, hodiernâ feſtâque luce gratulari me mihi apertè atque ingenuè dixero. Et quod de ſenectute Cato major, ut adipiſcantur optare omnes, eandem accuſare adeptos, idem ego de Honorum hiſce faſcibus, quos modò ſubmitto illi quæ dederat Majeſtati, auſim non abs re profiteri. Quinimò dùm obrepere gravis ætas citiùs ferè voto conſuevit, parum abeſt quin terminalis hic dies hujuſce mei regiminis, inter tot curarum moleſtias, & ſtudiorum intermiſſiones, & faſtidia litigiorum, & componendorum affectuum difficultates, dùm non par omnium ignoſcendi remittendive conſuetudo eſt, tarditate quâdam ſuâ expectationis meæ patientiam expugnaverit. Eſt tamen aliud quod in exitu hujuſce muneris, depoſituro imperii ſimulachrum, ſed ſimulachrum tantùm, difficillimum graviſſimùmque eſſe ſemper judicavi, provincia nempè hæc ipſa conſcendendi hoc tribunal, dicendique quod & magnificæ dignitati, & ſanctitati hujus diei, & loci religioni, & ſplendori ſimul ac confluxui inſolito audientium, ſi non omni certè aliquâ ex parte reſpondere, facereque adeò ad hujus Panegyris decus & ornamentum, exiſtimetur. Quotuſquiſque enim eſt, Auditores, qui in tam frequente diverſorum Ordinum, diverſarumque Gentium & ætatum & propen-

pensionum concursu, seu optione argumenti quod benignos omnes faventesque habeat auribus pariter & linguis, seu grandi & disertâ, aut qualiter comptam & expolitam mediâ ætate dixerunt, scholasticâ Oratione punctum omne tulerit, faustasque promeruerit acclamantium universorum voces, qualibus excepti qui gratiosi atque incitati perorarent. Neque adeò sum mei nescius, aut imprudens æstimator, parùm certè conscius seu hujus in dicendo mediocritatis, seu circumsedentis hæc pulpita numerosissimæ Coronæ, dispari-bus in eâ studiis, affectibus, expectatione dicendorum, ut vel alterutrum, vel utrumque de me ipsus præsumam, delectum aut materiæ nullis auribus importunæ, aut dictionis hac exedrâ, his Magistris artis, & splendidissimo hocce totius eruditæ Europæ Theatro, condignæ satis. Ac quæcunque districtæ mentis & fluctuantis animi solicitudo memet in diversa traxerit, quo potissimùm uterer orationis argumento, de genere tamen, de ornatu parùm me laborasse altâ magnâque voce ingemino; quando cùm Ordinis mei ratio, tùm ipse flexus ætatis, declamatorium omnem apparatum, Gregorio Nysseno olim vitio datum, procul esse jubent; conquesto etiam Gregorio altero, qui Theologi appellationem meruit, rebus sacris & arduis non addi cultum sed detrahi, dùm scenæ ornamenta in Cathedram, aut fori artificia in Ecclesiam inferrentur. Atque utinàm aliqua saltem esset mihi vis innata dicendi, majestas gravitasque sermonis aliqua, non profectò ad aurium voluptatem, vel laudis aucupium, aut

quasi nihil parvum modò aut humile dicturo, *insaniam istam Domine longè fac à me*; ajebat Hipponensis, verùm ut ea quæ utiliter & opportunè, & convenienter muneri juxtà ac rationi luctuosissimi temporis, tractare hoc ex ambone constitui, defigerentur altis radicibus nostrûm omnium animis, ac veluti feliciter concepta occatis mentibus sementis, in saluberrimum non Batavæ modò, sed universæ quà latè patet Ecclesiæ, fructum læta exurgeret! O si sculperentur sermones mei, stylo non ferreo sed adamantino, atque intùs canerem, non Aspendii Cytharistæ, aut Verris cujusdam in modum, sed afficientis è cœlo vocis, ac pectora permulcentis! Quàm me hoc ruituræ horæ momento Basilium quendam, Vos omnes, ac quos præcipuè hic sermo meus attinebit, quique velut è speculâ, velut in vertice montis, spectabiles estis universis, Nazianzenos esse vellem! Si quando, ajebat de Cæsariensi illo Antistite * Nazianzenus alter, si quando Dei opera pandit, rapior ego ad operantem; sicubi Hæreses confodit, Sodomiticum ignem in sceleratas linguas illapsum, vertentemque in cineres, conspicari mihi videor; dùm Martyrum fortes animos, suppliciis & rogis invictos, celebrat memorando, totus ego martyrii cupidine flagro; & si quam Christiani hominis imaginem fingit, aut Virum Dei in mores suos præceptionibus format, continuò alius ex alio efficior divinâ quâdam ἀλλοιώσει, ac me in novum hominem deformatum sentio.

Enimverò non erat, AUDITORES, quod inter

* Naz. Orat. in Basil. T..

inter tot tristia atque amara temporum, lugente plangenteque omni propemodùm Ecclesiâ, expectaretis ut læto festivoque carmine hunc modo Confessum recrearem. Ac quocunque nos tandem otio, florente Republicâ, & Ecclesiis illibatis, quacunque pacis imagine perfruamur, Orbis universi grande Miraculum, circumstantibus flammis illæsa veluti Rubus, parva quidem sed collustrata suis adhuc luminibus Gossen, dum Reformatum orbem penè reliquum tetra caligo involvit: interest tamen nobis Deus si non iratus, & ad ultionem præceps, ut Tarentinis olim mollitie suâ tandem expugnatis, factisque prædæ Romano militi, * relictum nihil à Fabio Consule fuit præter *Deos iratos*, certè interest Deus multoties læsus, nec benè semper advocatus, ac reposciturus tandem rationes accepti. *Et quando, Domine Jesu, Arca tua, tuus Israël, in tentoriis mœrens hybernat, absit ut profanâ securitate, immemores Sionis, immemores nostri, auspicemur tripudia! Absit ut Levitæ ac Sacerdotes tui, aut avertant oculos ab oppressâ corruptâque Ecclesiâ tuâ, aut sua ipsi vulnera, suas ipsi cicatrices, sed interno latenteque malo, propiores ità exitio suo dissimulent, proximo ad interitum gradu nescivisse malum! Et dum ego non tam externas obviasque nimis Ecclesiæ tuæ calamitates ac vicissitudines, quàm degenerem à primâ origine ac simplicitate indolem, pridemque ejus intrà sinum, ex teterrimo virosi oris spiritu, conceptam malorum labem, ac perpetuo fomite ad nos usque propagatam, pro concione hacce recitabo; nullius accusator sed omnium,*

* *Liv. L.* XXVII.

nium, nec ut augeam invidiam sed ut communi probro succurram; da, Clementissime Jesu, si non pari audientium voluptate, pari tamen in omnibus fructu, qui modò castas ac Christianas aures huc intulerint, hocce munere officioque perfungar. Sic, te precor, linguam sic animum flecte dicentis, ut constet dicendis fides, dictis efficacitas; sic moveam ut moveri me primum sentiam; sicque fleam super discordi jam olim Hierosolymâ, ut piis ipsâ profusisque lacrimis defleat præterita sua, eluat præsentia, & quæ impendent etiam nunc cervicibus mala, salutariter antevertat.

Deplorandam Athenarum sortem tùm demùm * Thycidides censuit, quum extrà muros ferro & igni cuncta Peloponnesii devastarent, intùs verò sæva lues popularetur, & quod lue ipsâ fœdius, neque ampliùs Deorum metu, neque Legum fræno, cives coërcerentur. Tristem eam, fateor, Ecclesiæ faciem nec sine horrore cogitandam, quum in castam & innocuam immites Persecutores ergastulis, equuleis, tormentis, laqueis, rogis, lanienis, missione ad leones, ad bestias, ad transtra, ad metalla, ad arenarias, & quibuscunque tandem furoris instrumentis, grassarentur. Ast verò acerbiorem longè sortem, quando Iliacos intrà muros partes omnes principes incessit animorum quædam lues, contaminatura corpus universum, legumque communis Servatoris interceptura memoriam Fuit sanè illud tempus, quando illatâ primùm in regios thalamos Christi sponsâ, columbinâ adhuc simplicitate, nam & turturem tori

* *Hist. Lib.* II.

tori sociam voluit Antiquitas, ipse Angelorum chorus acclamavit, tota pulchra es! aversis posteà vultibus veluti cum stomacho erupturus, tota deformis es! Si aureæ ejus ætatis Fidem ad animos revocamus, qualem tingendi initiandique rogarentur, vel Catechetis Petro, Philippo, Paulo, & quæ erigendis animis ac conscientiis tranquillandis sufficere credebatur, quàm contractis illam Capitibus, quæ præcepto parva, numero pauca, scripto brevia dixit * Salvianus, sed fructu grandia & beatitudine sempiterna, & quantillo verborum ambitu descriptam fuisse cognoscimus? Ac quâ isti obsequii promptitudine, nullo scrupulosæ sapientiæ interventu, ferebantur in amplexus Hominis-Dei, qui fulgore majestatis sub humili abjectâque specie ad tempus cohibito, hinc criminibus suâ morte expiatis, sed & effractis tertiâ die ac convulsis sepulchri repagulis, sursùm fuisset receptus ovans, prænunciis Vatibus, suorum ut in terris Sequester, sic in cœlo Sospitator, ac tandem novissimâ luce futurus universorum Judex? Ultrà quæ capita *nihil scire, omnia scire* adhuc Tertulliani ævo dixerunt. Ac una tùm omnium fides quaqua personuit, nec annua illa aut menstrua, idemque Hierosolymis primùm, hinc Cæsareæ, Damasci, Alexandriæ, Antiochiæ, Tarsi, Ancyræ, Ephesi. Thessalonicæ, Corinthi, Athenis, ac posteà orbe toto prædicatum. Nondùm Orbis adorabat Romam, nondùm penes hanc fidei & salutis arbitrium, nondùm purpurata Sacerdotiâ, nondùm ex Episcopo Pontifex, aut ex Hom-

* *De Avar. p. m. 223.*

Homme Deus. Vixque antè natos Sabellium, Samosatenum, ex utroque Arium, ulla de fide intrà Ecclesiam mixta fuêre certamina, aut habitæ quæstiones; nec enim molestam Apostolis, sub larvâ Christiani nominis, Semi-Judæorum, mox fœdam Gnosticorum colluviem, quos Καταγνωστικοὺς seu damnates dixit Epiphanius, accensêmus iis qui domi de tradendâ fide litigarent.

Atque omnium hæc summa consensio est, vim Christianæ sapientiæ omnem in agendo fuisse positam, & in eâ, quam dixi, pronæ fidei & acquiescentium animorum simplicitate, sanctitatem fuisse quendam Christianæ disciplinæ characterem, ac centrum veluti, ad quod singulæ hujus Χριστομαθείας lineæ duxerunt. Qui Christianum diceret, speciem quandam ingerebat animo castitatis, & innocentiæ, & vacuæ cupidinibus mentis: Quo tempore si quod uspiam concipitur nefas, moratioribus etiam Græcis Romanisve, aut honestum aut invetitum legibus haberetur; Scenicæ artes, arenæ cruentatæ, prætextata verba, stupra promiscua, alieni tori concussio, Lesbia ac monstrosa venus, & si quibus flagitiis aliis aut à Diis ipsis, ne Pallade quidem vel Musis semper castis, aut à divino etiam Platone, ut fusè de Falsâ Sapientiâ Lactantius, quin à severis nonnunquàm Catonibus, authoramentum accederet. Postea quàm verò baptismalis unda, & gratiæ divinæ sensus, & cœleste charisma Christianum perfuderat, mox factum τῶν μεγάλων μυστηρίων ἐπόπτην, continuò ferre is patienter omnia, orare assiduè, cogitare sanctè, sentire humiliter, castè loqui, incedere

dere modeſtè, parere alacriter, parvo famem explere, gulam circumſcribere, frontem ſine oſtro & aulæis explicare, conferreque quicquid in ſe eſſet facultatum in illorum commoda, quos non modò Natura conjungeret, ſed & Gratia ſtringeret, ac Miſericordia copularet. Nec alios aut Chriſtus beatos pronunciarat, aut vita ejus expreſſerat, aut effinxerat Apoſtolorum diſciplina, unam ſignans fidei teſſeram, mundiciem cordis, opuſve charitatis. Ac curſim modò ſubeat oculos imago ſanctioris ævi, ac primæ illius ſodalitatis qualem Apoſtoli poſt ſe reliquerunt. Nemo in vitia præceps, profanus nemo, & non exploratus quàm exactiſſimâ ratione, admittendus non modò ad Myſteria, ſed ne ad limen quidem nomenque Chriſtianum. Præviæ ſalutaribus aquis καθαρσίων ſeu luſtrationi animorum, anni ſæpè dati. Si qui antè vel Cauponariæ, vel Theatralibus ludis, Cytharæ, Curſui, Palæſtræ, Venationibus, Pictorumve aut Gladiatorum arti dediti, vel quæ cæteroquin luxum, pompam, & vaniſſimarum rerum ſapientiam redolerent, ejurandum prius illud vitæ genus æternùm fuit. Indeque poſt longa tentamina ad cilicium, ad jejunia, ad lacrimas, preceſque, ſacræ lymphæ Candidati vocabantur. Mox, ad mittendum nunciumCacodæmoni, & ſeculo, & honeſtis etiam voluptatibus, atque omnibus quæ retrò reliquiſſent, factâ converſione vultûs ad Occaſum, occidui Mundi imaginem, execrantium in morem, ac repellentium, protenſis in altum manibus, quicquid antè circumfudiſſet noctis ac caliginis. Simul & calcei, quibus calcamus hanc terram, ac ſordes

colligimus, fuêre in anteceſſum exuendi, nec reſumpti illi poſteà ab * Epiphanio; ponendæ quoque veſtes adusque nuditatem, ne quicquam priorum affectuum aut prioris vitii adhæreſceret. Ità exſufflandi iterato ritu, omnem ſe pectoribus improbitatem excutere, baptizando in os quaſi Dæmonis, ſed & Tyrannorum ac Judicum, expuente, in publicam inſignis faſtidii atque contemptûs, pro Hebræorum more, ſignificationem. Neque ſatis illa fuerunt, ut ab omni animi intemperie & contagionis labe daturos Chriſto nomen averterent. Spectabat eò quoque, præter immerſionem totius corporis, extinguendæ ità cupiditati, etiam ex oleo inunctio, ſacrorum Antiſtitibus quaſi Aleiptis, & Pædotribis, detergendis jam ſordibus quas ex communi naturæ lege accepiſſent, ſed & componendis his deinceps Athletis & Pammachis, in hoc Chriſtianæ militiæ ſtadio, ſub magno illo Epiſtatâ, ad quodcunque ſeu cum improbis voluptatibus, ſeu cum perſequentium furoribus atque intentantium extrema, intrepidi & *uſque ad ſanguinem* ſuſtinendi certaminis genus. Quò & ſignaculum Crucis, patibuli ſalutaris, inſigne Chriſtianorum militum, ſed & futuræ crucis augurium, referri debet, fronte, ore, pectore, ut mentis, linguæ, & affectuum ſede, conſignandis. Pariliter cereis ordine longo accenſis, præferendam eſſe ſibi omnium virtutum facem; ſalivâ auribus & oculis & naribus admotâ, nonniſi divina ac cœleſtia his fore ſenſibus haurienda; lactis autem & mellis præguſtu infantari ſe Chriſto, ſit Tertullianeæ ve-

* *In Vitâ Epiph.*

venia voci, tanquàm illi primùm natos, lactandosque suavissimo jucundioris disciplinæ succo; salis tandem injectione, sapientiæ illo & integritatis condiri omnia sua oportere, omnemque putredinem ac corruptionem prohiberi, veluti totidem emblematis ac picturis, monebantur οἱ φαλζόρδυοι· Quo etiam factum, ut recens à sacro fonte candida tinctorum cohors, albæ amictu, totâ hebdomade, quâ volvuntur omnes vitæ nostræ dies, indictam sibi in perpetuum candoris, sanctitatis, & puræ castæque mentis legem esse, palàm testaretur.

Ecce vobis, AUDITORES, ut quicquid faceret ad consecrandi Neophyti ritus ac cæremonias, collimaret ad hoc unum, ut perfectissimam posthac vitæ instituendæ rationem ineundam sibi esse cognoscerent, longè suprà omnem vel Stoæ severitatem, vel Socraticæ sapientiæ larvam, vel Pythagoricæ disciplinæ continentiam! Et ista quidem in ipso introitu Christianæ seu scholæ, seu palæstræ. Ac nisi me argumenti ratio, atque expectatio vestra, ad alia modò invitarent, persequerer sanè reliqua undè omnem Christianismi indolem, certissimumque hunc indicem, * *Nemo Christianus malus est*, facile quivis complecteretur animo suo. Dicerem Sacramentum, quo se ad innocentiam pigneratâ salute obstringerent; Stationes, quibus velut in excubiis jugiter agerent; Jejunia, quibus se identidem inani ventre macerarent; Orationes, quas ad omnem aditum & exitum, ad lavacra, ad mensas, ad sedilia, ad aratra, ad textrinas, ad cu-

* *Athenag. Legat.*

cubilia, ad inceptum omne funderent; Vigilias, quibus se nocte concubiâ ad Dei laudes excitarent; Mysteria, quibus frequenti commemoratione Dominicæ mortis, inter mutuos amplexus, tremebundi interessent; Agapas, fraternaque συσσίτια, quibus ederent biberentque disciplinam; communes Mensas, quibus famelicis subvenirent; Fratrum & Sororum blandas appellationes, sed & casti amoris Oscula, quibus se invicem salutarent; aut etiam Deposita pietatis, quæ in remotissimas oras, quandoque ad centena millia nummûm, Româ, Carthagine, Corintho submitterent, in commune omnia reputantes. Adderem præterea Dominicæ lucis inviolatam religionem, Sabbatorum παρασκευὰς, Festorum dierum sanctitatem, majestatem Conventuum, quibus vel nocturnâ pollutus cogitatione abstinuit * Hieronymus, Lectionis sacræ, publicæ privatæque, reverentiam, Adhortationum Christianarum πάθος, quas sedens nemo, stantes audirent universi, Precum calida ductaque ab ab imo suspiria, Intercessionum etiam pro inimicis pios affectus, Cantionum atque Hymnorum Angelicos sonos modosque; tandem Lapsorum quorumvis vel libellorum redemptione, aut concessâ legibus venere, ejectionem, ac Pœnitentium in publico supplicationes, quorum nec pudori, nec dignitati, nec lamentis, nec ultimæ patientiæ, sæpè nec supremis gemitibus, in ipso vitæ mortisque confinio, parceretur: Et quis non, ex datis speciminibus, id ipsum quod apud † Cassiodorum Rex Athalaricus de professione Cleri Romani,

* *Contr. Vigil. T.* II. † *Cassiod. L.* VIII. *Ep.* XXIV.

mani, *vitam quandam cœlestem fuisse*, nec obnoxiam *mortalium votis*, aptaverit multo magis professioni Christianorum, quorum non tam mentes idearum otiosâ luce radiare, quàm pectora divini amoris ignibus, linguæ laudum ac precum incenso, manus pedesque pruritu quodam benè agendi, ac currendi subsidio jacentibus, inflammari cotidie cernerentur, nullâ Purpuræ vel in Helenis, Flaccillis, Eudociis, prærogativâ? Unum hoc rapiebat nulla dies, profuisse miseris, nec deerant unquàm ægris medicamina, alimoniæ pauperibus, auxilia egenis, peregrinis hospitales tesseræ, viduis solatia, orphanis tutelæ, vinctis ministeria, captivis redemptiones, in mortuos verò suprema pietas, condendorum humo corporum, procul funerum ambitione, aut violati sepulchri sacrilegio, solicitâ curâ. Quemadmodùm nec abfuêre ab ignaris Catecheses, non à deviis revocandi in viam studia, non à Confessoribus, facti animi ad extrema quæque subeunda, non denique à Martyribus coronæ, & memoriæ, & annuæ festæque his laudationes decernendæ. Adeò ut ipse Julianus Apostata, tot charitates à Galilæis suis exercitas, vel invitus ringensque suspiciens, permiscere * Gentilium impietati, & in refertam flagitiis scenam traducere externâ ac mimicâ specie, cogitaret. Mutuatis etiam à Christianis non pauca, quibus severiorem Philosophiam exprimerent, Apollonio, Epicteto, Plutarcho, M. Aurelio, Peregrino, Ammonio, Plotino, Hierocle, Porphyrio, Numenio, Jamblicho, Simplicio, Symmacho, fortè & L. An-

* *Naz. Orat.* III. *in Jul.*

Annæo Senecâ, quem * Tertullianus *sæpè nostrum* appellavit, Quæsturâ jam sub Cajo perfunctum, quo tempore Christi disciplina, nedùm sub Claudio & Nerone, Romæ percrebesceret. Sed verò has omnes ἀσκήσεις ut proprium quid sibi Christiana religio, & suprà omnes alias eximium, vendicavit potiori jure, quàm suos sibi equos Thessali, aut fœminas Lacedæmonii, aut viros Siculi, ipsâ Pythii Apollinis voce omnibus reliquis, ubicunque terrarum essent, præcellentes.

Verùm enimverò quô facta est ætate adultior Ecclesia, quô aut locis diffusior reddita, aut otio segnior, aut dignitatibus fulgentior, aut affusis opibus abundantior, hoc magis contraxit vitium seculi, & quod omnium propemodùm fuit in ipsâ quasi Ecclesiæ infantiâ, ad paucos tùm rediit, qui Christianis quas dixi virtutibus corruscarent. Quemadmodùm crescentibus filiis atteritur mater, sic multiplicatis Fidei populis (nec mea hæc verba credidote †) sensim attritus atque imminutus fuit matris Ecclesiæ vigor, per *filios dolorum*, factaque est profectu suæ fœcunditatis viribus infirmior. Quanto nempè aut divitiis major, aut multitudine ditior, tanto evasit virtutibus minor, & egentior devotione, in se major & in se minor, crescens simul & decrescens, inaudito genere processûs recessûsque. Trita sanè & oppressa semper surrexit lætior, ast rebus plerumque fracta secundis fuit, lascivientibus ex copiâ otioque animis. Crevêre cum pace pacis mala, ac profligatâ simplicitate, quæ

* *De Animâ, c. xx.* † *Salv. de Avar. init.*

quæ Christianum distingueret, successit in vultu simulatio, in corde dolus, in verbis fallacia, in affectibus gloriæ vel auri non sacra fames, sed profana sitis, quâ sacris non tàm Officiis quàm Beneficiis inhiatum fuit. Ac quotiescunque mecum reputo alta nefandaque, quia ab interno hoste, Ecclesiæ vulnera, & pristinæ innocentiæ labem, pervasuram *à Dane ad Beerscbah*, atque in loca universa ac spatia temporum diffundendam, propè est ut periisse tum rationem sanctissimi Nominis penè omnem mihi persuadeam, ac reliquisse terras Christi Spiritum & afflatum, rediturum postliminio, instar vasis illius † Petrini cœlo demissi, in idem cœlum undè venerat, quia contumeliosè ac frustrà habitum.

Perreptanti verò mihi atque evolventi priorum temporum Annales, gravius nihil evenisse Ecclesiæ ac luctuosius apparet, quàm ex quo mixta jurgiis atque dissidiis, aut divulsa discerptaque sententiis adversis fuit. Invulnerabilem ab externo hoste Fidem esse, patientia constantiaque Martyrum, quibus insanæ veluti turbæ *nec laqueos deesse*, *nec præcipitia*, cavillati Judices, abundè docuerunt. Posteaquam verò, intereà dum Hannibal Portis immineret, intestinis semet odiis Duces exercuêre, dum permissâ Rate saxis, & ventis, & fluctibus, Vectores in se ipsos grassari, ruereque in perniciem mutuam occeperunt, nihil mirandum est, si ludos hostibus fecit Christianum nomen, aut si allisa multotiens Christi Navicula, dudùm mersa profundo fuisset, ni excitatus subindè Jesus, bonorum clamoribus, suc-

† *Act. x.*

ſuccurriſſet conclamatæ deſperatæque rei. Non equidem diffiteor, natas propemodùm cum Eccleſiâ lites eſſe, forſan nonniſi cum Eccleſiâ morituras, ut de literis quondam Varro, ſecùm natis ſecum & morituris. Enimverò in ipſum penè Dei Sacrarium, in ipſam familiam Apoſtolorum, viſa eſt gliſcere ad certamen invidia, commiſſis Paulis & Barnabis, quinimò Petris & Paulis, eâ quidem animorum contentione, ut in acerba vocum locorumque divortium, diſſenſio erumperet. Et interjecto vix ſeculo, obſcuraſſe ſplendidiſſimas Eccleſiæ faces Polycratem Epheſium, & Victorem Romanum, nec multo poſteà Stephanum & Cyprianum, quanta Deus bone nomina! nubeculam humanorum affectuum, Pelidis cedere neſciis, quicquid iſti aliàs exæſtuarent charitatis ignibus, celeres etiam fundere pro Chriſto ſanguinem, obvia res eſt in primæ ætatis Monumentis. Sed quæcunque hæc tùm fuerit incurſio animorum, ut etiam ab Oriente Romam delegatos prohiberet Stephanus colloquio, tecto, hoſpitio; mox hæ tamen inimicitiæ poſitæ, quia nonniſi de conſuetudine Eccleſiarum, nondum de Doctrinæ apicibus, & ingenii vel acuminis laude, litigatum. Quo factum, ut illibatum virginitatis florem ſervaſſe Eccleſiam Euſebius aliique pronunciarint, donec polluerunt improba ſtudia, & otioſa contemplationum, circà ἀκατάληπτον τὸ Θεῖον, & adoranda ſummâ religione, non ſtupranda, uti factum per Sabellios, Paulos, Arios, Neſtorios, Eutychetes, fidei noſtræ Sacramenta. O ſi infauſta Nominum neſciviſſet Orbis, nec temerata fuiſſet fidei ſimplicitas, nec novi ti-

bicinis,

bicinis, aut novæ lucis obtentu, nefariè sollicitata! Quantum fuisset præcisum bellorum, laborumque qui Orbem utrumque perpetuâ deinceps Seculorum serie, fatigarunt! Quantum malarum artium, & irarum, & armati furoris, inæstuantis certè præcordiis bilis! quæ semel inflammata nullis Principum imperiis, nullis Synodorum judiciis decretisve, mitescere ac defervere potuit. Usque adeò ut in eâ Conventuum Synodalium frequentiâ, post natum Arium, nullius se exitum felicem unquam observasse, exasperando veriùs quàm leniendo malo, * Nazianzenus scriptum reliquerit. Sed quantillis initiis, AUDITORES, si ad primos bellorum motus assurgimus, Lerneæ malorum pestes propagatæ! Tenuis ut plurimùm & quasi † *palmaris nubecula*, sensim ac successivis auctibus circumfusa universo Ecclesiæ cœlo, & in atros turbines convertenda. Guttatim primò stillavêre in legentium vel audientium animos, quæ speciem habuerunt subtilitatis, mox torrente toto, vel rapido quasi flumine, exundatura per Ecclesiarum agros. Et ex quo de summâ existimationis, vel fortunarum, agi creditum, abitura fuêre minima, si salutis momenta rectè libramus, volo quæstionum minutias, in summam Christianæ rei. Et quoties in ipsas retrò Hæresium & Schismatum origines contemplatione feror, quibus posteà Ecclesiæ tota moles, concussa ingentibus motibus, contremuit, nunquam impetrare à me possum ut credam, tanti visas esse horum motuum Authoribus causas. Tantine erat, amabo vos, impetiisse τὸ ὁμοούσιον,

&

* *Epist. LV. ad Procop.* † 1 *Reg. XVIII.* 44.

& incurſaſſe adversâ fronte in primam atque auguſtiſſimam Synodum, dùm in tot contraria ipſi illi ſtudia, pugnanteſque Formulas, ſcinderentur? Tanti fortè, ſolicitaſſe receptas voculas ὑποστάσεως, vel θεοτόκου, invidioſiſſimum in ſenſum raptandas? Tanti, ejus quem Dei-Virum, vel Hominem-Deum faterentur, permiſcuiſſe Naturas primò, Voluntates poſteà? aut ſolio deturbaſſe Gratiam, Idolo arbitrii humani ſubſtituto? aut placari neſciviſſe tot annorum, quin ſeculorum decurſu, vel Origenis, vel Johannis manibus? aut damnaſſe Tria Capitula, trium Virorum, qui pridem in pace Eccleſiæ obdormiviſſent, ſcripta quædam? aut modum Proceſſionis, vexato τοῦ *Filioque*, ſcrupuloſiùs exploraſſe? aut Euchariſtiam negaſſe Chriſti morientis relictam nobis Imaginem? aut Simulachra, quæ ipſo cultu in Idola verterentur, tantis reſtituiſſe furoribus? aut denique illud Corpus, quod glorioſè adſcriptum cœlo fuiſſe omnis Eccleſia profiteretur, ipſi in cœlo eſſe vix ſibi quandoque perſuaderent Erigenæ aut Berengari Judices, deduxiſſe ad pauculas voces, & Sacrificulorum nutum, in Altarium myriadas, miſiſſeque in ora impura manducantium? Sunt tamen præcipuè ea Capita quæ, ob lentum virus primò levia, in carcinoma tandem vitalia exedens deſierunt. Hæc ſunt quæ ligones Evangelicos conflarunt in diſtrictos enſes, quæ amantium ſcholas in arenas gladiatorum, Templa in Amphitheatra, Miniſtros pacis in Feciales, in tubas, in flabella bellorum commutarunt, penſi habitura nihil modò concidèrent fratres in optimâ ſæpè causâ, & caneretur,

retur, Jo triumphe! Mihi iſtud credite, AUDITORES, fuiſſe totiens novæ ſapientiæ obtentum nonniſi pro mantelo ſubdolis Propolarum artibus; *magnæ Dianæ* honorem privatis modò commodis prætextum; & errorum propulſione velata fuiſſe ut plurimùm odia perſonarum. Veritas quâ adducti videbantur, umbra quædam fuit, dùm corpus ipſum ex invidiâ & faſtu compactum appareret. Pii zeli, aut ignis cœlo accenſi, ſpeciem quandam habuit ignis verè extraneus improborum affectuum. Ac ſæpè violatæ ultimæ Chriſti voluntatis, & reſciſſi Teſtamenti, per eos accuſatio nata eſt, qui Tabulas modò ſuas, ac cerebri ſui fœturas, ſacrilego auſu ſubſtitutas voluerunt.

Æmulationem *Schiſmatum matrem* prudenter dixit * Tertullianus, non illam alienæ virtutis, abſque quo ſtimulo nec cum Miltiade Themiſtocles, nec cum Alexandro certaturus Cæſar, ad faſtigium illud laudis perveniſſent, ſed æmulationem alienæ gloriæ & fortunæ, dum aut pares ferre aut ſuperiores mens ambitioſa neſcit. Quod œſtrum ſemel infixum ubi corripuit ac percivit animos, hæc ubi ærugo ſemel inceſſit, aut flamma medullas pervaſit, fieri aliter nequit quin in acerbas ægritudines, in lividos affectus, & funeſta poſt fumum incendia, res tandem erumpat. Rari Moſes, iis igniculis charitatis accenſi, ut parem aliis gratiæ uſuram, ſi non majorem, apprecentur! Rari Jonathanes, qui cum magno ſuo diſpendio, ſine ullâ oculorum vel animi tabe, ſurgere Davides ad eum gradum

 ho-

* *De Bapt.* C. XVII.

honoris laudisque cernunt, quem statuere sibi jura omnia divina atque humana videbantur. *Benedixisti mihi*, fuit aliquando vox Viri Dei, *sed illi maledixerunt*! Satis est ad odium Fratris, si auctior fuerit Talentorum numerus; si acceptius munus Abelis; si flagrantior Josephi alicujus gratia; si, ad modum fœcundioris Leæ, amplior uberiorque extet alteri laborum suorum fructus; si acclamantium vel applaudentium vocibus efferatur suprà Saülem David aliquis; vel si in inferiorem natu, fortè ganeâ aut luxu olim decoctorem, sed retrò sapientem, effundatur plus justo opinione nostrâ largus ac munificus Parentis animus. Hinc queritantium illæ voces; mecumne conferri Ulyssem! in secundis me vel tertiis consistere, ætate aut meritis potiorem! ferri in istum vota plaususque vulgi, decerni honores, conferri beneficia, præmia statui, nomen famamque propalari! Nec mora, hoc succo loliginis semel imbutâ mente, quid reliquum est, nisi ut quem oderit fratrem hunc periisse exoptet, ejus modò in doctrinam, modò in personam invadat, omniaque etiam innocuè vel dicta vel facta, etiam *insomnia* amati Josephi, in suspicionis, hinc delationis argumentum rapiat? Estque æmulationis verè tabes instar confectarum macie vaccarum, in viso Pharaonis, quæ pinguescentes degluberent, adeò ista omnem honoris, conscientiæ, & æquitatis rationem devorare atque opprimere semper visa est, hoc uno æqua, quod miseros postremò exedit ipsa atque exenterat. Cumque unus rarò sufficit deturbando qui est stabili gradu, hinc conspirationum fœdera, hinc in unum Pau-

Paulum quadraginta conjurati, in unum Athanaſium, vel Nazianzenum, vel Chryſoſtomum, junctæ irruentium æmulorum phalanges, uti in unum Samſonem, etiam incautum & ſopitum, glomeratæ Philiſtæorum turmæ, quæ opprimant.

Æmulationum mater præſumptio, amor ille noſtri quo idem omnes fallimur, primum illud virus quod ſerpens antiquus πρωτοπλάστων animis infudit, aut telum quo primò hominem perculit. Μισανθρώπους ſanè aliquot exhibuit vetuſtas, μισαύτους opinor nullos. Et quanto magis ad humilitatem & abjectum ſui ſenſum Chriſtus ſuos compoſuit, individuum divini amoris comitem, ut quum maximè forent ſapientes, fortunati, nobiles, tum maximè æquo animo bona ſua ferre, ac ſe noſcere intelligerentur, tanto elatioribus animis in contrarium nixa eſt degener poſteritas. Quo magis pietate fuerunt vacuæ mentes, hoc illæ ferocius caput erigere, ac ſupercilium tollere; quo minùs igne charitatis ſuccenſæ, hoc plus fumi exhibere; & quo plus jacuêre humi imbelles animæ, hoc magis diebus ac noctibus ſatagere ſi quâ ſe tollere ratione poſſent, ac digito monſtrari. Si in quibus verò ingenii & doctrinæ aliqua mediocritas fuit, eniti jam in hoc unum totis viribus, ut penes ipſos eſſe regnum eruditionis & ſapientiæ crederetur. Utinàm, quod de Poëtis & Oratoribus * Tullius, neminem fuiſſe qui ſibi non optimus videretur, *te tua, me mea delectant*; *nil ego parvum, aut humile, aut mortale loquor*! vel quod de Calliſthene † Arrianus, Alexandrum ejuſ-

* *Tuſc. quæſt. L. V.* † *Arr. L. IV.*

que facta se & scriptis suis inferiora prædicasse; quanquàm ille ipse * Arrianus, dùm istorum memoriam transmitteret ad posteros, tam inter primos se Scriptores, quàm censendus esset inter Duces Alexander, utinàm hac ipsâ philautiæ vertigine, his suorum phantasmatum illusionibus, non acti fuissent, hinc & de statu suo deturbandi, Viri Theologi! Multa isti quidem de propriæ gloriæ contemptu, specie humilitatis, *politico artificio* dixisset † Nazianzenus, sed vanâ mente gloriati, velut Roscii in scenâ, aut Personæ in theatro, latebras petentes ut quærantur. Nec defuit unquàm meherclè vel conscientiæ, vel veritatis, vel existimationis larva, seu pandenda fuêre nova mysteria, seu convellenda vetera, seu reducendi scilicet in viam fratres, dum reapsè id agebatur, ut aut temeraretur concordia, & inflarentur à vento gravidis classica, aut certè acumen pessimâ impetigine, ac præpostero famæ studio, commendaretur. Nunquam non ab indulturis vel ingenio suo vel affectui, ac velificaturis gloriæ propriæ, ingeminatum est nomen Veritatis; nunquàm non ambitioni zelus, offensioni defensio, sceleri religio, ac privato compendio publicum illud vel Causæ, vel Ecclesiæ, instar velaminis obductum fuit. Et postquàm huic Divæ semel litatum, & signo dato decretum fuit ire in partes, vel erigere sibi ipsi Monumentum ære ac saxo perennius, nulla jam superfuêre repagula, nullæ machinæ, quibus sisteretur impetus, aut cohiberentur calentes animi. Cumprimis quando cum isthoc genere ingenio-

* *Lib. 1. p. 13.* † *Orat. XXVII.*

niorum conflictata Ecclesia fuit, quorum ut vis ignea, ignei spiritus, qualia ut plurimùm ingenia Græcorum, itá flammam semel incensam latè grassari necesse fuit, atque oriri bella Punicis aut Peloponnesiis longè diuturniora.

Nec aliâ origine quàm hoc sui unius studio, & vanissimæ gloriæ aucupio, mala Ecclesiæ pestis proserpsit, prompta in assentationem ingenia. Artem captandi laborantium gratiam, ac sussurandi benevolentiam verborum lenimentis, non prohibuit quidem Medicorum filiis * Cous senex, benè suis Christus. Non aliud quippiam inimicum magis hujus disciplinæ fuit, quàm fallax species blandis frontibus inducta. Et quod de infortunato rursùm † Callisthene Historicus, haudquaquàm factum fuisse ad aulæ & assentantium ingenium, id ipsum non modò in nascente omni Ecclesiâ, & intrepidis Confessorum animis, sed deinceps quoque in Athanasio Alexandrino, in Nazianzeno Gregorio, in Basilio Cæsariensi, in Johanne Constantinopolitano, atque id genus Heroïbus, asperiùs quandoque & Aulas, & * studiosos sui, nullo discrimine habito, tractare visis, suspexit Antiquitas. Supremus illis nequitiæ modus fuit, servire Christo & scenæ vel tempori, histrioniam quandam facere in sacrario, & tum maximè fallere, quum tota est in vultu simplicitas. Ità dum se imperantium moribus accommodárunt, fuitque placendi una cura vernili adulatione, ac promovendi strenuè

* *Hipp:* Παραγγελ' IX. † *Curt. L.* VIII. * *Naz. Orat.* XXVII.

rem suam, factum est ut non vitiis modò indulgerent, laudarentque culpanda, vel certè dissimularent, sed etiam errores aut adoptarent, aut promoverent primarum sedium Episcopi, frequenter ex Doctoribus Seductores, ex * Theologis Aretalogi, & ex Patriarchis Ecclesiarum evasuri hæreseôn aut malorum Exarchi. Quales vel in unâ Constantinopoli, sub Constantio Eusebius, hinc Macedonius, sub Valente Eudoxius, sub Theodosio Nestorius, & in proximo Dioscorus, sub Zenone Acacius, sub Heraclio Sergius, sub Irene Tarasius, sub Theodorâ Methodius vel Ignatius alter, instauratores Imaginum. Undè ad confluentes in Urbem Regiam Episcopos, prudenter discessurus Epiphanius, relinquere se illis quod quærerent, † Palatium, Urbem, Theatrum.

Replicate memoriam Annalium, AUDITORES, nec erunt amplius in obscuro afflictæ tot intestinis motibus, tot Hæresibus infectæ, tot distractæ Schismatis, tot fraternis odiis cruentatæ Ecclesiæ, latentes ut plurimùm intrà præcordia, sed hoc ipso graviores causæ. Valentinum Æonum illum, & Siges, & Bythi, & Nous, & Aletheias, & ex his Logi, aut etiam mysteriosi Ἀ'βραξαξ cum Basilide absurdissimum patrem, quid putaretis induxisse ad hæc somniorum portenta? Discetis ex * Tertulliano, ambitio videlicet Episcopatûs, hinc æmulatio, ac indignatio tandem, quâ se convertit ad expugnandam veritatem. Nisi in Cerdonem, in Marcionem, & turbones

* *V. Orat. Anth. de Prud. Th. 36, 37.* † *Sozom. L. VIII. C. XV.* * *Adv. Valent. C. IV.*

nes alios, obſtrictos compertoſque ſcelerum, animadvertiſſet Eccleſiæ diſciplina, impatientes læſæ exiſtimationis; ferreque infamiam neſcios, nunquàm illi ore blaſphemo, *Satanæ* quaſi *primogeniti*, eructaſſent de Operibus univerſi, de Deo, de Lege, de Noviſſimis, impia ac portentoſa. Non ipſum modò κατὰ τὴν Φρυγίαν Montanum, undè Cataphryges, Prophetiæ chariſmate & Paracleti afflatu ſeſe efferentem, eò furoris prolapſum eſſe ex immodicâ primatûs cupiditate, ἀμέτρῳ ἐπιθυμίᾳ φιλοπρωτείας; retulit * Cæſarienſis Euſebius; ſed & ſuſpicati ſunt Viri graves ipſummet Tertullianum, quamvis abjectâ togâ, & pallio aſſumpto, atque ipsâ frontis ſeveritate, à typho ſeculi abhorrentem, hoc uno deſciviſſe ad turbam lymphaticorum, quòd ſede Carthaginenſi, quam ſpe jam devoraſſet, repulſam paſſus ſeſe excidiſſe infremeret. Nunquàm ſuſtuliſſent in Cyprianum infelicia belli ſigna Feliciſſimus & Novatus, Africanæ ſedis ille Diaconus hic Presbyter; nunquam in Cornelium Romanum Novatianus, invaſo Urbis Epiſcopatu; ſed nec in Cœcilianum Carthaginenſem Donatus cum ſuis, falſo ejus *traditionis* obtentu, cujus ipſi ſe reos paulò antè † Cirtenſi Numidiæ Synodo prodidiſſent. & à quibus Novatianorum & Donatiſtarum ferale pegma; niſi hæc gloriæ animalia, turbandi avida, audendum aliquid eſſe putaviſſent, dignum quidem Gyaris, ſed quo tamen ſibi nomen ſectamque conderent, ac vindictâ, qualem Chriſtus nunquam exercuit, ſibi jucundius

* *Euſeb. Hiſt. L. v. C. xvi.* † *Aug. c. Creſcon. L. III.* *& Conc. T. I.*

dius nihil esse palàm facerent. Non Divinam Christi Naturam expungere Samosatenus induxisset animum, nisi quo ille fastu intumuit, ut primus sibi * Thronum in Antiochenâ sede sublimaret, aucupatus esset vanissimo ambitu Zenobiæ Reginæ gratiam, magnanimæ fœminæ, ac latè terrarum Victricis, quam abhorrere à Christiano dogmate, Cruciarii scil. divinitate, cognosceret. Ità postquàm Ecclesiæ Alexandrinæ administratione fraudatum se credidit Arius, suffenus nimium vanâ æstimatione sui, nec ferens amplius livoris impetum, dico verbis † Theodoreti, accessitque Ario qui animos adderet & vires, pari æmulationis stimulo permotus, Eusebius Nicomediensis, à Cæsariensi utroque Palæstino & Cappadoce, ab Emeseno, Samosateno, & Vercellensi, longè diversus, quantæ ex his scintillis flammæ, ex flammis incensiones, latè per omnes Christiani orbis plagas propagandæ, nec restinguendæ in hunc diem, post inductam tot Ecclesiis ac Provinciis vastitatem. Pariter, si qua fides est Ecclesiæ monumentis, non aliundè sese Melitius Arii partibus adjunxit, quàm quod Alexandrino Præsuli, qui gradu perfidum movisset, malè invideret: Non aliundè Apollinaris errorem suum commentus est, quàm ex rancore quodam mentis, postquàm à Theodoto & Georgio Laodicenis, ob familiarem nimis cum Epiphanio Sophistâ consuetudinem, ejectus esset, fretus insuper seculari eruditione, ac dicendi facultate, quâ valuit eximiâ: Non aliundè secessurus, invicti aliàs sub Constantio animi & scri-

* T. 1. Conc. c. 895. † Hist. L. 1. C. 11.

ſcriptis & factis, Calaritanus Lucifer, quàm ex ſimultate inter ipſum & Euſebium Vercellenſem, æquiorem hunc in Meletium Antiochenum, fortè natâ: Non aliundè Theophilus & ipſe Alexandrinus aſſertores Dei corporei ſuo patrocinio complexus eſt, quàm ex conceptis inimicitiis in Iſidorum Presbyterum, in Ammonium, in Dioſcorum, in Origeniſtas alios, qui plurimum ſibi amorem favoremque conciliaſſent: Non aliundè Johannes Antiochenus in Neſtorii primò partes conceſſurus fuit, quàm ex adverſo in Cyrillum Alexandrinum, anathematiſmis ſuis præcipitem nimiùm, ſtudio: Non aliundè Eutychetis defenſor ad furorem Dioſcorus, in Ægypto poſt Cyrillum Primas, quàm ex odio Flaviani Conſtantinopolitani, poſtquàm diſplicere hujus cauſam primis in Urbe Diis cognovit, quibus aſſentari omnia ſibi imperaſſet. Quin ipſum Priſcillianum Abilæ Epiſcopum, æquiora fortè ſentientem, audiiſſe tùm demùm impiæ familiæ in Hiſpaniis patrem, poſtquàm Coëpiſcoporum quorundam factione opprimendus fuit, ex † Hieronymo haud obſcurè colligimus.

Nec in Hæreſes tantùm, ſed quoque in teterrimi odii & probroſæ maledicentiæ fœdiſſimam ſaniem, erupit hæc mentium ærugo, & vomica quædam animorum, quâ factum ut non jam de ultimâ fece homines, ſed uti quondam Athenis Themiſtocles & Ariſtides, Demoſthenes & Æſchines, ità etiam Viri in Eccleſiis principes & præcipua decora; diſcindi odiis atque inimicitiis obſervarentur.

† *Hier. Catal. in Priſcill.*

Undè primò dilatum proſciſſumque incomparabilis Origenis nomen, nullis vigiliis, ineriâ nullâ, nullis frangendi pro Chriſto laboribus, vos quidem exiſtimatis? Factum ex latente quodam ulcere intrà Demetrii Alexandrini pectus, marceſcentis Origenis famâ, quæ & Mammæas, & Plotinos, & Porphyrios, excîvit ad videndi audiendive cupiditatem, atque hinc gravis illa acerbioris Demetrii in Adamantium, tùm in faventes illi Palæſtinos cenſura, applauſuris univerſis quos tantæ exiſtimationis urebat æmulatio. Nec conquievit hic poſt fata livor, aut intrà unîus ſeculi furores ſeſe continuit; lacerandis etiam per Hieronymos, Epiphanios, Theophilos, ſed ex quodam in Johannem Hieroſolymitanum, in Ruffinum, in Chryſoſtomum, in alios affectu, quali & circumventus poſteà Juſtinianus fuit, quotquot de Origenis, laboribus, doctrinâ, pietate, quin & ſalute, æquiùs opinarentur. Deum immortalem! quàm perdita profligataque judicia Euſebii utriuſque, & totîus penè Orientis, in Athanaſium Alexandriæ, hinc in Euſtathium Antiochiæ præſules, nec longè poſteà in Gregorium admovendum Byzantinæ ſedi, poſtulandos nefandorum ſcelerum, perduellionis, ſanguinis, ſacrilegii, ſtupri, aut † lecti alieni concupiti, ut etiam Filios dùm neſcirent, invenirent! Quanti motus adverſùs Cyrillum, mox & Juvenalem, Hieroſolymorum Antiſtites! facturis præcipuè Acacio Cæſarienſi & Maximo Antiocheno, propter habitam illi ſedi, ut matri Chriſtiani nominis, à Nicænis patribus reverentiam. Quàm graves

† *Naz. Orat. XXVII.*

vesiræ inter Sedis ejusdem aut procos aut rivales, putate modò Damasum & Ursicinum, vel Paulinum & Flavianum, vel Bassianum & Stephanum, dùm illi de Romano, isti de Antiocheno Episcopatu, postremi de Ephesino, ut sæpè aliàs, decertarent! Sed quàm implacabile odium, Epiphanii cumprimis & Alexandrini Theophili, in optimum Chrysostomum, os illud aureum, affluensque omni lepore & amœnitate, sed dicere blanditias nescium, hinc tot impetitum telis, tot lacessitum injuriis, neque antè explendâ libidine, quàm sede Byzantinâ pulsus Johannes, & fractus malis atque ærumnis confectus, longoque exilio maceratus, vices tandem mortalitatis expleret. Non etiam remissuris odiis, donec triginta annorum bello fatigatus ob unum Johannem Oriens, inducente Theodosio Juniore, ergà sanctissimum nomen, compositasque in Domino reliquias, mitigaretur. Quàm denique, nec enim finis exemplorum foret, diuturnâ ac multiplici invidiâ deflagravit unus Basilius Cæsariensis, non tam nomine, quàm animis, & factis, & scriptis verè Regius, sed & eloquii majestate, ut hinc dictionis quidam qui abduceret Vortex, aut qui suo impetu affectus raperet Turbo, aut quod mentes percelleret Fulmen, dictus habitusque legatur. Nec causa jam alia vestiganda est, cur modò Eusebius Cappadociæ primas, modò æmuli tantæ virtutis Episcopi reliqui, modò Anthimus affectato in eàdem Provinciâ Metropoleôs jure, modò Theodotus Armeniæ primæ invidens Sebastiensis, sui Primatis, apud Cæsariensem nostrum gra-

tiæ, modò Nyssenus germanus ipse Basilii, sed impari jugo, erumperent in factionum studia, aut protervas accusationes; impatiente rixarum omnium Basilio, hinc cessuro invidiæ & ambitioni, causæ & conscientiæ decessuro nunquàm.

Verbo dicam, Auditores, redeunti mihi in præterita omnia, ac cum animo mea versanti, ut Religionis regnum sæpè nimis tenuerint

Spes, ira, cupido,
Turba, metus;

cogitanti, ut Christianam Ecclesiam respersérint fœdo cruore Filii pacis, ex quo, florentissimis rebus, conversa in amplissimas dignitates Ecclesiæ ministeria, factique sunt ad Hierarcharum imperium, & Honorum aucupia, gradus; perpendenti, ut factionibus, vi, impetu, rapta fuerint Fratrum & Antistitum studia, plerumque luiturâ simplicitate; ut avaritiæ sæpè sordes veritatis splendidissimum lumen obscurârint, accensa nempè ac continuata cupiditas largo ubereque proventu, ex profusionibus immodicis Principum, & prodigâ credulitate Populorum; ut posteà, invalescente tyrannide, properarint Româ Constantinopolim anathemata sub Felicibus, Pelagiis, Gregoriis, Nicolais, Adrianis, Leonibus, donec tandem fractâ intestinis odiis Ecclesia, mox barathro ignorantiæ ac superstitionum, ope Cucullatæ gentis, velut absorbenda, quemadmodùm Charitatis sic Veritatis triste naufragium universa propemodùm faceret; ignoscite fasso, & aliquantulum indulgete, si vix mihi à lacrimis, neutiquàm

certè

certè ab acerbissimo animi sensu tempero, & si dubiam penè mentem trahit atrox illa cogitatio, nec adhæsura tamen; nùm ad clavum sederit Numen, nùm dormiverit cœlo Christus, aut nùm errore is quodam falsus fuerit ac deceptus, qualiter ferè ad Jacobum attonitus Joseph, *Non oportet ità mi Pater!* Equidem mirari aliquatenùs desino, si caro subindè hæreat, si exultet impius, si cavilletur Atheus, si ingemiscant boni, & si detrectarint Extranei, ut de Americanis fertur Hispanorum ferociâ perculsis, subire illud Cœlum, in quod immites Animæ reciperentur, dicturi aliquando, *ne sit anima mea cum Christianis!* Et quis non hodieque illorum qui extrà positi res nostras intuentur, turbatis illis aquis Jordanis, aut Sionis fontibus felle & aceto mixtis, potiores duceret * Damascenas aquas, fluvios Abanæ & Parpar? Quem juvaret sequi importunos viæ Duces, qui quam eligas tutò semitam, quâ securiùs grasseris viâ ad immortalitatem, ipsi inter sese digladiantur? Aut quis magnoperè gestiret pulsare ea limina, aut ingredi in illud Sacrarium, in cujus aditu nonnisi rutilantes vibrantesque flammas, & Cherubinos hastâ vel gladio armatos, conspicaretur?

Ah! *ne indicaretur Gathe, ne differretur per vias Ascalonis!* Et quàm ego vellem huic non tam invidiæ quàm infamiæ Christiani, utinàm nec Reformati, nominis velum obtendi posse vel siparium! Aut esse mihi amplum satis paludamentum, quale Magni olim Constantini, quo operiri tanquàm velaminé possem, quæ in publico velut Orbis theatro omnium oculis ex-

I 7 po-

* 2 *Reg.* v, 12.

posita, nostrisque pene frontibus ac liminaribus præscripta, dissimulari nec possunt nec debent! O si mihi omnia corporis membra verterentur in linguas, ac si differri in omnes oras, quà latè patet Protestans Orbis, nostra lamenta ac suspiria possent! Saltem si quâ medicinâ, quam admittit rarò mali pertinacia, totum jam corpus pervagati, adesse possem auxiliator laboranti etiam nunc hodiè Ecclesiæ, ejusque sistere præceps quasi fatum, ex contractâ non unâ labe, quales aut videmus universi aut sentimus, & quæ felicitatem Ecclesiæ ac triumphum solæ remorantur! * *Hebræus sum!* sic aliquando meticulosus profugusque Jonas., quo solo nomine religionem summi Numinis testabatur. Fuerunt, sed prô dolor! fuerunt ea tempora, quibus dixisse satis erat, ut hoc ipso fides pietasque constarent, quemadmodùm olim *Christianus sum*, ità etiam Reformatus sum, nec tales *nati*, sed *facti*, ut cum Septimio loquar. Accidit tum accusatoribus fide divitis, ac charitate ferventis Ecclesiæ, ut solius nominis ac sectæ rei haberemur, & extorqueret majorum nostrorum innocentia, quum etiam ad rogos, ad furcas agerentur, ingenuas Romani Judicis voces, † *Crimen* in hominibus istis *deprehendo nullum*! vel quas emiserunt de Hebræis *. Babylonii, Hoc uno, ô *Rex*, isti perduelles, *quod Deos tuos non adorant*! Non est equidem, immortali beneficio Numinis, facta degener à majoribus Fides, quæ ejuratâ unius Hominis servitute, abjecto rerum creatarum cultu, histrioniâ ab Ecclesiis Christi eliminatâ, larvâ per-

* Jon. I: 9. † Luc. XXIII; 14. * Dan. II: 12.

personatis Curiis, dum Bacchanalia viverent, detractâ, sed & supercilio homuncionum depresso, qui Deum ad pares calculos vocarent, jussit spes omnes defigere in unam de Cruce Victimam, unamque Dei eligentis, vocantis, ac sustentantis Gratiam, pari cum studio se totos illi consecrandi cui deberent omnia sua. Sed quæ ab auro defæcatissimarum mentium tota cœperat Imago hæc quædam Reformationis, manibus pedibusque * *in æs*, *in ferrum*, civilium nempè motuum bellorumque instrumenta, desinere visa est, nec ruitura tamen, quia Dei non hominum opus. Quod res est dicendum, AUDITORES, nam *ex eo justus quisque esse incipit, ubi sui accusator extiterit*. Dùm suas ostentat, vanâ quidem sed magnâ tamen specie, Religiones Roma, Basilicarum pompam, Altarium majestatem, Sacrificiorum solemnia, devota in Divos studia, ambarvalia Processionum sacra, austera Jejuniorum, Confessionum, aut Votorum vincula; dùm in iis qui à Protestantibus discesserunt, magna quandoque adparet in vultu gravitas, in habitu modestia, in vestitu simplicitas, in verbis parsimonia, in contractibus fides, & in officia mutua promptitudo; mirumne sacrorum nostrorum amplexu illos etiam prohiberi, qui veritatis rationem nobis haud omnem abjudicant? Annon offendant jure merito, præter externum illud, in re omni divinâ, ac glaciale propemodùm frigus, nullis, apud nos quidem, cultuum ac religionum quæ sensus afficiant illecebris, quandoque nullis aut remediis Schismatum, aut licentiæ frænis; præter signata illa fron-

* *Dan.* 11: 32, 33.

frontibus odia, & prorumpentes quotidie in aciem Cadmæos fratres; ità cognitionis sanè plurimùm, sanctitatis dilectionisve parùm, dùm ingenio & doctrinâ omnes, pietate ac patientiâ rari certamus? Prô dementiam! putabimus nos rationes vitæ nostræ rectè duxisse, si faciendorum immemores, & plerumque incumbentis mœnibus hostis, ac paratissimi exitii, certè imminentis fati, consenuerimus in indagatione veri, frequenter nimis cum incauto Archimede, dùm totus in eo esset si fortè

Jura poli regnumque Deorum

transferret quasi arte suâ, contemplando opprimendi. Prô degeneres parentibus natos! talentum nos rectè collocasse censebimus, ac fœnus fecisse Domino, vel servasse Christi morientis depositum, ultimæ quasi voluntatis Tabulis *pacem* dilectionemque suis relinquentis, si de amore, de fraternis amplexibus, de mutuis in rem Christianam officiis, de ponendis apud Deum calculis, aut non omninò, aut oscitanter, de cognitionis verò, & scientiæ, & inanium profectuum laude; de arcanis Temporum, de Disciplinæ ἀκριβείᾳ, aut acuminis vel inventorum gloriâ, unicè soliciti vixerimus? Hæreo etiam, unquàmne non jam à renatâ Ecclesiâ, sed & à nato Christianismo, eousque ventum lasciviæ fuerit, per turgidula propriæ sapientiæ succo ingenia, quibus nihil impervium humanæ Rationi censetur, nihil in Religione certum, nisi quod sibi opinione suâ fingunt, aut cum ideis suis componunt. O tempora! Dei effata ad perceptionis humanæ Tribunal deinceps rapi? Christianorum illud

ab

ab ævo πιςῶν, paribus cum Juliano ſcommatis, confodi? Sublimia Myſteriorum, quibus nullum cum naturâ aut terrâ commercium eſt, ad conceptuum cujuſque Lydium lapidem explorari? Divina ex humanis, æterna ex fluxis, incorporea ex materiæ conditione, in his affectuum ac præjudiciorum nebulis, ſed & mentium anguſtiis, æſtimari? Aut adſpici oculo Philoſophico, quæ nonniſi illo fidei, & amoris, & Angelicæ contemplationis pervidentur? Quin redit imago ignorantiæ illorum, ſed minùs tùm pervicacis, moxque certo experimento profligatæ, qui ad Paulum Apoſtolum quondam, * *an etiam eſſet Spiritus S. nequidem ſe cognoſcere* profiterentur. Quo tamen lumine prudenter † Renatæ Philoſophiæ parens certius nullum eſſe pronunciavit, hoc experimento nullum evidentius, & quod intrinſeco ſui ſenſu magis pectora perfunderet. Hoc certè Tubo non alius eſt qui oculorum aciem altiùs dirigat, inferatque in ipſam ſedem Æternitatis. Hâc fidei Machinâ, transferre etiam montes aptâ natâ, nulla unquam Syracuſii ſenis majorem exprimere admirationem debuit; quicquid ille non Naves modò hoſtiles machinis ſuis primò ſuſpendere, hinc ſubductis inſtrumentis mole ſuâ in profundam maris voraginem præcipitare, ſed & Terram, baſis modò illi daretur ubi pedem figeret, movere ſe loco ſuo poſſe, præfidentiùs jactitaret.

FRATRES, ne cavillari jure quodam Accuſatores videantur, Babelis nos cujuſdam, confuſis ædificantium labiis, certè variegatæ Jo-

* *Act.* XIX. 2. † *Renat. C. Reſp. Sec. p.* 78.

Josephi Tunicæ, ac fraterno ſanguine rubentis, aut conflati ex diverſiſſimis metallis Coloſſi Babylonici, referre quandam imaginem Scholas Reformatorum! Et quid obſtet ampliùs, dùm pugnamus ac diſſidemus ſinguli, quo minùs opprimamur commodùm univerſi? Aut dum architectamur in dies diverſum à Patribus Reformationis ædificium, modòque unam modò alteram ſtructuræ prioris trabem ſolicitamus, modò hocce modò aliud ſaxum convellimus, quid ſupererit tandem niſi ut moles univerſa aut corruat, aut ruinam certè plurimam faciat? Et quæ hæc eſt durities animorum, ut parricidis penè manibus diffindere nos velle Matrem judicemur, quod ad Antonium & Getam certantes de ſummâ rerum, apud † Herodianum, Julia Mater, dùm vix ac ne vix convertimus oculos in circumſeptam tot graſſatoribus Eccleſiam, jamque plus ſatis vulneribus gravem, ac planè cruentis machinationibus imparem? Ecce, ut Filios ſuos miſero ejulatu, ſparſis quaſi crinibus, brachiis expanſis, corruptis fletu oculis, madenſque adhuc lacrimis genas, ac penè animam agens, in auxilia vocat afflictiſſima Mater, appellatque ad pietatis officia, & ut poſitis odiis, atque extinctis litibus, tangamur interiore ſenſu communis originis, ac conjunctis operis ſuccurramus pereunti! Mater, inquam, Eccleſia in quam irruente undequaque Antichriſti milite effuſum quicquid penè eſt calamitatum, quas unus ferè Belga neſcit, ſentiunt plurimi, horrent quibus aliquid humani ſupereſt, ac ſola vertet in dubita-

ta-

† *Hiſt. L.* IV.

tationem posteritas, vix adducenda ut sibi hæc fuisse tempora persuadeat. Nec unquàm antea in perfugium illud Noachidarum, in permittendam totiens imbribus, & gurgitibus, ac scopulis, salutarem Arcam vi tantâ impetum fecerunt venti, & plusquàm decumani fluctus aquarum, non alibi deinceps tutam fixamque, quàm ubi conquieverit in *Monte Providentiæ.*

Parùm abfuit ævo superiore, fateor equidem, quin Cæsareum Caroli jugum, Saxone & Hasso vinctis, subirent Lutheri nepotes. Ingemuit ferali quinquennio, sub Mariæ dominatu, recens ab ejuratâ superstitione Insularum princeps. Non nisi equuleos, & rogos, & cruces, & carnificinas, & quicquid exterminare natum fuit Reformatorum nomen, spirarunt Henrici utriusque, Francisci II. Caroli IX. tempora, vel etiam Philippi II. inhumani Satellites. Ast verò redit hodiè tetra imago ejus ævi, quando sæviente in Oriente Diocletiano primùm, mox Galerio, in Occidente passim Herculio, in Asiâ & Africâ Maximino, in Italiâ Maxentio, uno Chloro Augusto violenta adhuc imperia in Britanniis continente, conjuratum fuit de delendo Christiano Nomine, & in istud partim occultis molitionibus, partim irruptione factâ, *decennio* toto invasum, frigidam suffundentibus Flaminum & Haruspicum agminibus, omnium autem Χριστιανοκατηγόρων tunc principe Porphyrio. Equidem squalet oppressa per Dimachos, & exhausta violataque Reformata omnis GALLIA; contremiscit BRITANNIA; DACIA trepidat; horrent PANNONIÆ;

cir-

circumſpicit anxiè GERMANIA; luget PALATINATUS; ſubdunt colla jugo BIPONTINÆ, ALSATICÆ, ac circumjacentes Eccleſiæ; perſtrepunt lamentis PEDEMONTANÆ Convalles; jacet ARAUSIO; exſpectat decretorium GENEVA diem; HELVETIAM undique & undique Arces coarctant: Una hæc Fœderata BELGICA, quæ de ſe ipsâ, antè noviſſimos motus, tantis Arbitris, *Nos pondera rerum & momenta ſumus*, ſervari in ſuprema pericula,

(—— *oris avertite noſtris*
O ſuperi!)

ſeponique in ultimum Cyclopei furoris pabulum per eos videtur, qui deinceps aſtus, & dolos, & totum Ulyſſem advocant, ſeu ut dividant conjunctos, ſeu ut ſopitos altâ ſecuritate improviſò adoriantur, quos videntes vigilanteſque metuunt. Non aliàs, mihi credite, immaniùs ſæviit Lycaon, non terribiliùs rugiit Leo, non iratior erravit campis *catulorum oblita Leæna*, non ferociùs Urſa diſcerpſit, non callidiùs velut in viâ Pardus * exploravit tranſituros, terror ubique

& plurima mortis imago!

Machinantur adversùs ovile Chriſti, ſub religionis in Chriſtum ſimulachro, acerbiſſima Principes, adinſtar Tiberii mactantis Divo Auguſto victimas, † ejus dùm poſteros propinquoſque tolleret. Non Dei poſthac in animos imperium eſt, ſed eorum qui Domitiani tempora revocant, * *Dominus & Deus noſter ſic fieri jubet*; vel illa Conſtantii, † *Quod ego volo pro* Ca-

* *Hoſ.* XIII. 7. † *Tac. Ann.* IV. 52. * *Suet. Dom.* XIII. † *Athan. T.* I. *Ep. ad Solit.*

Canone & Lege cesto; aut Chosroïs impia cognomina, * *Inter Deos Hominis Æterni*, vel *Inter Homines Dei Illustrissimi*; & Persæ alterius, Justiniano imperante, dicti † Ἀθανατίζοντος, quasi de *Immortalitate* atque *Æternitate* decernentis. Quinimò Deo ipso in fraudem veluti nostram agente gubernanteque omnia, transferuntur heu! Sceptra & Imperia, non uti quondam à Saüle ad Davidem, sed ex adverso à propitiis, inopino autem fato intercipiendis, ad infestos Ecclesiæ Principes. Neque irritati in hanc ipsam Numinis certius jam olim indicium apparuit, quàm dùm decederet Arca Dagoni, aut dùm concedentibus fato Constantinis, vel Theodosiis, visa sunt ruere deinceps omnia retrò referenda, factaque via est Constantiis, Julianis, Valentibus, sed & irruituris denso agmine in Christianas ditiones Hunnicis, Gothicis, ac Vandalicis Gentibus: Cujus quoque calamitatis præsagium haud inane fuisse, in Italiâ quidem Ambrosii Mediolanensis, in Africâ Hipponensis Augustini supremam diem, utriusque Annales prodiderunt.

Nostrum quidem est, Viri Fratres, memores tandem esse & communis causæ quam tuemur, & fidei quâ colligamur, & societatis in quam coivimus, & salutis quam anhelamus, & periculi quod omnes ex æquo manet. Ut ità redeunte concordiâ Ducum, quali olim Themistoclis & Aristidis, * quoties pro salute Reipublicæ militarent, fraternæ deinceps acies sub eadem signa cogantur, & coalescenti-

* *Simoc. Hist. L. IV. C. VIII.* † *Proc. de B. Goth. L. IV. C. X.* * *Plut. Reip. Ger. Prac. T. II.*

tibus rursùm animis contineant hostiles impetus, sed & frangant: Non dubio aliàs exitio, si nihil deflagrantibus odiis nos ipsos conficimus, præmiis ambiguis, certò luctu, quomodò civilium armorum sorte inter sese committendis * Ottone & Vitellio, alterum prælium, victoria alterum perdidit, lugubri & victis & victoribus bello.

Verùm succurre actutùm ipse Tu, Clementissime Jesu, illi Ecclesiæ quam tanto mercatus es, ac Tuo primùm sanguine, tùm & Martyrum illo, velut cæmentasti. Serva Domine, quia absque Te fiet ut vel per nos ipsos pereamus, vel per junctas modò caudis suis infestasque Vulpes, quæ segetibus Tuis extremam vastitatem comminantur. Sursùm ad Te mittimus oculos, corda, gemitus, ut deorsùm mittas in nos quidem Spiritum pacis, in hostes Tuos Spiritum terroris, quo consternati arma in se ipsos convertant. Nonne ipse Tu es, qui dùm fundares principio Terram, & Cœlos expanderes, eduxisti ex tetrâ caligine splendidissimam lucem, & ex confusissimâ rerum mole pulcherrimum hunc Universi ordinem? Nec terram modò ab aquis, sed etiam amarissimas aquas Oceani, à fluvialibus illis, in alveos suos colligendis, utiliter segregasti. Age Domine, imminet illud Ecclesiæ tuæ tempus quo, instauratâ rerum omnium facie, novos Cœlos novamque Terram haud vanâ spe præcipimus. Definies uti inceperas, & ex Cimmeriis iis tenebris quæ Gossenem modò Tuum obruunt, ex confusissimis nimiùmque perplexis rebus, quæ quaqua versùm se ingerunt oculis, elicies Liberationis Salutisque optatissimam lucem, & quoque, discussâ hac rerum terrenarum scenâ,

* *Tacit. Hist.* II.

scenâ; admirandum quendam, nobis licet adhuc obscurum, administrationis Tuæ ordinem: Tandemque in æstuante hac Tuorum omnium siti, salsas & amaras aquas, salutari ligno Tuæ Crucis edulcandas, convertes in refrigerantem levantemque lympham.


Ità est, Domine, Labyrinthus quidam mille viis, mille erroribus, undè expedire se mens perplexa nescit, observantur nobis res Humanæ; atque etiam Reformatæ: Sed Providentiæ Tuæ, penes quam sunt exitus vitæ mortisque, Ariadnæo quasi filo ità ducendæ regendæque, ut in infinitâ hac rerum & eventuum varietate prima mediis, media ultimis, sapientissimè cohæsisse, ac miscuisse nexus, aliquando intelligamus. Exundant undequaque infestis eluvionibus hybernæ velut Aquæ, flebilem ac miseram Tuis agris speciem inductura, gratum Hostibus spectaculum. Sed cohibebis aliquando, servato in repagulum & vallum GUILIELMO AURIACO: Et postquàm ultrà margines omnes suos effusæ, mersisse Ecclesiam penè universam videbuntur, Tu qui corda REGUM ut rivos Aquarum potente manu inclinas ducisque, reddes tandem Edeni Tuo, limosis illis aquis fœcundato, reddes Ecclesiæ tuæ, ex fati faucibus ereptæ ac restitutæ, vernantem lætamque perpetuâ segete, & luxuriantem undique faciem: Quando

Frondibus AURIACIS comptos redimita capillos
Pax aderit.

Donec discordiarum memoriâ oblivione deletâ, disclusis causis irarum, pulsis affectuum nebulis, odii,

odiis dissipatis. dextris conjunctis, studiis animisque in Te unum erectis, pari linguarum, vocum, hymnorumque concentu, Laudes Tuæ in omnem Æternitatem resonabunt.

DIXI.



EPITOME
ISAGOGICA
AD
HISTORIAM ECCLESIASTICAM
RERUM CHRISTIANARUM.

EPITOME ISAGOGICA

AD

HISTORIAM ECCLESIASTICAM RERUM CHRISTIANARUM.

I. *Historiæ illius Necessitas, & Usus.*



Uot ſe amœnitatibus, ſed & uſibus, ut in omni propè Diſciplinâ, ſic cummaximè in Sacrâ, commendet Hiſtoria Eccleſiaſtica *Novi Teſtamenti*, Chriſtianæ res Eccleſiæ complexa, dicere pluribus nihil attinet. Equidem hîc veluti in tabellâ quâdam exhibentur, primæ rerum Chriſtianarum origines; progreſſus ſtupendus; Doctrinæ purioris ſucceſſio, propagatio, conſervatio; Errorum omnium atque Hæreſium natales; Hodiernorum cum veteribus Hæreticis conſpiratio; Pontificiæ cùm dominationis tùm ſuperſtitionis primordia, progreſſus, faſtigium; Veritatis contrà hanc perpetui teſtes, vindices, adſertores; Eccleſiæ utriuſque in Oriente & Occidente Doctores, Patres, Antiſtites; Concilia cùm Univerſalia tùm Particularia; Imperatorum ac Principum circà res ſacras geſta, conſtitutiones; Rituum, Ceremoniarum, Diſciplinæ varia ratio, mutationes variæ; Refor-

formationis antecedanea, neceſſitas, modus; Antiquitatis cum Theologiâ Orthodoxâ conſenſus, ab Heterodoxis diſſenſus; Illius denique, ut mittam alia, inanis plerumque in Adverſariis jactantia, etiam obſcuratio: Ut graviores Controverſiæ redeant ferè ad quæſtionem *facti*, & ad id quod in primitivâ Eccleſiâ vel *traditum* vel *creditum*.

II. *Fontes Hiſtoriæ Eccleſ. Novi Teſtamenti.*

Petitur autem Hiſtoria Eccleſiaſtica Novi Teſtamenti,

1. Ex ſcriptis *Euangelicis* & *Apoſtolicis*, Canonicæ authoritatis.
2. Ex antiquis & probatis Chriſtianæ Eccleſiæ *Doctoribus*, qui Apoſtolos ſucceſſivè exceperunt, ac tradiderunt paſſim [de Eccleſiæ Doctrinâ, Diſciplinâ, Ritibus, Hæreſibus, Certaminibus, aliiſque, ut Clem. Romano, Juſtino, Theophilo, Irenæo, Clem. Alexandrino, Tertulliano, Origene, Cypriano, reliquis.
3. Ex *Conciliorum* tàm Univerſalium quàm Particularium per Aſiam, Africam, Europam, Actis & Decretis, eorundemque Canonibus.
4. Ex profanis quin etiam ſeu *Exoticis* Scriptoribus, Hiſtoriæ cumprimis Auguſtæ vel Cæſareæ, Romanæ, Byzantinæ, Mahummedanæ, Turcicæ, Gothicæ, Germanicæ, Francicæ, Britannicæ, Bohemicæ, &c. & ex Chronicis Univerſalibus, quibus res ſacræ ſecularibus implicantur.
5. Speciatim ex Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ compila-

pilatoribus ac ſcriptoribus diverſis, quorum, alii *Veteres*, alii *Medii*, alii *Recentiores*, miſſis vel planè *fabuloſis*, vel *ſuppoſititiis*, qui ſuis indicabuntur locis.

In *Veteribus*, poſt Julium Africanum III. Seculi Chronographum, ſuperſunt: *Euſebius* Cæſarienſis, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ conditor & pater, indè à Nato Chriſto ad Concilii Nicæni tempora, Libris Hiſtoricis X. item in Chronico Euſebiano, item de Vitâ Conſtantini M. Libris IV. horum controverſo apud alios authore.

Poſt Euſebium, *Ruffinus* Aquilejenſis, Euſebii tranſlator, & continuator ad Theodoſii M. exceſſum; tùm *Tripartitæ Hiſtoriæ* Scriptores ſibi còntemporanei, *Socrates* Scholaſticus Conſtantinopolit. Libris Hiſtoriæ VII. *Theodoretus* Epiſcopus Cyri, Libris qui ſuperſunt V. *Sozomenus* Salaminius Libris IX. Qui tres Euſebium continuarunt uſque ad Theodoſii junioris tempora, poſt à *Caſſiodoro* in XII. Libros collecti.

Accedunt his *Sulpicius Severus*, Presbyter Aquitanicus, in eleganti Epitome Hiſt. Sacræ ad finem uſque Seculi IV.

Philoſtorgius Cappadox, Sectâ Arianus, Libris XII. à Conſtantino M. ad ſuam ſub Theodoſio juniore ætatem, quorum habemus Epitomen ex Photio.

Theodorus Lector Conſtantinopolit. cujus ſuperſunt Eclogæ ſeu Excerpta auctore Nicephoro Calliſto, à morte Theodoſii Jun. ad tempora Juſtini Imp.

Euagrius Scholaſticus, continuator Tripartitæ Hiſtoriæ, uſque ad Mauricii Imperat. annum

annum XII. vergente ad finem Seculo VI.

Theophilactus Simocattus, Euagrio ſuccedens, Libris VIII. de rebus à Mauricio geſtis. Ut mittamus in hac claſſe *Paulum Oroſium* coævum Auguſtino, *Proſperum Aquitanicum* Chronici authorem, &c.

Mediæ quaſi ætatis, inde à VII. VIII. & ſeq. ſeculis, ſunt in Latinis, Venerabilis *Beda*, *Paulus Diaconus*, *Vſuardus*, *Freculphus*, *Haymo*, *Anaſtaſius*, *Ado*, *Marianus Scotus*, *Sigebertus*, *Friſingenſis*, *Vrſpergenſis*, *Mart. Polonus*, &c.

In Græcis verò & Byzantinis, poſt Simocattum, celebres ſunt *Georgius* Taraſii Patriarchæ Syncellus, *Theophanes* Confeſſor, *Nicephorus* Patr. Conſtant. *Iohannes & Petrus Siculus*, *Georg. Credenus*, *Ioh. Zonaras*, *Mich. Glycas*, *Conſt. Manaſſes*, *Georg. Logotheta*, *Nicetas Choniates*, *Nicephorus* Calliſti filius, *Georgius Pachymeres*, *Laon. Chalcocondylas* de Turcarum rebus, &c. Quorum Catalogum exhibuit Phil. Labbeus, edendorum in Corpore Hiſt. Byzantinæ.

In Arabibus celebres *Eutychii* ſeu *Batricidis* Patr. Alexandrini Annales, ſcripti Seculo X. de quibus ſunt Seldeni & Pocockii judicia. Adde *Abul-Pharagium* Pocockii, *Chronicon Orientale* Abrah. Ecchellenſis, &c.

Ex recentioribus ſuperiori & noſtrâ ætate Hiſtoriam Eccleſiæ aggreſſi ſunt benè multi, *Lutherani*, *Reformati*, *Pontificii*, qui operoſiùs qui conciſiùs; qui univerſam, qui ex parte tantùm; qui in totâ ſuâ latitudine, qui reſtrictam ad certarum Eccleſiarum Antiquitates; qui ſeparatam, qui cum profanâ Hiſt. conjunctam.

In

In Auguſtanæ vulgò Confeſſionis Scriptoribus, primas obtinent *Centuriatores Magdeburgenſes*, Centuriis XIII. M. Flacio Illyrico cum aliis præclarum opus adornante, de quo extant judicia Eruditorum. Id certè de eo dici debet, Bibliothecam quandam eſſe totius Chriſtianæ Antiquitatis, ſi non pari ubique delectu vel Authorum, vel Materiarum, ac Diſcrimine veri à falſo, certi à dubio, incredibili tamen cum ſtudio, ac conveniente methodo, congeſtam; cui adeò Baronianum opus opponi tandem oportuit.

In Romanæ Eccleſiæ Scriptoribus unus eſt omnium inſtar *Cæſar Baronius*, Author Annal. Eccleſiaſtic. per Secula XII. quem continuarunt, *Abraham Bzovius* Monachus, *Henr. Spondanus*, dein *Odoricus Raynaldus* Presbyter; compilarunt verò plurimi: Hos inter noviſſimè *Natalis Alexander* Monachus Gallus, ad extrema Conc. Tridentini; cenſor tamen quandoque Baronii, ubi iſte plus Romano Pontifici, minùs Regiæ authoritati attribuit, hinc Romæ damnandus. De Baronio autem parùm faventia ſunt cordatiorum, in Galliâ comprimis Pontificiâ, judicia, ipſiusque *Godavii* Epiſcopi in Præf. Hiſt. Eccleſ. Gallicè conſcriptæ, ut noſtros taceam.

Ad Hiſtoriam Reformationis plurimùm inter Pontificios ipſos conducunt *Paulus Servita*, & *Iac. Auguſtus Thuanus*.

In Reformatorum caſtris, quemadmodum res ſacras innumeri digeſſerunt, diverſis ſinguli methodis & inſtitutis, ità deſideratum hactenùs ut vel Caſauboni, poſt Exercitationes, vel Salmaſii, vel Blondelli, vel Uſſerii, vel

Vossii, vel id genus Antiquitatis Eccles. promicondi, *Annales Ecclesiasticos* continuâ serie opposuissent illi Operi quo superbit Roma Pontificia. Magni *Blondelli* ad Baronium Annotata posthuma, asservat Bibliotheca Amstelodam. *Joh. Henr. Ottii* Anti-Baronium promittit integrum Filius.

Hìc verò *Ideam* modò quandam rerum Christianarum, fusiùs declarandam, exhibemus, Methodo compendiosâ, rebus selectioribus indicatis, & in suas Classes digestis, per singula Secula, ordine qui & rebus respondeat, & memoriam juvet, & Locorum Historicorum instar esse possit; distinguendo ubique certa ab incertis, vel à suppostitiis.

SECULUM PRIMUM.

Incipit *primum Seculum* indè à Christi *Nativitate*, undè orditur Æra Christiana, quæ vel *Vera*, ducenda à vero anno Natali, sed non satis certo; vel *Vulgaris*, aliàs *Dionysiana*, secundùm computum Dionysii Exigui, Abbatis Romani, imperante Justiniano, ut suprà in *Isag. Chronol.* & modò in Circumstantiis Nativitatis: Hoc igitur seculo digniora sunt observatu sequentia Capita.

I. *Proximè antecedentia Nativitatem Christi.*

Huc faciunt præ cæteris,

1. *Plenitudo temporum*, secundùm vaticinia Prophetarum, LXX. septimanis annorum *Dan.*

IX. 25. mox expiraturis, Sceptro etiam à Judâ, à quo Terræ, Genti & Reipublicæ nomen, novissimè translato in Herodem Idumæum, atque adeò translatâ supremâ *Legislaturâ*, *Gen.* XLIX. 10. Reliquis tantùm hujusce, sed ad breve tempus, quibusdam vestigiis, in *Synedriis* Judæorum, & permisâ iis judicaturâ secundùm Legem, *Ioh.* XVIII. 31. XIX. 7. An verò etiam judiciis Capitalibus, *Ioh.* XVIII. 31. confirmantibus Josephó & Talmudistis, sub judice lis est.

II. *Tenebræ* quæ universum propemodùm orbem occupabant, in Idololatriâ Gentium omnium, Judæorum Sectis, Pharizæorum corruptelis; quæque adeò tandem discutiendæ ortu *Stellæ* ex Jacobo, & *Solis Justitiæ*, & *Orientis ex alto*, qui futurus *Lux mundi*, *Ioh.* I. 9. VIII. 12.

III. *Descriptio Orbis Romani* jussu Augusti Cæsaris, *Luc.* II. 1. Sive Census capitum in Tabulas relatus, Principis vel ambitione vel curiositate, sed quæ ancillaret tamen divinæ Providentiæ & partui Bethlehemitico, *Cyrenio* tùm vel *Quirinio*, aliis *Quirino*, in Syriâ & Judæâ non quidem Præside ordinario (qualis tùm *Saturninus*, exindè *Quintilius Varus*, postmodùm *Quirinius*, Archelao Herodis filio relegato, apud *Ioseph. Lib.* XVI. Cap. XVII. *Lib.* XVIII. *Cap. ult.*) sed Cæsaris Procuratore, vel Legato extraordinario, ad descriptionem hanc procurandam delegato. Et hæc descriptio *prima* Lucæ dicta, tùm resp. Judææ; tùm respectu Quirinii primò describentis; tùm quatenùs generalis illa fuit seu Oecumenica, etiam extraordinaria. Aliter rem explicant

 Henr.

Henr. Valesius in *Lib.* I. *Eusebii.* C. v. & Ludovicus Capellus in *Hist. Iud.* Compendio p. 107. nodum hunc non solvens sed secans.

IV. *Desponsatio Mariæ* Virginis cum *Iosepho*, sapientissimo Dei consilio, qui Iosephus ex eàdem non quidem Familiâ fuit (Maria enim ex Nathane, Josephus ex Salomone) sed tamen *Tribu*, quum nubere in eâdem familiâ requisitum tantùm esset in filiabus hæredibus possessionum, ἀγχιστεύουσαις κληρονομίαν, *Num.* XXXVI. 8. Ergò Maria æquè ac Josephus, ratione paterni generis, ex tribu *Iudæ*, ex semine *Davidis*, atque hinc ascendens in *urbem David*, *Luc.* II. 4. prout & fœminas Romani censebant. Undè utriusque Stemma *Genealogicum* in Euangelio exhibitum, de quorum difficultatibus & ἐναντιοφανείαις, prolixè Parens noster *Dub. Euang.* P. I. Errant qui Scripturas *Mariæ genus* tacuisse censent, prout Baronius *Heli*, *Luc.* III. 23. facit patrem Josephi *legalem*.

V. *Conceptio Johannis Baptistæ*, sex circiter mensibus antè annunciationem Euangelicam, *Luc.* I. 26. 36. nec sine miraculo, Zachariâ & Elizabethâ effœtis, *Luc.* I. 7. Illo quidem *Sacerdote*, sed non Summo, hinc Sacris operato in ordine suæ ἐφημερίας I *Chron.* XXIII. atque adeò stante Zachariâ non in *Sanctuario* (qualiter Summus Sacerdos in Festo Expiationis) sed in *Sancto*, ad Altare *thymiamatis*, *Luc.* I. 9. II. quum illi Johannis nativitas ab Angelo denunciaretur.

VI. *Denunciatio Angelica* ad Mariam, Mariæ ad eam voces, fides, Sponsi posteà diffidentis (quem jam tùm *maritum* fuisse antumant, contrà quàm *Matth.* I. 18. 23.) per Angelum

erectio, visitatio Elizabethæ, profectio in Bethlehem, &c. de quibus Historia Euangelica.

VII. *Fabulis* verò Baronianis, in *Apparatu, Num.* XXVII. XL. & seq. puta de Annâ & Joachimo Parentibus Virginis, de Virgine ipsâ, de Josepho sponso, de Antecedaneis signis Nativitatis Christi, nullus ferè modus est. Et istæ quidem ex Euodio apocrypho, ex Nysseno, Epiphanio, Orosio, Damasceno, Cedreno, &c. Scriptoribus cùm miræ in credendo & narrando facilitatis, tùm quarti demùm, quinti, octavi, &c. Seculi.

II. NATIVITAS *ipsa & Circumstantiæ.*

Nativitatis Christi observamus modò,

I. *Tres Characteres*, ex Euangelicâ Historiâ, quibus tempus ejus circumscribitur, sed *communes* illos nec satis *distinctos*. Nempè,

1. Quod natus sit Christus sub *Herode* magno, *Matth.* II. tacito interim *anno* Regni Herodiani, & dubio hujusce cùm *principio*, undè inchoari debeat, tùm *duratione* & *fine*, de quo fusè in *Dub. Euang. Parte* II. ut & de errore Baroniano circà annos Herodis.

2. Quod natus idem sit sub *Augusto* Cæsare, *Luc.* II. sed tacito *anno* imperii Augusti, uti Herodis; Hinc dubia connexio Æræ Christianæ veræ cum Ærâ Augusti, quàm ducunt alii à cæde Julii Cæsaris, alii à primo ejus Consulatu, alii à Triumviratu, alii ab Actiacâ victoriâ, alii à delato ei nomine Augusti, &c.

3. Quod anno *Tiberii* Caesaris xv. facta sit H' ἀνάδειξις seu initium prædicationis Joh. Baptistæ, præcursoris Christi; & hic, quo tempore à Johanne perfusus est, esset annorum ὡσεὶ *quasi* xxx. παχυλῶς & indefinitè, & cum aliquâ latitudine, quo scilicet tempore munus suum auspicatus est, ἀρχόμενος scil. τῆς λειτουργίας, *Luc.* III, 1.2.3.

II. *Annum*, non quidem *verum* (obscurus enim iste, ob rationes præcedentes, & ob seriùs observatam hanc Nativitatis Epocham, atque hujusce cum aliis Epochis connexionem, Christianorum primis in alia quàm in Chronologiæ apices intentis) sed *vulgarem*, ut hodiè putatur, secundùm Æram Dionysii Exigui. Nempè annus primus Æræ Dionysianæ, indè à Kalendis Januariis, collatus cum Epochis aliis, secundùm Scaligerum & sequaces, coincidit cum anno

Periodi Julianæ.	4714.
Mundi Conditi.	3950.
Primo Olympiadis.	195.
Iphitæo.	777.
Nabonassaris.	749.
Urbis Conditæ.	753.
Actiacæ Victoriæ.	31.
à Cæde Jul. Cæsar.	44.
Juliano.	46.
Cyclo Solis ineunte.	10.
Lunæ Cyclo ineunte.	2.
Indictione.	4.
Lit. Dominic.	B. proximo anno à Bissextili.

III. *Mensem* & *Diem*, variè à Variis traditos, sed incertè, quomodò fatetur Scaliger *Diem*

Diem definire solius Dei esse, magis *Horam*, in quam frustrà inquisivit Baronius. Et laborant omnium sententiarum fundamenta omnia, quarum tres praecipuae sunt:

Prima Christum natum asserens VI. *Ianuar.* seu VIII. *Eid. Ian.* quo die est festum ἐπιφανίων. Atque ità quondam Ecclesiae Orientales, Hierosolymitana, Ægyptiacae, Asiaticae, antè & post Eusebium, fatente Scaligero.

Altera Christum natum censens XXV. *Decemb.* seu VI. *Kalend. Ianuar.* Et haec communis sententia, antiqua satis, cumprimis in Latinâ Ecclesiâ, traditioni Apostolicae adscripta in Constitut. Clement. *Lib.* v. *Cap.* XIII. Sed dubia illa tamen, imò cùm falsis hypothesibus, ut de tempore concepti Johannis Bapt. tùm frivolis, uti de Solis tùm ad nos reditu subnixa: Undè & seriùs, diu à Constantino Magno, tempore Chrysostomi, hic Natalis Dominici dies celebrari cœptus est; toto verò Oriente non antè Justini Imperatoris tempora, Seculo VI.

Tertia Christi natalem conjiciens in finem *Septembris*, aut initium *Octobris*, die non definito. Quae rursùm sententia nova est, *Beroaldi*, *Scaligeri*, *Calvisii*, &c: incertis etiam & diversis quoque hypothesibus nixa, quales v. gr. de praeciso LXX. *Septimanar.* Danielis termino, qui omninò dubius & controversus est; de *Natali Baptistae* in mense *April.* ex traditione antiquâ Ecclesiae Alexandrinae, sed non minùs incertâ; De Nativitate Christi in Festo Tabernaculorum, ut typo, repraesentatâ, &c.

Quare tutissimum ἐπέχειν, nihil definiente Scripturâ, diu etiam de Natali Christi certante Vetere Ecclesiâ.

IV. *Circumſtantias* alias ex Sacris notas, quales ſunt v. gr. Locus nativitatis; Cunæ abjectæ; Angelicum nuncium; Circumciſio die octavâ; Simeonis amplexus; Magorum adventus; Adoratio, munera; Herodis ſollicitudo, metus; Infanticidium Bethlehemiticum; Joſephi in Ægyptum fuga, mora ibidem, revocatio; Seceſſus in Nazareth Galileæ, &c. De quibus Hiſtoria Matthæi & Lucæ, & ad eam veteres & moderni Interpretes, omnium inſtar Parens noſter *Dub. Euang. Part.* II. & in Baronium Caſaubonus.

Quicquid præter iſta Baronius, ad Annum Chr. I. aliique ex Apocryphis referunt, de circumſtantiis variis, & miraculis in Nativ. Chriſti, de modo partûs virginei, ſpeluncâ in quâ Chriſtus natus, præſepi argenteo, faſciis, Magis Regibus, &c id omne in *fabulis*, quæ ſunt propemodùm infinitæ, & vanis *traditionibus*, haberi debet.

III. *Res intermediæ uſque ad Miniſterium Joh. Baptiſtæ, & Chriſti.*

Huc referuntur,

I. *Educatio Johannis* Baptiſtæ, uti *Chriſti* illa, vita ſcilicet utriuſque privata & obſcura, ad annum circiter ætatis xxx. nec tamen latens in *antris* & *deſertis*, ut de Johanne fabulantur, inde ab anno ſuæ ætatis v.

II. *Habitatio Chriſti* in urbe Nazareth uſque ad tempus Baptiſmi. Undè & illi nomen, nec ſine myſterio, *Nazareni*, *Matth.* II. 23. Hinc in urbem Nazareth duodecennis reverſus, *Luc.*

II.

XI. 51. & ex Nazareth prodiens ut baptizaretur, *Matth.* III. 13.

III. *Memorata tria alia*, quibus tota Historia infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ, juventutis Christi absolvitur. 1. *Incrementum* in ipso tùm *staturæ*, respectu corporis, tùm *sapientiæ*, quoad cognitionem actualem & experimentalem, tùm *gratiæ*, quoad manifestationem illius, *Luc.* II. 52. 2. Actio Christi *duodecennis*, sedentis in Templo, non quidem in Doctorum (ut putarunt) cathedrâ, sed Juniorum in subsellio, at cum *Doctoribus* congressi, interrogatis & responsis longè suprà ætatem, *Luc.* II. 42, 46. 3. Vita apud *Parentes* transacta, cum reverentiâ & *subjectione* illis debitâ, ab eo qui subjici in omnibus debuit, & præire exemplo, qui postmodùm doctrinâ. Dubium verò, an transactum illud tempus, præter meditationes Sacras, & præludia administrandi Muneris, & officia in Parentes, etiam in opere *manuario*, & eodem cùm Josepho, ut quidem traditum multis veterum, Justino, Basilio, Chrysostomo, aliis. Dubium & tempus excessûs Josephi, uti alia. Fabulis verò & apocryphis, probatis ipsi quoque Baronio, nullus denuò finis. Inter quas insignis illa de *Casâ* Mariæ ab Angelis translatâ, quæ hodie Lauretæ colitur, de quâ Baronius ad A. Ch. IX.

IV. *Mutationes* quæ indè à Christi Nativitate ad Ministerium accidêre, in Judæorum cùm Republ. tùm Ecclesiâ. Quò spectant, præ cæteris,

Mors Herodis, septuagenarii, & Testamentariæ Tabulæ, apud Josephum, *Antiq. L.* XVII. C. X. Non certo satis anno mortis Herodia-

dianæ post Christum natum, cujus regno à captis Hierosolymis Josephus tribuit annos XXXIV. qui XXXVII. veriùs tribuendi ad Augusti *annum* XLVI. biennio ferè post Christum natum.

Successio filiorum scilicet Archelai, Philippi, Antipæ qui Galilææ Tetrarcha;

Motus sub Archelao Rege, hinc accusatio coràm Augusto, ejus depositio, relegatio, *decimo* post Principatum anno.

Judæa in Provinciæ formam à Romanis redacta, *Coponio* Procuratore Cæsaris constituto post hunc aliis; Usque ad *Pontium Pilatum*, præfectum annis duobus antè Bapt. Johannis, per annos decem.

Varii in Judæâ & Samariâ motus. ac in Romanos seditiones, Judâ Galilæo, Theudâ, similibus authoribus, *Act.* v. 36, 37.

Augusti Cæsaris intereà excessus, annis à nato Chr. circiter XIV. ut colligi potest ex *Luc.* III. 1, 23. Juliano LIX.

Summi dignitas Pontificatûs desultoria, & ambulatoria, undè plures simul Ἀρχιερεῖς memorati in Euangeliis; Quo autem sensu Casauboni, Seldeni, Cunæi, Parens noster *Dub. Euang.* P. II. D. XXXVII. aliique, pluribus.

IV. *Historia Ministerii I. Baptistæ, & Christi, usque ad Tempus Ascensionis. Testimonium Fl. Josephi.*

Huc spectant

1. *Joh. Baptistæ* antecedaneum Ministerium, cœptum Tiberii annô XV. Pilato Judææ Procuratore, *Luc.* III. 1, 2. Ejusdem adeò Habitatio,

tatio, Victus, Amictus, Concio Pœnitentiæ, Baptiſmus, de Chriſto teſtimonia, Incarceratio, Decollatio, &c.

An verò *ſex* tantùm *menſibus* præceſſerit ejus ἀνάδειξις Chriſti Baptiſmum, ac Miniſterium, an *longiore* intervallo (quidam enim voluêre aliquot annis) non ſatis conſtat.

II. Ætas Chriſti quâ baptizatus eſt, *exorſurus* Miniſterium ſuum, vir ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα *quaſi annorum triginta*: dubium intelligendi-ne *completi* an *incompleti*, an natus annos XXIX. an XXX. an XXXI. Certè annus ætatis *trigeſimus* completus, fuit ipſiſſimus Miniſterii Sacerdotalis, ex lege *Num.* IV. 3. ætas eadem virilis, gravis, apta muneri capeſſundo, ætas admoti Joſephi ad Præfecturam, Davidis ad Regnum, *Gen.* XLI. 46. 2 *Sam.* V. 4.

III. *Duratio Miniſterii Chriſti*: Cui Clemens Alexandrinus *Lib.* I. *Strom.* Origenes L. IV. περὶ Ἀρχῶν & recentiores quidam, tribuêre nonniſi annum *unicum*; ut paſſus ſit anno ætatis *trigeſimo*, quod & Tertullianus, ſed inſigni errore. Alii annos ſolidos *quatuor*, numerantes quinque Paſchata, cum Gerh. Mercatore, Scaligero, Calviſio, Wilh. Langio &c. Plerique, & ſaniores, poſt Euſebium, tribuunt annos ſolidos *tres*, cum aliquot *menſibus*; ut nempè Chriſtus baptizatus ſit in *Januario* (vulgò die VI. *Jan.*) celebrarit quatuor Paſchata, quorum ultimum fuit θανάσιμον, pridie *mortis ſuæ*, hinc paſſus anno ætatis ſuæ XXXIII. ſecundùm alios *completo*, ſecundùm plurimos *labente* ſeu inchoato.

Paſchatum verò ſingulorum ordo ſic conſtituitur, ut *primum* ſit illud in quo Templum re-

repurgavit, *Joh.* 11. 13. *& seq.* *Alterum*, illud *Joh.* v. 1, 2. in quo ægrum ſanavit in Sabbatho ad piſcinam Betheſdæ; *Tertium*, illud de quo *Joh.* vi. 4. quanquàm tùm aſcendiſſe Hieroſolymam non dicitur; *Quartum*, illud quo approximante petiit Hieroſolymam, conſummaturus omnia, *Joh.* xi. *Matth.* xx. *Marc.* x. *Luc.* xviii. celebratâ tùm cœnâ Paſchali tempore ex Lege præſcripto, pridie tamen antequam Judæi, *Joh.* xiii. 1. xviii. 28. xix. 14. ob tranſlationem eo anno factam ex ratione ſeu *lunari*, ſeu *civili*.

iv. *Hiſtoria Evangelica* Baptiſmi Chriſti; Tentationis in Deſerto; Prædicationis publicæ; Concionum; Miraculorum; Vocationis ac primæ Miſſionis Diſcipulorum; Certaminum; Cœnæ inſtitutæ; extremi Agonis, Sudoriſque; Antecedaneorum mortis; Mortis ipſius; Sepulturæ; Reſurrectionis; Apparitionum poſt reſurrectionem; Inſtitutionis Baptiſmi; Aſcenſionis in cœlum. Quæ omnia, quo *ordine* & *tempore* acciderint, confuſo quandoque apud Euangeliſtas, parùm de illo ſollicitos, vel Matthæum comprimis, docent *Harmonici* Scriptores, Chronologi ſacri, Scriptores *Catallactici* ſeu Conciliatorii contradictionum apparentium, veteres ac recentiores, in quibus & Parens noſter, in *Dub. Euangel.* Item celebres in Hiſtoriam Euangelicam *Commentarii*, *Annotationes, Obſervationes, Exercitationes*, &c. Caſauboni illis contrà Baronium cedro dignis. Nos hîc intrà limites noſtros coërcemur.

v. *Teſtimonia Exotica* Euangelicæ Hiſtoriæ adſtipulantia. Qualia

1. *Gentilium* illa, de circumſtantiis variis ſeu Na-

Nativitatis, ſeu Mortis Chriſti, cùm Veteribus, Tertulliano, Origene, Euſebio, Ruffino, Hieronymo, &c. tùm recentioribus multis, ac Grotio nominatim, Huëtio, & ſi quibus aliis, obſervata.

2. *Talmudiſtarum*, quorum ex ſcriptis mira ſubindè lux Hiſtoriæ Euangelicæ, apud Finum Hadrianum, Raymundum, Galatinum, Buxtorfium, Lud. Capellum, Joh. Ligtfoot, Joſeph. Voiſin, Joh. Coccejum, Hoornbekium, Hulſium, Carpzovium, Wagenſelium, recentiores alios, & in *Elencho* noſtro de controverſiis Judaicis. Fabulis ſimul ac mendaciis de *Jeſu* noſtro, in Talmude & Judæis recentioribus aliis, innumeris, quæ tyrones videant apud memoratos Scriptores.

3. *Muhammedis* ipſius, qui de Chriſto laudabilia, & Evangelio, ſed cum admixtis fabulis blaſphemuſque, Alkorani *Cap.* II. IV. V. XI. XII. XIII. XIV. XVI. XIX. &c.

4. Cumprimis verò his omnibus antiquioris, & dignioris teſtis, *Ioſephi* Ἀρχαιολόγου, qui ut Hiſtoriam Euangelicam paſſim confirmat, in Libris *Antiquit.* & de *Bello Judaico*, ut de Joh. Baptiſtâ luculenter teſtatur *Antiq. Lib.* XVIII. C. VII. de ejus nempè ſanctitate, concione Pœnitentiæ, Baptiſmo, ad illum confluxu, vinculis, ſupplicio juſſu Herodis Tetrarchæ, ità & præclarum exhibet de Chriſto teſtimonium, *Antiq. Lib.* XVIII. C. IV.

Aſt verò teſtimonii illius fidem dubiam facere cùm alia nonnulla videntur, ut tot piarum fraudum exempla, ſtylus, nexus, variatio Codicum, ſilentium Juſtini Mart. Tertulliani, Clementis Alex. Origenis contrà Celſum, Photii

tii Patr. &c. ità cumprimis magnifica illa de Jesu tanquàm *Christo* elogia, ejusque Viri Divinitate, Miraculis, Resurrectione, de quo & *Prophetæ* prædixissent, &c. Undè & νοθεύσεως postularunt*, non Judæi modò qui hunc Josephum pro genuino non habent, sed & superiori ac nostrâ ætate Luc. Osiander, H. Gifanius, Rich. Montacutius, Jac. Salianus, Capellus uterque, Cloppenburgius, Blondellus, Tanaquillus Faber, &c.

Contrà pro genuino haberi suadent non pauca, v. gr. Laudatio hujus testimonii apud Eusebium, Ruffinum, Hieronymum, Isid. Pelusiotam, Sozomenum, &c. Fraudis nulla pridem criminatio; Codicum Josephi distractio, quo tempore natum creditur hoc additamentum*; Constans, quoad substantiam ipsam testimonii, in Codd. lectio; Josephi candor, fides, cura in tradendâ Historiâ ejus temporis; Locus satis appositus memorandi de Jesu Nazareno; Sensus testimonii commodus, quale à candido Historico, etiam à Christianis sacris alieno, proficisci potuit, &c.

Hinc & pro γνησίῳ habuêre, post Veteres nominatos, post Freculphum, Suidam, Trithemium, etiam Galatinus, H. Junius, Pag. Gaudentius, Sixtus, Possevinus, Baronius, Bellarminus, Casaubonus, Usserius, Grotius, Vossius uterque, H. Valesius, Reinesius, Becklerus, Huëtius, alii benè multi, ac Theologi plerique non infimi subsellii, nec obesæ naris.

V. *Historia Apostolorum, Acta, Labores, Dispersio.*

Huc faciunt

I. *Acta* illa quæ describit *Lucas*, inde ab Historiâ Ascensionis, usque ad deductionem Pauli in Urbem, *Act.* XXVII. quæ accidit juxtà pleros que A. Ch. LIX. à Passione XXIV. Neronis V. juxtà Capellum A. Ch. LVI. Neronis III. juxtà Usserium Armachanum seriùs, anno scil. Ch. LXIII. Neronis IX. Contextum porrò Historiæ universum exhibent Analyses ad Lucam, & præ cæteris Lud. Capellus *in Hist. Apostol.*

II. Memorabilis in hac Historiâ *Pauli* Apostoli conversio, *Act.* IX. de cujus tempore non satis convenit Eruditis. Aliis enim conversus anno à Passione *secundo*, & ità plerisque, ac Baronio ad Ann. Chr. XXXVI. aliis anno *quinto*, ut Lud. Capello, aliis etiam *septimo*, Claudii Imperatoris anno I. ut post Veterum quosdam censet qnoque Henr. Valesius, in *Lib.* II. *Eusebii*, C. I. Et certè profectio illa Pauli Hierosolymitana *triennio* à Conversione *Gal.* I. 18. eadem est de quâ *Act.* IX. 26. Claudii Imperat. anno III. undè de tempore conversionis judicium. Quâ de re vide *Dissert.* nostram de Ærâ Conversionis Paulinæ. Undè fallıt Chronologia Baroniana, conversionem Pauli referens ad annum XX. Tiberii; qui an. XX. Tiberii (saltem XIX.) fuit annus ipsissimus Passionis & Ascensionis Dominicæ, ex consensu quoque Henr. Valesii. Gratis etiam Lud. Capellus, *decimum quartum* illum annum, *Gal.* II. I. quando Paulus

lus contulit cum Apostolis, *Act.* xv. inchoat non à Conversione Pauli, sed à Passione Domini, *App. ad Hist. Apost. p.* 56.

III. Altum silentium Lucæ, & Historiæ Sacræ, de *Petri Apostoli* Oecumenico Pontificatu; De profectione illius Antiochiam versùs, tùm Romam longis itineribus; De utroque Episcopatu Antiocheno & Romano; De hujus extensione ad annos xxv. De Actis Petri Romanis; De sede Pontificiâ ibi erectâ; De certamine cum Simone Mago; De Successore à Petro instituto; De Martyrii tempore, loco, &c. *Quod tamen* (inquit Godavius, in *Præf.* suæ *Hist. Eccles.*) *cognoscere nostrâ vehementer intererat.*

Hinc propè est ut in Lucam stomachentur Pontificii Scriptores. Quo magis occasio illi non una fuit Petri Romanum iter, aut præsentiam in Urbe Româ, memorandi, tùm maximè quum Paulus Romam venit, contulitque *cum primoribus Judæorum*, *Act.* xxviii. 1.

Imò quicquid de Petro Lucas, id omne in *Palæstina* gestum, & quidem post illud tempus, quo Romam profectus fingitur, scil. post annum Claudii Imperatoris *secundum.* Nam conjectus Hierosolymis in carcerem Petrus ab Agrippâ, Aristobuli filio, Herodis M. nepote, anno Claudii iv. quo mortuus ipse Agrippa, teste Eusebio in *Chron.* & fatente Valesio *convenire inter omnes*, Notis in *Euseb. Lib.* II. *Cap.* xvi. Rursùm Petrus Hierosolymis egit tempore Concilii Apostolici *Actor.* xv. anno Christi minimùm LI. ut vult Baronius, Claudii ix. sed secundùm Valesium seriùs, cui Conversio Pauli incidit in annum Christi XL. septennio à Passione, Claudii verò annum I.

Hinc

Hinc si *Antiochiam* profectus Petrus, *septennio* illic futurus (quod ajunt) Episcopus, valdè acciditur Romanus ejus Episcopatus, ut vix pauci anni illi supersint, usque ad ultimum Neronis. Quæ fusiùs nostra de fabulosâ hac profectione *Dissertatio* exequitur. Origo autem traditionis de Petro Romam delato, refundenda præcipuè est in fabulam alteram de *Simone Mago* Romæ adorato, ibique per Petrum debellando, uti anteà Samariæ, *Actor.* VIII. tùm in malè redditam *Babylonem*, cujus meminit Petrus ad calcem I. Epistolæ.

IV. *Defectus Historiæ Apostolicæ*, ubi desinit Lucas in *Actis*. Undè alicubi Josephus Scaliger, *à fine Actorum Apostolicorum ad tempora Plinii Junioris, nihil certi haberi in Historiâ Ecclesiæ*. Dionysius Petavius in *Rationar.* de eodem intervallo, *Pleraque fabulis & incertis narrationibus aspersa*. Nec ulla fides Scriptis Apocryphis sine numero, affictis huic seculo, aut Actis Martyrum primæ hujus ætatis, quæ *fabulosa esse omnia*, fatetur Godavius Episcopus, Præf. ad Hist. Ecclef. ne dicam Espencæum, Launoium, doctiores in ordine Pontificio. Suppletur tamen hic defectus utcunque 1. Ex *Epistolis* Paulinis, & Apostolicis, & ex *Apocalypsi* Johannis, undè constant facta plurima, & variarum statuus Ecclesiarum. 2. Ex Josepho *Antiq. L.* XX. & in libris de *Bello-Judaico*, ex *Suetonio*, *Plinio* ad Trajanum, *Dione Cassio*, Exoticis. 3. Ex *Justino Mart.*, *Irenæo*, *Clemente Alex.* *Tertulliano*, *Cypriano*, *Origine*, *Eusebio*, *Epiphanio*, &c. In quibus omnibus plurimùm contulit *Eusebius*, ad eruendam Historiam Apostolicæ ætatis, multaque ab interitu vin-

vindicanda; ſummâ diligentiâ, & fide non malâ, nec pari tamen judicio, delectu, ordine, vel fide eorum undè ſua quædam Euſebius.

v. *Diſperſio Apoſtolorum* per varias Orbis partes, Euangelio propagando, vel Marco teſte, *Marc.* XVI. 20. Cujus diſperſionis conſiderantur:

1. *Tempus*, vulgò creditum, Baronio & ſequacibus, illud ipſum quo Herodes Agrippa *Iacobum* Zebedæi gladio ſuſtulit, *Petrum* conjecit in vincula *Act.* XII. qui ipſi annus Claudii II. Chriſti XLIV. Undè ut perſecutionem fugerent, Provincias Orbis peragrandi inter ſe diviſiſſe: Sed ex *Actis* conſtat, Apoſtolos aliquot poſt annis egiſſe adhuc in Palæſtinâ, & Hieroſolymis, ubi coivêre in Concilium, ſub extrema Claudii Cæſaris.

2. *Antecedanea*, v. gr. Euangelium jam prædicatum *Gentibus* longè latéque, per Paulum, Barnabam, & ſocios, *Act.* XI. XIII. XIV. XV. Plurimorum ex LXX. diſcipulis præcedanea diſperſio, in Samariam, Syriam, &c. *Act.* VIII. 1. & Euſebii *Hiſt. Eccleſ. Lib.* II. *Cap.* III. Nempè indè à *Stephani* cæde, quam malè Veteres in eundem annum conjecerunt, quo paſſus eſt Chriſtus, & ità Euſebius, Beda, Martyrologium Romanum; ſed aliquot annos interceſſiſſe, alibi demonſtravimus.

3. *Symbolum Apoſtolicum* eâ occaſione, (ut ex Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino referunt) conſcriptum, tanquàm σύμβολον *teſſera* quædam communis doctrinæ, ὁμοδοξίας, in eâ deinceps locorum diviſione; aut tanquàm συμβολὴ & *collatio* Articulorum fidei, per ſingulos nempe Apoſtolos facta, undè ſint Articu-

culi XII. Sed traditionis vanitatem præter silentium *Lucæ* in Actis Apostolicis, qui aliàs Herodianam persecutionem, & quid indè secutum sit, memorat, omnia arguunt. In specie, silentium omnium vetustiorum *quatuor* ferè primis à nato Christo seculis; & Symbola alia, ab *Apostolico* illo diversa, Orientalibus usurpata.

4. *Loca* in quæ iidem dispersi, ubi certa à dubiis, vera à fabulosis distinguenda sunt.

Certum, ità dispersos fuisse Apostolos & eorum cooperarios *Euangelistas*, ut tamen neque in *Americam*, (orbem iis & ignotum & inaccessum) neque in *Africam* Meridionalem, Idololatricam in hunc diem, neque in *Insulas* innumeras Maris Barbarici, Chinensis, Indici, Athlantici, Hyperborei, &c. pervenerint.

Certum etiam v. gr. *Paulum* Apostolum prædicâsse indè ab urbe Hierosolymâ usque in Illyricum & Italiam, *Rom.* XV. 19. *Iacobum* utrumque, fratrem Johannis, & Domini illum, docuisse Hierosolymis; *Iohannem* in Judæâ, & Asiâ minore, Ephesi, ut vulgò, mortuum; *Petrum* quoque prædicasse Judæis, & Asiaticis, etiam Babylone, comite hujus *Marco*, 1 *Petr.* V. 3. Quem Marcum indè ab anno Claudii Imperatoris III, in Ægypto sedem fixisse uno propemodùm ore Veteres tradiderunt.

Incerta magis sunt (vel fatente de multis Baronio) v. gr. quæ ex Origene refert Eusebius *Hist. Lib.* III. *Cap.* 1. & passim Veteres: Ex. gr. *Thomam* sortitum esse Æthiopiam, Parthiam, Indiam, multis inibi hodieque de Thomâ fabulis, apud Orientalis Indiæ modernos

vindicanda; summâ diligentiâ, & fide non malâ, nec pari tamen judicio, delectu, ordine, vel fide eorum undè sua quædam Eusebius.

v. *Dispersio Apostolorum* per varias Orbis partes, Euangelio propagando, vel Marco teste, *Marc.* xvi. 20. Cujus dispersionis considerantur:

1. *Tempus*, vulgò creditum, Baronio & sequacibus, illud ipsum quo Herodes Agrippa *Iacobum* Zebedæi gladio sustulit, *Petrum* conjecit in vincula *Act.* xii. qui ipsi annus Claudii II. Christi xliv. Undè ut persecutionem fugerent, Provincias Orbis peragrandi inter se divisisse: Sed ex *Actis* constat, Apostolos aliquot post annis egisse adhuc in Palæstinâ, & Hierosolymis, ubi coivêre in Concilium, sub extrema Claudii Cæsaris.

2. *Antecedanea*, v. gr. Euangelium jam prædicatum *Gentibus* longè latéque, per Paulum, Barnabam, & socios, *Act.* xi. xiii. xiv. xv. Plurimorum ex lxx. discipulis præcedanea dispersio, in Samariam, Syriam, &c. *Act.* viii. 1. & Eusebii *Hist. Eccles. Lib.* ii. *Cap.* iii. Nempè indè à *Stephani* cæde, quam malè Veteres in eundem annum conjecerunt, quo passus est Christus, & ità Eusebius, Beda, Martyrologium Romanum; sed aliquot annos intercessisse, alibi demonstravimus.

3. *Symbolum Apostolicum* eâ occasione, (ut ex Hieronymo, Ambrosio, Augustino referunt) conscriptum, tanquàm σύμβολον *tessera* quædam communis doctrinæ, ὁμοδοξίας, in eâ deinceps locorum divisione; aut tanquàm συμβολὴ & *collatio* Articulorum fidei, per singulos nempe Apostolos facta, undè sint Articu-

culi XII. Sed traditionis vanitatem præter silentium *Lucæ* in Actis Apostolicis, qui aliàs Herodianam persecutionem, & quid indè secutum sit, memorat, omnia arguunt. In specie, silentium omnium vetustiorum *quatuor* ferè primis à nato Christo seculis; & Symbola alia, ab *Apostolico* illo diversa, Orientalibus usurpata.

4. *Loca* in quæ iidem dispersi, ubi certa à dubiis, vera à fabulosis distinguenda sunt.

Certum, ità dispersos fuisse Apostolos & eorum cooperarios *Euangelistas*, ut tamen neque in *Americam*, (orbem iis & ignotum & inaccessum) neque in *Africam* Meridionalem, Idololatricam in hunc diem, neque in *Insulas* innumeras Maris Barbarici, Chinensis, Indici, Athlantici, Hyperborei, &c. pervenerint.

Certum etiam v. gr. *Paulum* Apostolum prædicâsse indè ab urbe Hierosolymâ usque in Illyricum & Italiam, *Rom.* XV. 19. *Iacobum* utrumque, fratrem Johannis, & Domini illum, docuisse Hierosolymis; *Iohannem* in Judæâ, & Asiâ minore, Ephesi, ut vulgò, mortuum; *Petrum* quoque prædicasse Judæis, & Asiaticis, etiam Babylone, comite hujus *Marco*, 1 *Petr.* V. 3. Quem Marcum indè ab anno Claudii Imperatoris III, in Ægypto sedem fixisse uno propemodùm ore Veteres tradiderunt.

Incerta magis sunt (vel fatente de multis Baronio) v. gr. quæ ex Origene refert Eusebius *Hist. Lib.* III. *Cap.* I. & passim Veteres: Ex. gr. *Thomam* sortitum esse Æthiopiam, Parthiam, Indiam, multis inibi hodieque de Thomâ fabulis, apud Orientalis Indiæ modernos

Deſcriptores; *Andream* ſortitum eſſe Scythiam, Thraciam, Moſcovitis eumhodieque jactantibus ſuæ authorem fidei; *Judam* Thaddæum, Armeniam, &c. & ità de cæteris.

Fabuloſa planè ſunt quæ de variis Johannis, Petri, Pauli, Jacobi majoris, Barnabæ, Joſephi Arimatheæ, &c. profectionibus ex *Pſeudo-Prochoro, Metaphraſtâ, Nicephoro*, & nugacibus id genus, commenti ſunt; Sic quæ de *fundationibus* Apoſtolicis omnium ferè per Occidentem Eccleſiarum, ut ſuæ quiſque authoritatem Eccleſiæ conciliaret.

VI. *Conſignatio Librorum Novi Teſtamenti.*

Huc ſpectant,

I. *Authores*, non ſoli *Apoſtoli*, ſed & *Euangeliſtæ*, quales Marcus & Lucas; quanquàm apud Tertullianum *contrà Marcionem Lib.* IV. *Cap.* V. Marci illud *Petro*, Lucæ *Paulo*, quorum iſti Diſcipuli, adſcriptum fuerit. Alii verò Authores *certi*, alii jam olim *dubii*, ut *Epiſtolæ ad Hebræos*, *Epiſtolarum* quarum dubia authoritas, & *Apocalypſeôs*. Hinc Libri Sacri alii ἀναμφίλεκτοι, alii ἀντιλεγόμενοι *controverſi* apud *Euſeb. Lib.* III. *Cap.* XXV. quibus adde tertium genus, ſcilicet νόθους *ſpurios*, Pſeudo-Epiſtolas, Pſeudo-Apocalypſes, &c. Sed ſumma hodiè conſenſio eſt de genuinis. Videri poteſt, inter cæteros, Tractatus noſter de *Authore Epiſtolæ ad Hebræos*.

II. *Ordo* Scriptionis: *Lucam* omnium primum ſcripſiſſe Euangelium, uti *Exordium* illius nonnullis perſuaſit, ſic aliis perſuadet contra-

trarium; ſcilicet eum antè *ἀνατάξαμένυς adornaſſe* ſcripto Hiſtoriam Chriſti, ac tradidiſſe *τὺς αὐτόπτας teſtes oculatos*, & quidem *ἡμῖν nobis*, veræ Eccleſiæ. Ergò primus ſcripſit *Matthæus* Apoſtolus, omnium conſenſione veterum, aliis anno à paſſione VIII. aliis XV. & verò ſimiliùs, ſi non adhuc ſeriùs.

Succeſſit *Marcus*, Matthæi quodammodò Epitomator (veteribus *Petri Interpres*, ſcilicet prædicationum Petri) veriſimiliùs in *Ægypto* ſcribens quàm *Romæ*, utpotè qui in Ægyptum ſeceſſit anno III. Claudii, apud *Euſeb.* in *Chron.* vel ſecundùm *Eutychium Alexandr.* anno Claudii IX. Quo tempore Petrus adhuc in Palæſtinâ, ut ſuprà viſum.

Excepit *Lucas* Pauli diſcipulus & comes, profeſſione non Pictor (ut Nicephorus) ſed Medicus *Col.* IV. 14. qui in Achajâ *ſcripſiſſe* Euangelium fertur, circà A. Chr. LVIII. ut Baronio, antè ejus cum Paulo in Urbem iter. *Acta* verò poſteà ſcripſit Romæ ſub *finem* Paulinæ cuſtodiæ, in quâ deſinit, *Act.* XXVIII. 16. 30. 31. Pauli in eo itinere comes.

Intereà *Epiſtolas Canonicas* ſcripsêre, *Petrus* primæ ſuæ author ad Judæos diſperſos per Pontum, Bithyniam, &c. non longè admodum à converſione eorum, *Act.* II. 9. 10. quos vocat *ἀρτιγέννητα βρέφη recens natos*, *&c.* *Babylon* undè ſcripta eſt, in Ægypto fuit. De poſteriore autem Petri, ſeriùs ſcriptâ, 2 *Pet.* I. 14. jam olim controverſia fuit. *Jacobus* Apoſtolus, (idem qui *frater Domini*, id eſt, Conſobrinus, *Mariæ* alterius filius *Matth.* XXVII. 56: & filius *Alphæi*, *Matth.* X. 3. etiam *Minor* dictus, diſcriminis ergò à Majori, per Agrippam ſublato,

Marc. xv. 40. idemque cognomento *Justus*, Martyr sub Nerone) scripsit quoque Epistolam ad Judæos τ̃ διασπορᾶς, aliquot (ut videtur) antè Martyrium annis; quod illi Hierosolymis obtigit sub Nerone, per Ananum Pontificem, apud *Joseph. Lib.* xx. *Cap.* VIII.

Paulus Apostolus variis conscriptis Epistolis, vario tempore, tùm ad *Ecclesias* integras, tùm ad *Privatos*, que XIV. numero, confirmante totâ Antiquitate. Sed tamen de Epistolâ *ad Hebræos* dubitatum est in Latinâ Ecclesiâ, quàm *Paulo* prolixè alibi vindicavimus. Primæ omnium summâ consensione sunt illæ ad *Thessalonicenses*, paulò post annunciatum ibi à se Euangelium, *Act.* XVII. I. I *Thess.* II. 5. 2 *Thess.* II. 5. circà Annum Christi ut illis LIV. Postrema omnium est *Posterior ad Timotheum*, Româ Ephesum per Tychicum transmissa, paulò antè Martyrium suum, Neronis ultimo, 2 *Tim.* IV. 6. 7. Reliquarum *ordinem* chronicum, haud semper adeò certum, post Theodoretum, aliosque Veterum, passim exhibent Chronographi Sacri, & Commentatores in Paulum, & Ludov. Capellus in *Hist. Apostol.* Usserius, Petavius, alii, post Annalium Scriptorem. Nos quædam in his castigavimus, *Dissert.* de Æra Conversionis Paulinæ.

Judas Apostolus, frater *Iacobi* minoris, *Iud.* I. *Matth.* XIII. 55. *Luc.* VI. 16. ille ipse qui *Thadæus* Syriacâ Dialecto, etiam *Lebbæus à* Lebbâ urbe Galilææ appellatus, *Matth.* x. 3. scribens Epistolam serò admodùm, post *Petri* & *Pauli* novissimas; ad quas reflectit. *vers.* 18. Postque natas turpissimas Hæreses, ut Nicolaitarum & similium, de quibus *Apoc.* II. 6.

Johan-

Johannes denique Apoſtolus, Scriptor omnium poſtremus, uti maximè longævus Apoſtolorum, idem omninò qui Johannes *Theologus*, ſcribens *Euangelium* ex voto Eccleſiarum Aſiæ & Orientis, tùm ut *omiſſa* à reliquis Euangeliſtis ſuppleret, tùm ut Chriſti *divinitatem* in eo adversùs Cerinthum & Ebionem aſſereret. Scripſiſſe id creditur ſub Nervâ, redux ex Pathmo Inſulâ. Priús-ne ſcripſerit *Epiſtolas*, quas itidem Cerintho oppoſuit, *primam* potiſſimùm, quæ ejus eſt omnium conſenſione Veterum, haud ità certum. *Apocalypſin*, revelatam quanquàm circà ultima *Domitiani*, poſtremò ſcripſiſſe videtur, morti proximus, *Apoc.* XXII. 20. Canóne per eam clauſo ac velut obſignato, *verſ.* 18. 19. controverſo licèt pridem Auctore.

III. *Lingua* quâ libri iidem conſcripti, communiſſima tùm Orbe toto, in Palæſtinâ, Syriâ, Ægypto, Aſiâ minore, & remotiſſimo etiam Oriente, *Græca* ſcilicet, aliis *Helleniſtica*, id eſt, Judæorum ἑλλωιζόντων. Quanquàm dubitatum de *Matthæi* Euangelio, & *Marci* illo, & Paulinis ad *Romanos*, *Hebræos*, & Catholicis *Iacobi*, *Petri*, *Iohannis*. Quas poſtremas ex Hebræo in Græcum converſas ſtatuere videtur Salmaſius, uti de Epiſt. ad Hebræos, in *Apparatu* ad Libros de Primatu, parùm ſibi conſtans.

VII. *Fundatio Eccleſiarum in Aſiâ, Africâ, Europâ.*

I. *Prima* omnium fuit *Hieroſolymitana*, fundata ab ipſo Chriſto, & Apoſtolis, illiuſque præſentiâ, concionibus, morte, miſſione Spi-

 ritus

ritus S. *Act.* II. honorata. Gubernarunt eam *Apostoli* primò in communi, post speciatim *Jacobus* Alphæi, Frater Domini, martyrio ibidem coronatus, vulgò *primus Episcopus* Urbis, ex usu sequentis ævi.

II. Successerunt Ecclesiæ per *Palæstinam*, Samariæ, Cæsareæ, Lyddæ, Joppæ, &c. *Act.* VIII. IX. X. Tùm in *Syriâ*, Antiochiæ, Damasci, &c. Post in *Arabiâ*, in *Cypro*, Tarsi *Ciliciæ*, Pergæ *Pamphiliæ*, Antiochiæ *Pisidiæ*, Iconii *Lycaoniæ*, Lystræ *Isauriæ*, &c. *Act.* I. X. XI. XIII. XIV. Tandem *Ecclesiæ* illæ illustriores ad quas Paulus, Petrus, & Johannes in Apocalypsi Epistolas divino impulsu scripsêre, aut quarum in iisdem Epistolis meminerunt, *fundatæ* maximam partem in *Asiâ*, *Græciâ*, *Macedoniâ*, *Dalmatiâ*, *Latio*, &c. post Synodum Hierosolymitanam, *Act.* XV. & dispersionem Apostolorum, de quâ antè *Cap.* V. *Num.* V.

III. Accedunt *Ecclesiæ* primò hoc seculo, præter suprà dictas, passim fundatæ ex Veterum Traditione, quæ rursùs traditio aut magis *certa*, aut magis *dubia*, quemadmodum antè de *dispersione Apostolorum* monuimus. Certum fundatas fuisse Ecclesias, v. gr. *Alexandriæ* Ægypti, & in vicino tractu, seu Marco Euangelistâ, seu Apostolorum aliquo fundatore; Sic illatam lucem Euangelii in extremum ferè *Orientem*, ut Chaldæam, Parthiam, &c. An verò in extremum *Occidentem*, Britanniam, Galliam, Germaniam, quicquid tradant non ità certum; Ut suspecta sint omnia quæ de Ecclesiarum *Antiquitatibus* & *Fundatoribus*, passim scripsêre Viri Docti, ex monumentis & testibus planè dubiis,

dubiis, si non apertè mendacibus. Egregiè Godavius Episcopus in *Præf. Plurimi modernorum de Ecclesiarum fundatoribus scripsêre, sed alii excogitatis fabulis, alii ex malâ testium fide*, &c. Videndus præ cæteris inter Pontificios Johannes Launojus, de *Pseudo-Dionysio* Parisiensi, cæterisque *Gallorum Apostolis* commentitiis, ut & de Fabulâ *Mariæ Magdalenæ* cum Marthâ, Lazaro, Cidonio, aliisque, Massiliam Galliæ appellentis, post persecutionem in Stephanum excitatam. Et hos *Provinciæ* Gallicæ conversores primos fuisse fabulantur, & universæ quidem.

IV. *Quatuor* autem ex illis omnibus, à primâ origine habitæ in *primariis*, dein in *Patriarchalibus*;

Hierosolymitana, ut prima Christianismi sedes, & ob gloriosam ac novissimam Christi præsentiam, totiusque Collegii Apostolici.

Antiochena, in quâ primò natum *Christianorum* nomen, maximè quia *caput Orientis* Antiochia; cui *tertius* post Romam & Alexandriam datus est in Civilibus & in Præfecturis locus, ob urbis amplitudinem, divitias, potentiam.

Romana, minimè certè (ut vulgò dicunt) *omnium Ecclesiarum* mater, quando eam præcessêre *Hierosolymitana*, *Palæstinæ*, *Syriacæ*, *Asiaticæ*, &c. Ast verò mox *Caput* omnium Ecclesiarum, cui tributa τὰ πρωτεῖα, τὰ πρεσβεῖα, ἡ ἐξαίρετος τιμὴ, quia tùm Caput Orbis Romani, sedes Imperii, & Urbium Princeps *Roma*.

Alexandrina denique, fundatore, ut omnes volunt, *Marco Euangelistâ*, sub Claudio Imperatore. Utque Urbium omnium ac Præfecturarum

rarum Romani Imperii *secunda* tùm fuit Alexandria, indè quoque factum est, ut secundum post *Romanam* Ecclesiam locum nacta sit Alexandrina.

Nec fortè, primâ illâ ætate minùs illustres fuêre *Ecclesiæ aliæ*, cumprimis *Ephesina*, seu spectamus *Urbis* dignitatem, seu *Ecclesiæ* ejus prærogativas, in quâ post Paulum, Timotheum,. Johannes Apostolus & sedit, & diem obiit extremum: Ut taceamus Asiaticas alias, *Smyrnensem* Asiæ, *Sardensem* & *Thyatirensem* Lydiæ, *Pergamensem* & *Philadelphensem* Mysiæ, *Cæsariensem* Cappadociæ, *Laodicenam* & *Colossensem* Phrygiæ, *Antiochenam* Pisidiæ, sic *Thessalonicensem* Macedoniæ, *Corinthiacam* Achajæ, alias, & Urbium splendore, & fide Christianâ, & laboribus Apostolicis, suprà alias multas eminentes.

v. Porrò dictæ Ecclesiæ, pro talibus certè ætate Apostolicâ habitæ, haud caruêre *erroribus*, *schismatis*, *nævis*. Hinc peccata tùm circà *doctrinam*, tùm circà *praxin*, in scriptis Apostolicis perstricta.

VIII. *Forma Ecclesiastici Regiminis, & Disciplinæ Apostolicæ.*

De Apostolicâ *Doctrinâ*, quoad Christianismi *fundamentalia*, ex scriptis Euangelicis & Apostolicis, prolixè Magdeburgenses, Confessiones, Theologi. Quoad verò *Gubernationem* & *Disciplinam*, observentur modò,

I. *Functiones Sacræ* institutæ à Christo & Apostolis, seu *extraordinariæ* seu *ordinariæ*. Nempè instituti,

1. *Duodecim Apostoli*, tanquàm Christi legati, pro numero XII. Patriarcharum, & XII. Tribuum *Matth.* XIX. 28. & XII. Exploratorum *missorum* per Mosem *Num.* XIII. Quanquàm numerus adauctus, Christo sublato, in Paulo Apostolo, nihilo inferiori cæteris, *Gal.* II. 9. secundùm alios & in Barnabâ, *Act.* XIV. 13. Apostolorum verò fuit ut ἰσοτιμία, sic προστασία seu cura universalis, Ecclesiæ non *unius* sed *omnium*, *Matth.* XXVIII. 19. 2 *Cor.* XI. 28. Ut non magis cogendi sint *Apostoli* in ordinem *Episcoporum* certæ Ecclesiæ, quàm olim Præfecti Prætorio, aut Vicarii universales, in ordinem Rectorum unius Civitatis vel Provinciæ, & οἰκουμενικοὶ in ordinem τοπικῶν.

2. *Discipuli* LXX. proximi Apostolis munere, authoritate, donis, *Matth.* x. *Luc.* x. quibus postmodùm accessêre *Lucas*, *Timotheus*, *Titus*, &c. Apostolorum συνεργοὶ, & succenturiati, aliàs *Euangelistæ* dicti, & *Secundarii Apostoli*, imò quandoque *Apostoli* simpliciter, ut passim apud Veteres.

3. *Diaconi* VII. instituti *Act.* VI. qui ministrarent non Sacerdotibus, non Altaribus, ut sequiori ætate, sed *mensis*, *pauperibus*, *orphanis*, *viduis*, *ægrotis*.

4. *Episcopi* in Ecclesiis singulis ordinati, sic dicti à curâ τῆς ἐπισκοπῆς, prout iidem πρεσβύτεροι *Seniores* ab ætate, & gravitate, ποιμένες *Pastores* à pascendi munere, διδάσκαλοι, διάκονοι τοῦ λόγου *Doctores*, *Ministri*, à functione docendi, & ministrandi Christo, προεστῶτες, ἡγούμενοι, *Præpositi*, *Rectores*, à regendi prærogativâ, &c.

5. *Presbyteria* seu Collegia Episcoporum & Presbyterorum in Ecclesiis singulis, penes quæ

administratio illarum in communi, ordinariè scilicet; Qui Presbyteri (prout distincta tùm fuêre charismata) alii fuêre magis vacantes sermoni & doctrinæ, 1 *Tim.* v. 17. alii gubernationi ac disciplinæ 1 *Cor.* XII. 28. *Rom.* XII. 8.

6. Adhæc *prophetantium*, *interpretantium*, loquentium *linguis*, functiones, 1 *Cor.* XII. 28. *Ephes.* IV. 11. quæ dubium multis an *ordinario*, an *extraordinario* charismate? De quibus Theologi ac Commentatores. Conjuncta hæc porrò in Apostolis, quæ in aliis erant separata.

7. Frustrà verò ad hanc ætatem Baronius A. C. XLIV. refert ex Pseudo-Ignatio ad Antiochen. & tanquàm ex *institutione Apostolicâ*, Ordines diu post in Ecclesiâ natos, *Subdiaconos, Lectores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, Confessores*, etiam *Notarios, Defensores*, &c. Minùs horum temporum fuêre *Dignitates* Ecclesiasticæ, Metropolitanorum, Archiepiscoporum, Primatum, Patriarcharum, cæteræ. De quarum origine Seculis III, IV. & *sequentibus*.

II. Modus *vocandi, eligendi, mittendi* ad functiones sacras, planè diversus. Modò *sorte* electi, *Act.* I. 26. undè quæstio de usu sortium in sacris electionibus; modò suffragio *multitudinis*, *Act.* VI. 3. 5. 2 *Cor.* VIII. 19. undè de jure plebis disceptatio; modò *Apostolorum* delectu, cum consensu Ecclesiarum, *Act.* XIV. 22. 2 *Tim.* IV. 12. modò per ipsos Apostolorum *delegatos*. 1 *Tim.* V. 22. *Tit.* I. 5.

III. *Exercitium disciplinæ*; eo tùm rigidius & sequente ætate, quod deessent Christiani Magistratus, ad quos delinquentes, in pœnam ac vindictam scelerum, deferrentur. Hinc correptio-

reptiones, censuræ, animadversiones Apostolicæ, *ordinariæ* & *extraordinariæ*, *privatæ* & *publicæ*, *spirituales* 1 *Cor.* v. 2. & *corporales* ut in Ananiâ; Sapphirâ *Act.* v. in Elymâ *Act.* XIII. 2.

IV. *Constitutiones* quæ ad *ordinem* & *εὐταξίαν* facerent, quales passim sancitæ ab Apostolis; qui ità ordinem præscripsêre in *communi*, 1 *Cor.* XIV. 40. quandoque etiam hunc & illum in *particulari*, ut ibidem in Corinthiorum Ecclesiâ, 1 *Cor.* XIV. multa etiam statuêre de *Ritibus*, *Ceremoniis* & *Agendis*, ut tamen quantùm ad externa illa, & media naturâ suâ, libertatem fecerint Ecclesiis statuendi pro *temporum* & *locorum* circumstantiis: Undè de multis constat Apostolorum *praxis*, non perindè *mandatum*, aut si mandatum, non *perpetuum* illud vel *universale*: Quò referuntur v. gr. *Agapæ Apostolicæ*; *Bonorum communio*; *infirmorum Unctio*; *manuum* frequens *Impositio*; *Baptismalis immersio*; *Exorcismus*; *Cotidiana* & *Vespertina Communio*; *Plurium* simul *prophetantium* consuetudo; *Sabbathi* & *Dominicæ* simul observatio; *Osculum pacis*; *Abstinentia à sanguine*, *suffocato*; *Electionum*, *Collectarum*, *Congregationum*, hic & ille *modus*, *tempus*, &c.

V. Plurium Ecclesiarum *unio* sive *consociatio*, dè quâ Parens noster *Epist. ad Buchananum.* Quanquàm nondùm talis, qualem vidit sequens ætas, adunatis unius Provinciæ Ecclesiis sub *Metropolitano*, unius Diœceseôs sub *Exarcho*, aut Nationis sub *Primate*, &c.

IX. *Persecutiones in nascentem Ecclesiam motæ.*

Harum compendio obſervantur

I. *Cauſæ*; quæ potiſſimùm ſequentes fuiſſe videntur:

1. *Judæorum* in Chriſtum, hinc in Chriſti Diſcipulos *furor*, quibus adeò & *Pilatus* in Chriſti cruce, & poſt *Agrippa* in perſecutione Diſcipulorum, *Act.* XII. gratificari voluerunt. Odii verò cauſæ, aliæ *veræ*, ſcilicet publicè traducta hypocriſis Phariſæorum, Lex à Chriſto vindicata, Templi deſtructio prædicta, Populus ad Chriſtum inclinans, Præjudicia in Jeſum Nazarenum, ex vilitate perſonæ, muneris, &c. aliæ *obtentæ*, ſcil. *blaſphemia* non una in Deum, & *ſeditio* in Cæſarem.

2. *Ignorantia Gentilium*, qui rebellantes Judæos confundentes cum primis Chriſtianis, promiſcuè in utroſque ſævierunt; Undè *Claudii* Imp. Edicta de pellendis utriſque, & error Suetonii in Claudio, *Chreſto impulſore Judæos aſſiduè tumultuatos*.

3. *Superſtitio* eorundem, undè non ferebant eam ſectam quæ aboleret Gentium omnium Deos, quos Romani colerent univerſos; cui nullæ Aræ, nulla Simulacra, Delubra; quæ item Hominem ſupplicio affectum religioſè coleret. Quo factum ut Chriſtiani audirent *Athei, Crucicolæ, Superſtitio nova, prava*, & ſi quæ alia odioſiſſima nomina.

4. *Calumniæ* in Chriſtianos, ut de incensâ Urbe ſub Nerone, teſte Tacito *Annal.* xv. de con-

conspirationibus nocturnis; de manducatione humanæ carnis; de promiscuis stupris, incestibus; de infanticidiis; & quæ aliæ, partim ex malè intellectis Christianorum *mysteriis*, vel *ritibus*, ut osculo pacis, pœnitentium gestibus, *fratrum* appellatione ac *sororum*, &c. partim ex nefandarum hæresium, ut *Nicolaitarum*, *Simonianorum*, *Menandrianorum*, *Carpocratianorum*, &c. sceleribus, adscriptis veris Christianis. Quò & refer impactam his ὀνολατρείαν apud Minucium in *Octavio*, pridem adscriptam Judæis, ex Tacito, & Josepho contrà *Appion.* dein & colluviei Gnosticorum apud Epiphanium, *Hær.* XXVI.

5. *Politica ratio*, quâ in Religione nihil quicquam Romani immutatum voluêre, minùs totum Deorum cultum sublatum.

Accessit multitudo ingens Christianorum suspecta Romanis Imperat. Habebant præterea Christianos pro *inimicis Imperatorum*, *Legum*, *Naturæ*, hinc pro *hostibus generis humani*, ut ex Tacito & ex Tertulliano constat, prædicente Christo, *Matth.* x. 22. XXIV. 9. Etiam pro *insanis*, *desperatis*, *temerariis*, &c. ex martyrum mirâ constantiâ. His de causis quicquid esset publicarum calamitatum tributum Christianis, & inde *Persecutiones*, sed & indè *Apologiæ* Christianis expressæ.

II. *Authores*, partim *Judæi*, partim *Gentiles*. *Judæi* quidem Christianos persecuti, partim in *Palæstinâ*, partim *extrà* illam, ut passim in Actis Apostolorum. Cumprimis huc facit persecutio.

1. *Zelotarum* & *Sauli* in Ecclesiam Hierosolymitanam, Damascenam, &c. sub quâ Stephani Martyrium, & Ecclesiæ dispersio, *Act.* VII.

VII. VIII. IX. XI. 19. fabulis multis obſcuranda fœdandaque.

2. *Herodis Agrippæ*, nepotis Herodis M. ex Ariſtobulo, patris Agrippæ de quo *Act.* XXV. XXVI. per quem atrox perſecutio, cumprimis in Apoſtolos, *Act.* XII. ſecutâ mox in Tyrannum ultione, Claudii Imp. anno IV.

3. *Anani* ſeu *Annæ* Junioris, ſummi Pontificis, per quem (mortuo Porcio Feſto Judææ Præſide) ſublatus fuit cum aliis *Jacobus Juſtus*, frater Domini, filius *Alphæi* vel *Cleophæ*, & Minor dictus; controverſo mortis genere, ex diversâ narratione apud Joſephum & Euſebium.

Gentiles verò perſecuti Chriſtianos ſub Romanis Imperatoribus, indè à *Nerone* Perſecutore *primo* apud Tertullianum, Euſebium, Veteres paſſim. Nam *Tiberius* quidem, Judæis primò infenſus, apud Tacitum, ſed occiſo Sejano mitigatus, apud Philonem, faviſſe fertur Chriſtianis apud Tertullianum in *Apolog.* & apud Oroſium. Et quicquid ſub *Claudio* prodiiſſent Romæ Edicta in Judæos, Chriſtianis quoque noxia anno Imperii IX. interim ex *decem* gravioribus & generalioribus in Chriſtianos Perſecutionibus,

Prima fuit ſub *Nerone*, qui *primus in Sectam Chriſtianorum, tùm maximè Romæ orientem, Cæſareano gladio ſævit*, ut Tertullianus. Factum eſt anno Imperii ejus IX. vel X. Chriſti LXIII. vel LXIV. aliis LXVII. Baronio & ſuis cumprimis extendentibus calculum, ne deſit quicquam annis XXV. Epiſcopatûs Petri. Hujus perſecutionis ex *Tacito* ipſo, ac *Suetonio* intelligitur

1. *Occaſio*, ex incendio Urbis Romæ, Tyranno

ranno ipso incendiario, sed in Christianos invidiâ omni conversâ; Undè in eos furor, tormenta, ac supplicia de innoxiis sumpta.

2. *Modus*, longè crudelissimus, & qualem Tacitus ipse describit, *Annal.* xv. *C.* XLIV. *Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat*, &c.

3. *Locus*, non enim Urbs sola hujus Theatri sedes, sed & passim Romani Ditiones Imperii, ut ex Inscriptionibus antiquis, ex Sulpicio *Hist. Lib.* II. ex Orosio *Lib.* VII. &c. colligitur.

4. *Duratio*, ad annum usque Neronis XII. Baronio & suis XIII. seu ultimum, quo Petrus & Paulus martyrio dicuntur coronati, & quidem Romæ uterque, imò die eâdem scil. *Junii* XXIX. pari fide quâ reliqua.

Altera Persecutio excitata sub *Domitiano* Imper. anno Imperii sui IX. Christi circiter XC. De quâ Eusebius in *Chronico*, & *Hist. Lib.* III. C. XIII. & Tertullianus, Sulpicius, ac posteriores. De hâc feruntur alia certa, alia incerta.

Certa, quod pro ingenio Principis gravissima fuerit, nihilo Neronianâ inferior; quod passim grassata sit per Romanum Imperium, promiscuè in *Iudæos* & *Christianos*; quod in eâ *Iohannes* Apostolus in Asiâ agens, relegatus sit in Pathmum Insulam, uti *Flavia Domitilla*, neptis Flavii Clementis, Patruelis Domitiani & Consularis Viri, in Pontiam Insulam; quod duraverit usque ad necem Tyranni, opportunâ morte sublati, quum affectaret etiam divinita-

vinitatem, *Edictum Domini*, *Deique nostri.*

Incerta, si non planè *fabulosa*, v. gr. quæ ex Pseudo-Actis Martyrum, ex Metaphraste, Nicephoro Callisti, vel Apocryphis tributis Prochoro, Lino, Viris Apostolicis aliis, referuntur. Puta de his & illis *Martyribus* utriusque sexûs; de *Iohanne* Apostolo in *ferventis olei dolium* antè exilium conjecto, sed tamen illæso; de *Flavio Clemente* Conf. Romano ob fidem Christianam occiso; de S. *Eutropio* Episcopo Santonensi, *Nicasio* Rotomagensi, *Luciano* Bellovacensi, *Romulo* in Thusciâ Episcopo &c. sub Domitiano scilicet passis, &c. Probante Baronio.

Tertia persecutio sub *Ulpio Trajano* optimo aliàs Principe, plana est ex *Plinio Secundo*, *Eusebio*, *Sulpicio*, reliquis. Sed vis hujus persecutionis ad succedens sæculum spectat.

Nugatur Baronius cum suis, ex Pseudo-Damaso, dùm VII. *Notarios* à Clemente Romano in totidem Urbis regiones divisos fuisse fabulantur, qui Acta Martyrum studiosè perquirerent: Undè & Pseudo-Actorum & Martyrum seges.

X. *Doctores, & Scriptores Christiani.*

Huc spectant, de quibus antè, *Tit.* VIII.

I. Doctores Universales, ut *Apostoli*, dein *Euangelistæ*, tanquàm illorum socii, & ministri, pluribus passim Ecclesiis invigilantes, Barnabas, Marcus, Sylvanus, Sylas, Lucas, Titus, &c. & reliqui ex LXX. discipulis.

II. Doctores *Particulares*, in Ecclesiis singulis, ut *Episcopi* & *Presbyteri* earundem, promiscuâ appellatione.

Sic

Sic v. gr. *Hierosolymitanæ* Ecclesiæ Præpositus, post Jacobum fratrem Domini, Simeon Cleophæ Jacobi frater.

Alexandrinæ, post Marcum Euangelistam, Anianus, Abilius, Cerdo.

Antiochenæ, post fictum Petri Episcopatum Euodius, Ignatius.

Romanæ, Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, qui posterior idem videtur cum Cleto. Nec hi tàm *successivè* (ut volunt) Pontifices, quàm *simul* numerosiori Ecclesiæ præpositi, Coëpiscopi, συνεργοὶ in opere Domini, successivè tamen sublati. Ut frustrà de ordine Paparum Romæ litigetur.

Sic ex Eusebio, & Veterum aliis, *Smyrnensi* Ecclesiæ præpositus à Johanne ipso Polycarpus, A.C. LXXXI. *Ephesinæ* à Paulo Timotheus, à Johanne Apostolo Johannes senior, *Damascenæ* Ananias, *Atheniensi* Dionysius Areopagita, *Thessalonicensi* Sylvanus, *Corinthiacæ* Siloës, *Trallienfi* Philippus Euangel. & Diaconus, *Cæsariensi* vulgò Zachæus, *Samaritanæ*, Nicolaus, &c. Ut tamen hosce dictarum Ecclesiarum *Episcopos* propriè dictos, in singulis singulos, subordinatis isti Dignitati Presbyteris, precariò tradidisse credantur illi Veteres.

Nec Doctoribus Ecclesiæ hoc seculo repugnasse *Matrimonium*, docent conjugatorum exempla seu in *Apostolis*, Petro, Philippo, Judâ, fratribus Domini, 1 *Cor.* IX. 5. (Paulo tamen ipso non uxorato) seu in *Apostolicis* Viris, Philippo, Nicolao Diacono, &c. quorum exhibent passim Catalogum nostrates. Frivola sunt Baronii & suorum effugia, quibus contendunt aut uxores *reliquisse*, aut cum iis ut *sororibus* vixisse.

III. Scri-

III. *Scriptores* porrò *Ecclesiastici* hujus seculi, qui genuini sint atque indubii, post sacros & Canonicos, nulli ad nostram ætatem pervenerunt, præter

Clementis Romani Epist. I. ad *Corinthios*, quos tum seditio distraheret, scriptam ex nomine Romanæ Ecclesiæ, & laudatissimam Veteribus passim. Edita primùm Oxoniæ est à Patricio Junio, A. 1633. ex antiquissimo MS. quod manu Theclæ Ægyptiæ fœminæ creditur exaratum, circà tempora Concilii Nicæni I. *Epistola* II. nonnisi fragmentum extat, & ipsius quoque parænetica. *Clementis* Epistolas reliquas ad Jacobum Fratrem Domini, ad omnes Ecclesias, ad omnes Clericos & cunctos Principes, ad Julium & Julianum discipulos, quæ sunt in Collectione *Isidori*, eidem suppositas esse, nemo præter Turrianum aliquem contenderit. Idem judicium de Clementis *Recognitionibus*, *Missâ*, *Homeliis*

Addunt alii *Barnabæ* Epistolam *Catholicam*, quam ut genuinam, post Usserium, edidit Isaacus Vossius, hinc indè Græcè mutilam, ac dissimillimam priori, stylo, argumento, allegoriis, ac mirà torsione Scripturarum Propheticarum. Undè nec Barnabæ esse, sed sequentis ævis summa doctorum consensio est, & ad eam videndæ Animadversiones eruditæ Clariss. le Moyne, Collegæ nostri, ac breviores Episcopi Oxoniensis. Idem judicium de suppositis Scriptis vel Epistolis, 1. *Christo* Servatori, scribenti scil. ad Abgarum Regulum Edessæ; 2. *Apostolis* Christi *conjunctim*, edituris puta Canones Apostolicos, Liturgias, Constitutiones, in VIII. Libros, sub nomine Clemen-

tis

tis Romani, digestas; 3. *Apostolis seorsim*, vel *Apostolicis* Viris, unde nata pridem Pseudo-Evangelia, Pseudo-Acta, Pseudo-Epistolæ, Pseudo-Apocalypses, Pseudo-Liturgiæ; Quibus postremis vellet magnoperè Baronius, Allatius, similes, ad Orientalium exemplum, addere Apostolicam authoritatem. *Apocrypha* reliqua, Fœminis etiam, Judæis, & Gentilibus hujus ætatis, tributa, videsis in majori nostrâ Introd. unà cum *Canonibus* nostris *Criticis* præmissis Historiæ N. T.

XI. *Concilia hoc sæculo habita.*

In quibus leguntur nulla alia quàm *Apostolica*. Hæc rursùs vel *certa*, vel *incerta*, seu *commentitia* veriùs.

Certa, qualia sunt; *Primum* in quo surrogatus *Matthias* Apostolus, *Act.* I. *Secundum*, in quo electi Diaconi VII. *Act.* VI. *Tertium*, in quo actum de lege Ceremoniali, & sancita libertas Christiana, exceptis *quatuor* illis observandis ad tempus; occasione scandali à Judæis accepti, in partibus Antiochiæ, Syriæ, Ciliciæ, *Act.* XV. 23. 24. 28. 29. *Quartum*, denique, in quo de tolerantiâ Legalium ad tempus, ut lucrarentur infirmiores, præsente Paulo, ac semet legaliter purificante, *Act.* XXI.

Omnia *Hierosolymis* celebrata; Tertium autem Conciliorum verissima norma, hinc Concilium Apostolicum ἐξόχως dictum; In quo concludendi partes fuêre Jacobi fratris Domini. Addunt alii *Quintum*, Ephesinum scilicet, præside Paulo, *Act.* XX.

Incerta, vel potius *commentitia* sunt, Ex. gr. illud

illud in quo conditum ferunt *Symbolum Apostolicum*, antè Apostolorum dispersionem, occasione persecutionis Herodianæ, *Act.* XII. Et hac parte nugatur plurima, scholastico disputandi modo, Natalis Alexander ad Seculum I. *Dissert.* XI. Tales censendæ eæ quoque Synodi, in quibus *Canones*, & *Constitutiones* Apostolicas cusas fabulantur. De quibus, omnium instar, ex nostris Joh. Dallæus, de *Pseudepigraphis Apost.* Libris III. Consentit hac parte, cum suorum doctioribus, præfatus Natalis Alex. Qui & meritò in *Canones* IX. Antiochenæ atque Apostolicæ Synodi, Turriani fœtum, adstruendis præcipuè *Imaginibus* & *Statuis* religiosis, ut suppositos calamum stringit.

XII. *Hæreses hoc Seculo natæ.*

Celebriores traduntur ab *Justino Mart. Irenæo*, *Tertulliano*, *Eusebio*, *Epiphanio*, *Augustino*, *Theodoreto*, &c. sequentes:

Simonianorum illa, authore Simone Mago, si modo hæresis dicenda est, quia fortè baptizatus Simon, *Act.* VIII. mox ejuratâ fide, & Christo abnegato. Capita fuêre; *Nec Legem. nec Prophetas, à bono Deo profecta esse; Simonem. ipsissimum Messiam seu Christum esse; Apparuisse tempore Tiberii in formâ Filii, & pro Christo cruci suffixum; Carnis resurrectionem non dari; Promiscuum usum fœminarum licitum, & carnales libidines*, specie scil. libertatis Christianæ.

De his deque *Helenâ* Simonis meretrice, pluribus Epiphanius *Hæres.* XXI. Eusebius *Lib.* II. *Cap.* XIII. & qui hos exceperunt. Horrendum verò est, quod scripsit personatus Sandius, in

in *Nucleo Hist. Eccles.* Cosmop. 1669. *Lib.* I. *pag.* 132. Fuisse hoc singulare dogma Simonis Magi, *quo statuitur, in unâ eâdemque numero substantiâ divinâ tres esse, Patrem, Filium & Spiritum S.* quia de his blasphemè Simon. Cum priori verò Simonis impietate ineptissimè simul & mendacissimè Natalis Alex. confert sententiam Protestantium, de *fide justificante sine operibus*, ad Seculum I. C. X.

Menandrianorum illa, à Menandro Discipulo Simonis, origine Samaritano, delirante eadem cum Magistro, tempore Vespasiani Imper. Speciatim *mundum non esse à Deo, sed ab Angelis factum; se Dei virtutem ad salutem hominum missum, &c.* De his rursùm multis Epiphan. *Hær.* XXII. Euseb. *L.* III. C. XXVI. Déque horum propaginibus plura nos ad Seculum II.

Nicolaïtarum illa de quâ *Apoc.* II. à Nicolao quodam, sive author Sectæ fuerit Diaconus ille *Act.* VI. ut tradiderunt Irenæus, Tertullianus, Hilarius, Epiphanius, Hieronymus; sive alius quicunque Nicolaus maleferiatus; sive prioris nomine abusi sint homines profani, ut censent Clemens Alexandrinus, Theodoretus, &c. Summa fuit, *Licitas esse vagas libidines, & communitatem uxorum; Fornicantes octavâ die pacem accipere; vesci licere Idolothytis*, &c. Hinc facta Nicolaïtarum damnata in *Apoc.* à Petro etiam *Epist.* II. & in Judæ *Epist.* damnari credita.

Nazaræorum & *Pseudo-Apostolorum*, quales sic dicti, quotquot Judaizantes essent, variéque pervertentes doctrinam Euangelii, passim apud Paulum, cumprimis *urgentes Legalium omnium & Ceremoniarum necessariam observantiam,*

licet

licet Christo exhibito. *Matthæi Euangelium*, & solum quidem Hebraicè usurpasse, sed variè interpolatum, similiter traditi.

Philetianorum illa, authoribus Hymenæo & Phileto, *negantibus Resurrectionem secundam*, sive *Corporum* illam, 2 *Tim*. 11. 17. quales fuêre & in Corinthiorum Ecclesiâ, 1 *Cor*. XV. 12.

Cerinthianorum illa, Cerintho authore Hæresiarchâ, qui Petro, Paulo, Johanni Apostolis, in Palæstinâ, Syriâ, Asiâ, restitisse fertur, apud Irenæum, Eusebium, Epiphanium; Capita Hæreseôs; *Mundum ab Angelis factum esse; Christum fuisse nudum hominem; Legis ceremonias necessariò observandas*, contrà Paulum; *Fore Christi regnum à Resurrectione terrenum, sed & voluptuosum, instauratis Hierosolymis*, &c. Undè & Apocalypseos Author à nonnullis creditus, sub Johannis nomine, apud *Euseb*. L. III. C. XXVIII. De his post Irenæum *Lib*. I. Epiphanius *Hær*. XXVIII. alii.

Ebionæorum illa, ab Ebione Magistro, post Urbis excidium, eadem cum Cerintho & Nazaræis eructante, puta: *Christum natum Iosepho patre mortali*, undè placuit his solum *Matthæi* Euangelium; Fassos tamen istorum alios conceptionem ex *Spiritu S*. addit Eusebius. Ità docuerunt, *Circumcisionis, Sabbathi Mosaici, observantiam esse necessariam*; *Solum Euangelium, secundùm Hebræos dictum, recipiendum esse*; *Pseudo-Actis Apostolorum*, tùm confictis, & in Paulum Apostolum contumeliosis, *Canonicam authoritatem* constare. De his *Euseb*. L. III. C. XXVII. Epiphan. *Hær*. XXX. &c.

Adversùs quas Hæreses faciunt passim quæ in Episto-

Epiſtolis *Pauli*, *Iacobi*, *Iudæ*, *Petri*, & in *Iohannis* ſcriptis, illis maniſeſtiſſimè opponuntur.

XIII. *Res Judæorum; Urbis, Templi, ac Reipublicæ Excidium.*

Fatum tandem ſuum experta eſt Reſpublica Judæorum, prædicentibus Chriſto & Prophetis. Cujus prolixiorem Hiſtoriam, ex *Iosépho* cumprimis, & *Euſebio*, exhibent in recentioribus Cæſar Baroniùs, Ludov. Capellus, Jacobus Uſſerius, alii. Compendio obſervari debent:

I. *Antecedanea* Judaici excidii. Variæ ſcil. in Judæâ mutationes, ac perpetui motus. Horum cauſæ fuerunt: *Romanorum Præſidum*, ſive Procuratorum Judææ, ut poſt Pilatum Marulli, Cuſpii Fadi, Tiberii Alexandri, Cumani, Felicis, Porcii Feſti, Albini, ac tandem Geſſii Flori, inviſa dominatio.

Herodum varia in eâ gente geſta, molimina; Ut Herodis *Antipæ* Tetrarchæ, à Cajo Cæſare in exilium pulſi; Herodis *Agrippæ* Regis, Nepotis Herodis M. de quo *Act.* XII. Herodis *Chalcidis* Regis fratris Agrippæ Magni, cui à Claudio jus conceſſum in Templum, in Ærarium, in Summos Pontifices; & denique *Agrippæ Junioris*, qui in jus idem, & in Tetrarchias ſucceſſerat, de quo *Act.* XXV.

Adhæc *Summorum Pontificum* ambitio, æmulatio, factiones; Judæorum paſſim rebelliones, ſeditiones, turbæ ac cædes in Urbe, & extrà illam: *Zelotarum* tandem inſani ac pertinaces motus, qui Gentem perdiderunt.

II. *Occaſio proxima* extremarum calamitatum,

quarum fuêre varii *gradus*. Videlicet *Gessii Flori*, Judææ Procuratoris, Albino per Neronem successoris dati, avara in Judæos crudelitas, expilationes, rapinæ, supplicia sumpta; undè Hierosolymis, Cæsareæ, & passim Judæorum in Romanos rebellio, strages, quæ tandem in fatale Genti bellum exarserunt, Agrippâ nequicquam renitente, circà ultima Neronis, anno Christi circiter LXVI. aliis seriùs. Testis & Tacitus, *Hist. Lib.* v. Prolixissimè autem singula Josephus, in fine *Antiquit.* & *Lib.* 11. *de Bello Jud.* Quanquàm Suetonius in *Vespasiano* rebellionis aliam causam dicat.

III. *Authores Excidii*, ex parte Judæorum, *Zelotarum* præcipuè furor, specie tuendæ Libertatis, & jugi Romani excutiendi; Ex parte Romanorum, scilicet *Cestius* primùm *Gallus*, Syriæ Præses, per rebellionem excitatus; post *Vespasianus* à Nerone ad compescendam Gentem submissus, rebus in eâ fortiter gestis; ac tandem *Titus*, qui, Patre imperio admoto, belli Judaici reliquias ex voto Vespasiani confecit, & Urbem ac Templum excìdit.

IV. *Tempus* Urbis *obsessæ*: scil. Vespasiani Anno II. Christi secundùm Scaligerum, Usserium, Capellum, &c. A. LXX. Secundùm Baronium, cujus Chronologia fallit, A. LXXII. Et paulò antè Festum Paschatis, quum non modò in urbem Gens tota confluxisset, ad solemnia Azymorum, sed & factionibus Simonis Gioridæ, Johannis Zelotæ, & Eleazari, Urbs tota scinderetur; frumento etiam, sufficiente aliàs ad sustentationem Urbis, cum aliis circà Templum, per factiones incenso, ac corrupto. Tempus verò *Templi incensi*, invito quidem Tito, fuit

fuit x. dies *Augusti* sequentis, totius tandem *Urbis expugnatæ*, dies VIII. *Septembris*, in ipso Sabbatho, urbe totâ mox Titi jussu excisâ, ac solo æquatâ, parte Muri Occidentali & tribus Turribus exceptis, Hippico, Phasaëlo, Mariamne, memoratis in *Descript.* Urbis *Hierosf.*

V. *Magnitudo calamitatis:* dum Josepho Historico teste (qui Genti in eo bello navavit egregiam operam, Captivus post ad Vespasianum ductus, hinc libertate donatus) cecidêre cùm gladio, tùm fame, in semestri obsidione, XI. *Centena millia* hominum, capti ac venditi XCVII. millia, & in captis Simon ac Johannes factiosi. Præter Judæorum strages & interneciones præcedaneas, Palæstinâ totâ, quas in summam colligit Lipsius, *Lib.* II. de Const. Adde in Ægypto, Syriâ, Asiâ, reliquas.

VI. *Circumstantiæ memorabiliores:* Quales sunt illæ. Ex gr. signorum omnium ac *prodigiorum* quæ præcesserunt, vel Josepho ac Tacito testibus; *Loci* ubi Titi castra disposita, indè à septentrionali Urbis angulo, versùs Ortum; *Temporis* ominosi quo Urbs obsessa, dein expugnata, ipsumque Templum flammis absumptum; impletarum Danielis, Amosi, Christi *prædictionum*, cùm de antecedaneis, tùm de modo ipso & magnitudine calamitatis, ipsâque abolitione *sacrificiorum*; *judiciorum* Dei in Pilatum; in Herodianos, in Gentem universam. Quæ singula fusiùs aliàs illustramus.

VII. *Consequentia* Excidii, v. gr. Vespasiani & Titi de Judæâ subactâ superbus Triumphus; Pacata Judæa; Templi Oniæ secuta in Ægypto destructio; Gentis per Orbem Terrarum

dispersio; novi subindè conatus; mira repullulatio, & tantâ multitudine, ut daturi leges Victoribus viderentur; undè Poëta:

Latiùs excisæ Gentis contagia serpunt,
Victoresque suos Natio victa premit.

Plura de Judæis ad Seculum II.

XIV: *Res Gentilium & Status Ethnicismi.*

Observâsse hic suffecerit:

I. Ludibrium quo Gentiles habuêre Christianam Religionem, verè *Græcis* ἕλλησι (quod Gentilis superstitionis nomen est, ut *Judæus* Judaicæ) μωρίαν, I *Cor.* 1. 23. Hinc non tam argumentis quàm sannis, etiam suppliciis persequendam censuerunt. *Causas* suprà diximus, ubi de causis persecutionum; plura ad II. & III. *Secul.*

II. Gentilium hoc seculo famosissimum Doctorem, ac præstigiis inclytum *Apollonium*, Tyanâ Cappadociæ Urbe oriundum, hinc *Tyanæum*, sub Nervâ extinctum, majorem centenario. De quo mira ex Philostrato, Anastasio Nicæno, Photio, Suidâ, cum aliis fusè Baronius, ad A. Chr. LXIIX. XCI. &c. Ubi distinguenda sunt *certa*, & publica, ab *incertis* vel potiùs *commentitiis*, in odium Christianorum, post natum Philostratum, sub Severo Imperat. & Hieroclem illum, ab Eusebio Pamphili confutatum, qui Apollonium Christo opposuit.

III. *Ethnicismi*, florentis orbe toto, compendium; Quò referri debent Deorum multitudo

tudo infinita; Simulachrorum cultus; Mortuorum ἀποθεώσεις; Animarum credita Metempsychosis; Philosophorum in Græciâ, Latio, (ex Platonis aut Zenonis scholâ) Druidum in Occidente, Magorum in Oriente, Brachmanum apud Indos, &c. placita, ac disciplina; Sacerdotum, Flaminum, Haruspicum, Augurum, & id genus sacra; Et quæ alia superiore Historiâ veteris temporis, ubi actum de Gentilium Religionibus, cumprimis *Græcorum* ac *Romanorum*, pluribus indicata sunt.

IV. Cessationem *Oraculorum*, cujus illustre initium in silentio Apollinis Delphici, ferè circà Christi exhibiti tempora, aut nulla ampliùs, secundùm *M. Tullium*, aut vilia nec ἔμμετρα edentis Oracula, secundùm *Plutarchum*. Consummatum hoc silentium ferunt, circà excessum Apostolorum, omnibus ferè tum Oraculis silere jussis ex Lucano, Juvenali, Plutarcho, aliisque, non diffitentibus olim Celsis, Porphyriis, adversariis Christiani nominis. Nec consuli tamen à superstitiosis hinc indè desierunt, hâc & sequenti ætate.

V. *Fabulosa* autem planè sunt, quæ ex Suidâ, Græculis, adfert Baronius, à nostris quandoque suscepta credulâ mente; v. gr. de *Responso* Apollinis ad Augustum Cæsarem, Oraculum consulturum; de *Arâ* ab Augusto hinc Romæ erectâ; de *Mariâ Virgine* eidem apparente, &c. Mirè & fefellit cùm Veteres, tùm Recentiores, ipsumque Isaacum Vossium, *Ecloga* IV. Virgilii, relata ad Christi nativitatem ex Virgine, Divinitatem, Beneficia; Quæ veriùs Ecloga respicit ad natum Pollioni Consuli Saloninum, Augusto Cæsare, undè adulatoriæ Poë-

tæ voces, de *Ætatis Aureæ* reditu, &c. juxtà *Cumæum Carmen*, Sibyllarum nempè & Poëtarum vaticinia.

Finis Rerum Primi Seculi.

SECULUM SECUNDUM.

Incidunt *Seculi Secundi* primordia in annum à Christo nato, secundùm Æram vulgarem, CI. *Trajani* verò Imperatoris II. aliis III. Pontifice (juxtà Baronium) *Clemente* Romano, nisi hic tamen anno C. Chersonæ in exilio decessit; secundùm alios *Anacleto*, qui & ipse Henr. Valesio, aliisque, idem est cum *Cleto* Lini successore; Adeò de primis Pontificibus omnia Romæ incerta.

Hoc Seculo strictim & summariò observanda veniunt:

I. *Status Christianæ Ecclesiæ, sub initium hujus Seculi.*

Quò referri summariò debent,

I. Diffusa jam per *Orbem universum* Christiana Religio, sparsa illius doctrina per *Asiam*, in Palæstinâ, Syriâ, Armeniâ, Arabiâ, Parthiâ, Babyloniâ, Asiâ minore, Insulis Cypri, Cretæ, &c. per *Africam*, in Ægypto, Cyrenaïcâ, Libyâ, Æthiopiâ, &c. per *Europam*, in Græciâ, Macedoniâ, Thraciâ, Illyrico, Italiâ, quin & Hispaniâ, Britanniâ, Galliâ, si traditioni fides est. Nec Urbes modò principes impleverat, sed & *pagos* vicosque, scribente ad Trajanum Plinio, *Epist.* XCVII. *Lib.* X.

II. Su-

II. Superstites tùm in Ecclesiis *Doctores*, referentibus Irenæo, Eusebio, &c. v. gr. ex Apostolis *Johannes*, qui sub initium hujus seculi Anno CI. Ephesi defunctus creditur, nonagenario major.

In *Hierosolymitanâ* Ecclesiâ Simeon Cleophæ, qui & Zelotes frater Jacobi, qui annum ætatis CXX. attigisse dicitur.

In *Alexandrinâ* Cerdo, vulgò quartus à Marco Episcopus, ab Aniano tertius.

In *Antiochenâ* Ignatius, mox futurus Martyr.

In *Romanâ*, secundùm plurimos, Clemens, qui primas tenuisse videtur in ejus Ecclesiæ administratione.

Sic in *Athenienſi* Publius Quadratus, in *Philippensi* Polycarpus, in *Ephesinâ* (si Pseudo-Ignatio fides) Onesimus, in *Hierapolitanâ* Papias, &c.

III. Christianæ Ecclesiæ felicitas singularis in illâ puritate Doctrinæ, sanctitate Morum, Rituum simplicitate, ac Disciplinæ ordine, ut quo longiùs abfuit à suâ origine, hoc magis ab eadem felicitate recesserit. Turbabant tamen & affligebant mirum in modum, illinc fœdissimæ *Hæreses* Menandrianorum, Nicolaïtarum, Cerinthianorum, aliæ antè recensitæ, quibus redditum invisum Christianum nomen; hinc *Gentilium* in Christianos odium, & *Philosophorum* passim oppositiones, sarcasmi, calumniæ in Gentem innoxiam, de quibus itidem suprà.

II. *Propagatio ejusdem toto hoc Seculo.*

Quò ſpectant,

I. *Eccleſiæ* fundatæ hoc ſeculo in variis Orbis habitati partibus, ut vix ullus eſſet angulus, in quo Chriſtiani deſiderarentur. Indubii teſtes Juſtinus Martyr, Irenæus, Clemens Alex. Tertullianus, Minucius, Euſebius, &c. Et veroſimilius hoc demùm ſeculo fundatas fuiſſe Eccleſias varias, ut in remoto *Oriente*, ipsâ *Indiâ*, quò profectus fertur Pantænus Alexandrinus, ſic per Occidentem in *Germaniâ*, *Galliâ*, *Britanniâ*, *Hiſpaniâ*, quarum dicti Scriptores meminerunt. Neque tamen fabulis locus eſſe debet, quibus ſcatent harum Eccleſiarum vulgatæ origines, ex apocryphis monumentis; credulo ſæpè Euſebio, credulis Gallis, Hiſpanis, Britannis, ex Monachorum officinâ utplurimùm, obſtetricante Româ, ut à *Petro* omnis miſſio derivata fuiſſe credatur. Ità refert Tertullianus, ſub finem hujus ſeculi, Chriſto ſubditos, præter dictas Gentes, etiam *Getulos*, *Sarmatas*, *Dacos*, *Scythas*, *Mauros*, &c. *Adverſ. Judæos*. C. VII.

II. *Scholæ* etiam *Chriſtianæ* erectæ, in quibus celeberrima omnium *Alexandrina* fuit, florentiſſima ut Literis, ſic Catecheſibus Chriſtianis. Ac *Pantænus* quidem, Philoſophus Chriſtianus celeberrimus, in eâ Doctoris partes ſuſtinuit, ſub Commodo Imperat. quà voce, quà ſcriptis, ex Euſebio, & Hieronymo. In *Athenienſi* Scholâ Philoſophi Chriſtiani excelluerunt, Quadratus, Ariſtides, Athenagoras, & ſub

& sub finem Seculi indè prodiit Clemens Alexandrinus.

III. *Doctrina Catholica hujus Seculi.*

I. Qualis fuerit certissimè colligitur,

1. Ex *scriptis Apostolicis;* ad quæ perpetuò provocant Catholici hujus ævi scriptores, Clemens Rom. Justinus, Irenæus, Clemens Alex. Tertullianus, &c. ut doctrinæ suæ normam, ac fontem. Nec aliud *Dominicæ* & *Apostolicæ traditionis* nomine volunt, quàm quæ & scripto consignata esset.

2. Ex scriptis *Symbolicis*, quum verosimillimum sit in Romanâ Ecclesiâ *Symboli Apostolici* jacta esse hoc seculo, in Competentium usum, fundamenta, quoad primarios Articulos, de fide in Deum Patrem, Filium, & Spiritum S. Eadem fuêre & *Orientalis Symboli* illa, quo usæ sunt Orientis Ecclesiæ, antè Nicænam Synodum.

3. Ex *Scriptis Apologeticis*, pro fide Christianorum, uti Justini Martyris, Athenagoræ, Tertulliani, quæ integra ad nostram ætatem supersunt.

4. Ex Scriptis aliis *Secundæ* hujus ætatis, post *Clementis* 1. ad Corinthios Epistolam, de quâ *Sec.* 1. Nempè ex genuinis *Justini* Martyris, *Irenæi*, *Theophili* Antioch. *Tatiani*, *Clementis* Alexandrini, *Tertulliani*; item ex fragmentis *Dionysii* Corinthiorum Episcopi, *Melitonis* Sardensis, *Hegesippi*, &c. apud Eusebium. Item, ex *Polycarpi* Smyrnensis ad Philippenses Epistolâ, *Barnabæ* Catholicâ hoc quoque seculo, (ut ex Clemente Alexandrino

 liquet):

liquet) suppositâ, & fortè *Ignatianis* nonnullis. Adde, ex *Plinii* ipsius Epistolâ ad Trajanum de Christianis referente, & ex *Luciani* Philopatride, (si tamen hæc Samosatensis illius fœtus est) de doctrinâ tùm Christianâ, certè Trinitatis illâ, & Divinitatis Christi, indicium esse.

II. Ex his omnibus colliguntur *Articuli* fidei Christianæ & Catholicæ proprii. Nec modò Articuli *indubii*, v. gr. Esse unum Deum Creatorem, &c. Filium Dei venisse in mundum; Mortuum pro peccatis; Resurrexisse tertiâ die; Ascendisse in cœlos; Venturum ad judicium; Dari Resurrectionem mortuorum, & vitam Æternam; Sanctificationi & Bonis Operibus operam dandam, &c. Sed & Articuli deinceps *controversi*, & nostrâ etiam ætate: Hujusmodi sunt v. gr. De Libris Canonicis Vet. Testám. quos eosdem nobiscum recensere fatentur Viri docti; de sufficientiâ Scripturæ S. ad salutem; de uno Deo Patre, Filio, & Spiritu S. de æternâ Divinitate Filii; de satisfactione ejusdem, seu fusione Sanguinis pro peccatis; de Justificatione seu de Remissione Peccatorum ex gratiâ per fidem; de Gratiâ etiam prævertente, ejusque necessitate & efficaciâ; de Eucharistiæ sacris, ut symbolis, typo, memoriali, figurâ; de Unius Dei cultu Religioso, &c. Ac de singulis exempla quædam & documenta, ex dictis fontibus, profert Introductio nostra plenior, *Sæc.* II. *Cap.* III. nec sine vindiciis.

III. Equidem in omnibus hujus ævi Scriptis ac Monumentis, undè *doctrina* & *praxis* Christianorum constat, altissimum silentium est, neque vestigium ullum doctrinæ hodiernæ

V. gr.

V. gr. de *Papæ Romani* Oecumenico Pontificatu, Vicariatu Christi, Infallibilitate, &c.

Nihil de *Romanâ Ecclesiâ*, ut solâ Catholicâ, Capite Ecclesiarum, &c.

Nihil de *Purgatorio*, aut *Satisfactionibus* humanis,

Nihil de *Transsubstantiatione* vel μετουσιώσει Symbolorum, vel præsentiâ *Corporali* in Eucharistiâ,

Nihil de *Sacrificio Missæ*, pro peccatis viventium & mortuorum,

Nihil de Communione *sub unâ* tantum specie,

Nihil de *Sacramento Confirmationis*, distincto à Baptismi illo,

Nihil de *Confessione Sacerdotali*, qualis Romæ sancita,

Nihil de cultu vel invocatione τῆς Θεοτόκου, adoratione *Imaginum*, *Reliquiarum*, *Hostiæ consecratæ*, &c.

Nihil de Votis *Monasticis*, deve *Meritis* nostrorum Operum., &c.

Et quæ alia affirmat cumprimis Roma Pontificia, tanquam quæ fuerint Apostolicæ traditionis. Sed neque sola affirmatio, aut *Catholicismi* jactantia, satisfacit; aut suppositio Scriptorum; quæ vel omninò *dubia*, vel palàm *apocrypha*; aut torsio in sensum hodiernum violenta dictorum *Irenæi* alicujus; aut *Tertulliani*. Qualia objiciuntur, v. gr. pro Traditione Pontificiâ, aut Papæ in omnes principatu, potestate, aut Mariæ Advocatiâ, aut veritate Corporis Christi in Eucharistiâ, aut Unctione Confirmationis, aut Purgatorio, &c. ex mente Tridentinorum. Quia nempè *fidem* Ecclesiæ,

 & Scri-

& Scripturas, *traditionem Apostolicam* dixerunt; quia Irenæus, ad Ecclesiam quæ Romæ esset, *omnes convenire, propter potentiorem principalitatem*, Urbis scilicet; quia idem, Mariam Virginem *advocatam* dixit, seu παράκλητον *consolatricem Evæ Virginis*; quia Tertullianus, Christum *acceptum panem Corpus suum fecisse*; quia idem, *egressos de lavacro perungi benedictâ unctione*; aut quia tùm *pro omnibus* in Christo *mortuis orarunt*.

IV. *Ritus, Ceremoniæ, Disciplina, Praxis Christiana hujus Seculi.*

Colligitur hæc praxis ex iisdem, quibus antè Doctrina, Ecclesiæ Catholicæ Scriptoribus, atque testibus. Huc faciunt,

Conventus Sacri, eorumque ratio, agenda.

1. Horum spectatur *Tempus*, quod *diem statum* fuisse docet vel Plinii Epist. ad Trajanum. Maximè solemne verò, & commune omnibus Christianis fuit *Feria* 1. seu *dies Solis*, apud Justinum *Apolog.* II. aut dies *Dominica*, ἡ κυριακὴ καὶ ἡ ἀναστάσιμος, apud Ignatium ad *Antioch.* &c. aliis etiam dies φωτὸς *lucis*. Sed & aliis diebus convenêre, quanquàm liberè, nec omnes, nec ubique Christiani, fatente *Valesio* ad Euseb. *pag.* 279. Ità convenisse dicuntur etiam feriâ VII. sive *Sabbathi*, in variis saltem Orientis partibus, nec tamen Judaico ritu, hinc Justinus Martyr se *non servare Sabbatha*, contrà *Tryphon. Jud.* Ad tempus quoque spectat, quod

quod *noctu* seu *antè lucem* plerumque convenirent, undè dicti cœtus *antelucani*, & Christiani *Lucifugæ*, per contumeliam, & *Lucifugax natio*.

2. *Loca* Sacrorum conventuum, qualia hoc seculo, partim *Ædes privatorum*, Cœnacula, Balnea, Porticus, Loca abdita; partim *Cæmeteria*, seu sepulchreta Martyrum, ad quæ conventus indicerent, zelo accendendo his constantiæ exemplis, ex Tertulliano, Eusebio, &c. aut ex Onuphrio de *Cæmeter.* *Templa* adhuc Christianis nulla, nullæ Basilicæ constructæ.

3. *Modus indicendi* Conventus sacros, fuit per *Ministros*, & *Ministras* sive Diaconissas; nec dùm enim vel *ligni* pulsatio, vel *campanæ*, vel *præconum* hunc in finem voces, ne conventus Christiani Ethnicis proderentur.

4. *Ratio* horum Conventuum, atque *Agenda* in iis, ex Apologeticis Justini Martyris & Tertulliani, & ex Eusebio passim, &c. fuêre compendio sequentia:

Lectio S. Scripturarum Vet. & Novi Testam. per Ἀ'γνώςῳ sive *Lectorem*.

Preces publicæ, quas diebus Dominicis *stando* fundebant (undè *Stationes*, *stare ad Orationem*) in cæteris *de geniculis* precati, & ad *Orientem* quidem. Orabant autem, præeunte Præposito, pro recens Baptizatis, pro Pœnitentibus, pro Catechumenis, pro Energumenis; Item pro Imperatoribus, pro Ministris eorum, pro rerum quiete, pro *morâ finis*, ut Tertull. *Apologet.* C. XXXIX. Populo quidem in fine orationis τὸ *Amen* acclamante.

Cantiones, Hymni in honorem Dei, etiam Psalmi moralia complexi, undè Plinius *ad Trajanum:*

janum: Christianos in conventibus suis *Carmen secum invicem Christo Deo canere.* Sed eum antè Paulus de sacris cantionibus, Psalmis, hymnis, 1 *Cor.* XIV. *Ephes.* V. *Col.* III.

Panis & *Vini* Eucharistici *oblatio* à populo, tùm per preces *consecratio*, hinc *distributio* in fideles & baptizatos, factâ *commemoratione* mortis Christi.

Collectæ in gratiam pauperum, viduarum, ægrotorum, orphanorum, captivorum, damnatorum ad metalla, confessorum & exulum, &c.

Commemorationes Martyrum factæ in eorum Cœmeteriis, post publicas preces, vulgò antè Eucharistiam, die cujusque *emortuali* (*Natalitia* Martyrum dixêre) quales dies frequentissimi, in eo numero Martyrum.

Censuræ etiam publicæ, exercitæ in delinquentes, scandalosos; Tertullianus dicit *castigationes*, & *censuram divinam.* De Exomologesi, infrà.

Oscula mutua, φιλήματα, ἀσπασμοὶ, quibus indè ab Apostolorum ævo, finitis precibus, antè & post communionem, semet excipiebant; Quæ dicta *oscula sancta*, *pacis*, *fraternitatis*, *reconciliationis*, Tertulliano, *signaculum orationis*, Græcis in hunc diem usurpata.

Sacramentum, sive juramentum quo se Christiani obstringerent, *ne furta* (sunt verba Plinii Secundi) *ne latrocinia*, *ne adulteria committerent*, *ne fidem fallerent*, *ne depositum appellati abnegarent*; Quibus peractis morem discedendi fuisse, ut idem addit, seu potestatem abeundi, & iterùm ad Convivium seu ἀγάπην redeundi.

Agapæ.

Agapæ.

Celebris *Agaparum* celebratio, more non absimili sacris Epulis Judæorum, sed & Gentilium. Sunt hæ quoque Tertulliano *Convivium Dominicum*, an quia diebus Dominicis; undè Plinius, *stato die coivisse ad capiendum cibum, promiscuum & innoxium.* Olim *antè*, ad Christi imitationem, & *vespertino* tempore, hinc *Cœna*, deinceps verò *post Eucharistiam* Sacram institutæ, ex Plinio, Tertulliano: Et quidem in ipso loco Christianorum conventuum, & super Sepulchris Martyrum, adhibitis orationibus, sermonibus religiosis, lectione Scripturarum, &c. promiscuè *sedentibus* fidelibus.

Finis, 1. ut essent *Symbolum* fraternæ *Charitatis*, & communionis, undè ἀγάπαι. 2. Ut *Pauperes* reficerentur, communi his convivio. 3. Ut in iis fieret commemoratio mortis Christi, & frangeretur panis *Eucharisticus*.

Baptismus ejus Ætatis.

Circà administrationem Baptismi S. constat iisdem ex Testibus,

1. *Subjectum* capax Baptismi habitos quoque *Infantes*, disertè apud Irenæum *Lib.* II. C. XXXIX. & post hunc apud Tertullianum de *Bapt.* C. XIX. &c. Undè *Sponsorum* apud eundem Tertull. mentio, dicto *loco*, ἀναδόχων, *susceptorum*, qui pro fide Infantum fidejuberent; licet cum periculo fieri moneat Septimius.

2. *Præparatio* antecedanea in adultis, undè *Catechumeni* primò fiebant, tùm *Competentes*, tan-

tandem *Fideles* & *Perfecti*. Baptismum verò præcessêre jejunium, cilicium, orationes, fidei confessio, *renunciatio Diabolo*, &c. ex Tertulliano de *Bapt.* Cap. XIX.

3. *Tempus*, tùm quodcunque habile creditum ad Baptismum, tùm maximè *solemne* in Pervigilio Paschatis & Pentecostis, de quo tamen Justinus tacet.

4. *Locus* Baptismi, *quivis* omninò hoc seculo, in Fontibus, Fluminibus, Lecto, Carcere, Ædibus privatis. At verò baptizasse super *Martyrum sepulchris*, inde à Pauli ætate, undè sit phrasis *baptizari ὑπὲρ τῶν νεκρῶν super mortuis*, 1 *Cor.* XV. 19. gratis assertum fuisse, probat nostra hac de re Dissertatio.

5. *Minister* Baptismi ordinarius, hoc adhuc seculo, solus *Præpositus*, sive Episcopus vel Presbyter, ex Justino Martyre, Ignatio, Tertulliano, aliis. Quanquàm Tertullianus, de Baptismo C. XVII. etiam *Laicis jus esse*, *ubi aut loci*, *aut temporis*, *aut personæ conditio compelleret*.

6. *Forma* in Baptismo usurpata, scil. *Immersio* nudi corporis in *aquam* (seu viri essent, seu fœminæ, seu infantes) habita pudoris ratione; & *trina* quidem, undè τρία βαπτίσματα, Græcis in hunc diem observata. Nec Baptismus ullus si deesset *aqua*. Accessit invocatio explicita S. *Trinitatis*, ex Ignatio, Justino, Tertulliano, secundùm *Formam* à Christo *præscriptam*; ut iidem. Quare illud in *nomine Christi*, vel *Jesu baptizari*, notat fidem baptizandorum.

Succedanea Baptismo, qualia fuêre, v. gr. *Unctio*, cujus tacet Justinus, meminit Tertullianus: *Communio Eucharistica*, quæ mox excipiebat

piebat Baptiſmum, undè deinceps etiam *Communio Infantum*, in universâ Eccleſiâ, Auguſtini adhuc tempore: Sic Tertulliani tempore guſtatio *mellis* & *lactis*, quâ à Deo *infantari* dicit Baptizatos: Etiam conſignatio, *Caro ſignatur*: *Benedictio* ſeu Confirmatio: *Veſtis candida*; tandem *Preces* pro Baptizato fuſæ à totâ Eccleſiâ.

Nondùm verò hujus ætatis, *Exorciſmus*, *Inſufflatio*, *Cerei*, *Chriſmatio* qualis poſteà, &c.

Euchariſtici Ritus.

Quoad *Euchariſtiam* S.

1, *Nomina* hoc ſeculo promiſcua fuêre illa εὐχαριστίας, ἀναμνήσεως, κοινωνίας, συνάξεως, ἀγάπης, &c. *Oblationem* quoquè dixit Irenæus, reſpectu habitō ad oblationes panis vel ſimilæ & vini, à populo hunc in finem factas, *Lib.* IV. C. XXXII.

2. *Tempus* celebrandæ Euchariſtiæ, ex Juſtino, Tertulliano, communiſſimum ac ſolemniſſimum fuit *dies Dominicus*; alicubi etiam *feria* IV. & VI. finitâ ſtatione; Imò *cotidiana* apud nonnullos communio, eaque deinceps matutina, & à jejunis. Quanquàm *veſperè* & *poſt* paſtum, Sabbathi diebus, ſumpſiſſe Euchariſtiam in Thebaide & Ægypto, referant Socrates & Sozomenus.

3. *Subjecta* ad Euchariſtiam admiſſa, ſoli *baptizati* & capaces, vix dum *infantibus* hoc ſeculo ad hoc ſacramentum deſtinatis, quod neque ex Juſtino Martyre, neque ex Tertulliano conſtat. Subjectum fuêre & *ægri*, decumbentes, ad quos Euchariſtica ſymbola delata fue-

fuerunt, nec *panis* tantùm ſed & *vinum*, ex Juſtino, & Irenæo apud Euſebium.

4. *Materia*, fuêre ſymbola *Panis* & *Vini*. Panis *verè* talis, ἔνζυμος *fermentatus*, quo utebantur in ipſis Agapis; qui diſtribuebatur in pauperes; qui in alimentum cederet, &c. Ut ſuppoſititia ſit, quæ obtenditur pro azymis, Conſtitutio Alexandri I. doctioribus Pontificiis, Sirmondo, Bonâ, aliiſque faſſis.

Vinum porrò *aquâ* dilutum fuiſſe docet Juſtinus, qui meminit *Apol.* II. τοῦ εὐχαριστηθέντος οἴνου καὶ ὕδατος, nec tamen ex præcepto Chriſti, ut ſenſit Cyprianus. Veriùs ex ratione *hiſtoricâ*, *Joh.* XIX. 34. *morali*, & *myſticâ*, ſeu ſacramentali.

5. *Miniſter* Euchariſtiæ, primarius quidem, & conſecrans, ſeu benedicens, fuit ὁ προεστὼς, Epiſcopus, vel Presbyter; *Secundarius*, & deſtribuens conſecrata ſymbola, fuit Diaconus, utrique *habitu* ſimplici & ordinario, fatente Valeſio Notis ad Euſebium. *p.* 122.

6. *Actiones* in celebratione Euchariſticâ fuêre aliæ *adminiſtrorum*, aliæ *participantium*.

Adminiſtrantium fuêre, *Conſecratio* ſymbolorum, quæ fiebat præviis orationibus, ſpeciatim *Dominicâ*, hortationibus ad populum, recitatione verborum inſtitutionis; tùm *Fractio panis*; hinc fracti per Diaconum, vel *Præſidentes* ipſos (ut habet Tertullianus) *Diſtributio*; tandem *Preces* & Gratiarum actiones.

Participantium actiones fuerunt v. gr. debita *præparatio*, precibus, jejunio, eleëmoſynis, auditione Verbi; tùm menſæ ſacræ *accubitus*, hinc *communio*; tandem *gratiarum actio*, eleëmoſynæ, &c.

7. *Con-*

7. *Consequentia* fuerunt inter alia, *Reliquiarum* ex oblationibus populi, τῶν προσφορῶν, conversio in usum Agaparum, pauperum, egenorum, infantum, &c.

Disciplina circa Lapsos & Pœnitentes.

Circà *Lapsos* & *Pœnitentes*, ritus hoc seculo potissimùm leguntur, apud Irenæum, Tertullianum, Eusebium:

1. Lapsorum varium genus, quales dicti qui se obstrinxissent crimine *Idololatriæ*, seu *Apostasiæ*, *Homicidii*, *Adulterii*, quæ *Summa delicta* fuerunt. Idololatria rursùm vel voluntaria, vel coacta fuit, vi tormentorum, vel directa & cum abnegatione Christi, vel participata ut vocant, qualis in Canonibus Ancyranis *quarto, quinto, sexto*.

2. Eorundem *Correptio* per Ecclesiæ Præpositos, objurgatio, emollitio, conversio, admonitionibus, precibus, minis; rei exemplis apud Eusebium ex Clemente Alexandrino, & apud Irenæum.

3. Succedens *Exomologesis*, seu publica delictorum Confessio, eademque cum pœnitentiæ argumentis externis, prostratione, lachrymis, jejunio, deprecatione, &c. *Saccum* etiam & *Cinerem* Tertulliani ætate adhibitum legimus, si ejus est de Pœnitentiâ liber, juxtà Pamelium & Rigaltium. Gratis Valesius cum suis, in *Socratem Lib.* v. C. xix. negat *publicam Confessionem unquàm obtinuisse ex Ecclesiæ moribus*; invitis Rigaltio, Albaspinæo, &c.

4. *Duratio* hujus varia pro delictorum & pœnitentium conditione. Nondùm tamen adstricta,

liaris primis Chriſtianorum, tùm ex interdicto Apoſtolico, tùm ut ſe ab immanibus Gentilium calumniis eo faciliùs purgarent.

8. Ritus deferendi *Symbola conſecrata* ſive Eulogias, ad Ægros, Abſentes, Peregrinos, Hoſpites, ex Irenæo apud Euſebium. Et quæ id genus alia fuêre inſtituta, ex ſe innoxia, ſed quæ ſequior ætas in abuſum vertit.

Ritus autem huic ætati *affiĉti*, ex falsâ Traditione, & Pſeudepigraphis ac ſuppoſititiis Apoſtolorum, Clementis Romani, Areopagitæ, primorum Paparum, &c. ſunt propemodùm innumeri. Qualia ſunt, *Feſta* in honorem Virginis, *Cultus* Reliquiarum, Imaginum, Sanctorum, *Quadrageſima*; Abſtinentia *à Carnibus*, Confeſſio *Auricularis*, Vota *Monaſtica*, *Peregrinationes* ad loca ſancta, *Sacramenta* hodierna Confirmationis, Extremæ Unctionis, &c.

Mores Chriſtianorum hujus Ævi.

Tandem obſervandi *mores* Chriſtianorum, vita, praxis, iiſdem quibus antè Teſtibus.

Nempè, quòd vigerent præcepta & officia *Pietatis* in Deum, *Charitatis* in proximum;

Quòd ſeſe *fratres* & *ſorores* appellarent, undè *Fraternitas* pro Eccleſiâ, apud Clementem Rom.

Quòd pro *inimicis* etiam precarentur, eorumque *ſalute*, apud Juſtinum M.

Quòd *Verbum Dei* aſſiduè tractarent, Virgines etiam & ancillæ ad *lanam ſedentes*, apud Tatianum;

Quòd *Imperatoribus*, *Magiſtratibus*, in externis omnibus ſe ſubjicerent, vota etiam pro eorum ſalute fundentes;

Quòd

Quòd hoſpitalitati, veracitati, candori, beneficentiæ, &c. cumprimis ſtuderent;

Quòd circà ægros, afflictos, captivos, pauperes, &c. magno affectu occuparentur;

Quòd Gentilium *Spectacula*, & *Theatrales* ludos ſtudiosè fugerent, Eccleſiaſticâ lege, &c.

V. *Politia Eccleſiaſtica*, *Regimen*, *Ordines Sacri*, *alia huc ſpectantia*.

Huc denuò ſummatim referimus,

1. *Epiſcopalem* prærogativam, hoc ſeculo hinc indè conſpicuam, quoad prærogativam *ordinis* & *προστασίας*. *Indubiè* ſanè in Eccleſiâ Alexandrinâ, indè à Marci exceſſu, vel Hieronymo teſte, *Epiſt.* LXXXV. ad Euagrium; ſed & indubiè quoque in Romanâ, Antiochenâ, Aſiaticis, Africanis, &c. ex variis hujus ævi, & ineuntis III. documentis.

Dubia tamen eſt *Ignatianarum* Epiſtolarum fides, (ne de *Pſeudo-Dionyſio* dicam) in quibus Epiſcopalis dignitas ſed & poteſtas ſuprà Presbyterialem perpetuò effertur, & undè ferè litis deciſio pendet. Hinc fidem Epiſtolarum adſtruunt in Proteſtantibus ipſis Uſſerius, If. Voſſius, Hammondus, ac nuper Doctiſſimus Pearſon, Beveregius, cæteri. Deſtruunt inter noviſſimos Blondellus, Salmaſius, ac fusè Dallæus: *Septem* verò genuinas quidem, ſed multum interpolatas cenſent ex noſtris Vedelius, Rivetus, alii.

Hinc dubium, an jam tùm ubique, an in majoribus tantùm Eccleſiis *Epiſcopi* præſiderent? An non is primatus ordinis tantùm & ſeſſionis, (undè & *Præpoſiti*, *Præſidentes*) adeoque

que Præsidentia *ministerii*, non *imperii*, ut locutus Tertullianus, *Lib* de Pudicit. *Cap.* xxv.? An non veriùs à reverentiâ ætatis, & superstitum ex Apostolicâ Disciplinâ, & ordinis causâ, quàm ab Apostolico instituto? Annon etiam auctâ, cum labente hoc Seculo, & sequentibus tertio, quarto, &c. Episcopali potestate?

II. *Ordines Ecclesiasticos* haud notos alios hac ætate, ex Clemente Rom. Polycarpo, Ignatio, Justino, Irenæo, Clemente Alex. Tertulliano, præter *Episcopos*, *Presbyteros*, (seu jam nominibus, seu re ipsâ distinctos) & *Diaconos*: Nondùm verò ab his distincti in ordine Ecclesiastico *Subdiaconi*, *Exorcistæ*, *Acolythi*, *Lectores*, &c. Et sicubi *Exorcistæ* ab exsufflandi, & catechizandi munere jam tùm appellati, nondùm hi à Presbyteris, aut Diaconis distincti fuerunt, combinatis muneribus, fatente & nuper ad Eusebium Henr. Valesio.

III. *Gradus* Ecclesiasticarum *dignitatum*, quibus sequens superbivit ætas, tùm adhuc ignotos Christianis: Hinc nusquàm in genuinis hujus ævi monumentis (Pseudo-decretales Paparum non dicimus) legas *Archiepiscopos*, *Archidiaconos*, *Archipresbyteros*; Nusquàm *Metropolitanos*, *Primates*, *Exarchos*, *Catholicos*, *Patriarchas*; imò nec sensu posteriorum usquàm *Vicarios*, *Suffraganeos*, *Syncellos*, *Defensores*, *Apocrisiarios*, *Referendarios*, *Abbates*, & quicquid est hujusmodi in Oriente aut Occidente Ecclesiasticarum dignitatum. Minùs *Purpurati* & *Cardinales* fuerunt hujus ætatis. Lis tamen inter Eruditos v. gr. de nomine *Patriarchæ*, quo jam Hadriani tempore, id est, in primordiis hujus Seculi, Alexandrinus venire creditur Episco-

Episcopus, ex Hadriani *Epist.* apud *Flavium Vopiscum*, de quâ nos alibi.

IV. *Papatûs* seu *Oecumenici Pontificatûs* hoc seculo in probatis Scriptoribus nulla vestigia. *Papæ* (seu Patres) diù etiam posteà omnes Episcopi appellati. Romanæ Sedis illi tùm sanè eminentes fuêre sanctitate, martyrio; etiam Ordinis prærogativâ, ob Urbis illam, tùm adhuc dominantis; *Potestate* in reliquas Ecclesias nullâ, nisi quam sibi arrogare *Victor* Romanus cœpit, Seculo exeunte. Imò Romanum Episcopum subinde hortari, objurgare, ab eo dissentire Ecclesiæ, *Ephesina, Asiana, Gallicana*, passim ex Eusebio.

Quo verò sensu *potentiorem Principalitatem* Romanæ sedi tribuerit Irenæus; *Pontificatum maximum* Tertullianus; aut quo sensu Μοναρχίαν tradant Veteres hujus ætatis, aliàs explicatur, & Docti consentiunt.

V. *Singularum* Ecclesiarum Regimen tunc quidem penes *Episcopos*, *Presbyteros*, & *Diaconos*; illis quidem coëuntibus, in Ecclesiis singulis majoribus, in Collegium quod dictum πρεσβυτέριον, non ἐπισκόπιον, cujus communi consilio Ecclesia regebatur. Nec in eo Collegio etiam *Seniores* de plebe, seu *Laicos* ordinariè assedisse intelligimus, licet sua his essent ministeria in Africanâ Ecclesiâ, in gravioribus consultis.

Diaconorum porrò erat ministrare pauperibus, ægrotis, incarceratis, &c. oblata à populo in mensâ disponere; Eucharistiam distribuere; id genus alia, quæ in servitium *Missaticum* vertit superstitio.

Diaconissæ accesserunt jam indè ab Apostolica ætate,

ætate, quarum ministerium fuit ut in Baptismo fœminarum, in locis S. conventuum, ità circà Ægrotos, Captivos, &c.

VI. *Plurium* simul junctarum *Ecclesiarum* regimen & consociationem; quæ patuit jam tùm in *Synodis*, *Conciliis*, penes quæ summa in rebus sacris, sub infideli Magistratu, authoritas fuit. Sed de Synodis hujus ætatis, infrà.

VII. Adde, *Ordinationes* seu Consecrationes *Clericorum*, peractas, 1. Legitimâ χειροτονίᾳ, seu electione per suffragia; etiam plebis illis requisitis: 2. Usitatâ χειροθεσίᾳ, quæ deinceps Episcoporum tantùm fuit: Notaque jam tùm distinctio inter *Ordinem* & *Plebem*, sive inter *Clericos* & *Laicos*, vel ex Clementis ad Corinth. Epistolâ. Ignoti verò consecrandi ritus Latinæ deinceps Ecclesiæ, ut *Unctio*, *Traditio Evangeliorum*, *Patinæ*, *Calicis*, *Stolæ Dalmaticæ*, *Pallii*, &c.

VIII. Tandem (nec enim omnia hujus compendii sunt) nullæ hoc seculo leges de *Cœlibatu Ecclesiasticorum*, contrariis haud paucis Conjugatorum exemplis. Imò cùm, M. Aurelio Imperante, Sotero Episcopo Romano, inclinante hâc ætate, *Pinytus* Gnossiorum Episcopus imponere hoc jugum vellet, intercessit gravi Epistolâ Dionysius Corinthiorum Episcopus, ne *βαρὺ φορτίον onus grave*, de necessario Cœlibatu, fratribus imponeret. Auctor est Eusebius *Hist. L.* IV. C. XXIII. tacente ad hæc Valesio.

VI. *Ha-*

VI. *Hæretici & Pseudo-Christiani hujus Seculi.*

Famosiores fuêre hac ætate, ex omnibus Hæresiologis, & ex scriptis hujus seculi:

Saturninus, Epiphanio & plerisque *Saturnilus*, turbans Antiochiæ, & in Syria sub Hadriano Imperat. ex Eusebio & Hieronymo, Simonis Magi & Menandri discipulus, hinc impia de Deo Judæorum, de Prophetis, de Christo Servatore eructans. Ac de eo fusè Epiphanius *Hæres.* XXIII. post Irenæum, Eusebium.

Basilides Alexandrinus, in Ægypto sua disseminans, sub eodem Hadriano, paulò post Saturninum, ex eodem sodalitio, eâdemque scholâ. De quo post dictum Irenæum, Tertullianum, Clem. Alexandrinum, Epiphanius *Hæres.* XXIV.

Carpocrates, *Carpocras* Epiphanio, Philosophus Platonicus, coævus Saturnino & Basilidi, parens ut plurimùm habitus Gnosticorum, eademque cum prioribus tradens, in specie *transmigrationem* animarum, ex Verbis Christi, *Matth.* v. 25. De quo fusè Irenæus, Tertullianus, & Epiphanius, *Hær.* XXVII.

Valentinus, Philosophus in Ægypto Platonicus & Pythagoricus, in petitione Episcopatûs rejectus, hinc Hæresiarcha, à quo Valentiniani. Sparsit sua deliria, de XXX. *Æonibus*, *Bytho*, *Sige*, ex quibus Νοῦς *Nûs* sive *Monogenes*, & *Aletheia*, ex his rursùm *Logus* &c. saltem sparsit Romæ, post annum CXL. ex Eusebio, Antonino Pio Imperat. Hygino Episcopo Romano. De Valentino iidem Patres prolixè, editis in

 Valen-

Valentinianos scriptis, Epiphanius autem *Hær.* xxxi. Doctiss. Pearsonus, Valentini Hæresim contendit haud ignotam esse potuisse *Ignatio*, cujus Martyrium refert Eusebius ad A. cviii. quia meminit σιγῆς Ignatius, seu Auctor Epistolæ ad Magnesianos.

Gnostici superiorum omnium infelix propago, sic dicti quotquot ex Simonis, Menandri, Saturnini, Basilidis, Carpocratis, Valentini disciplinâ prodierunt. Variis quidem inter eos *differentiis*, sed communi *nomine*, quo semet ipsos, statim ab initio, distinxerunt, eodemque superbo; Scil. à γνώσει, quasi καταξιωθέντες τῆς γνώσεως sublimioris ac mysteriosæ sapientiæ cognitione præcellentes. Undè mysteriorum plena omnia, an fabularum, quare *Fabulones* dicti Augustino. De *Abraxis* Gnosticorum, quibus figuræ Monstrorum insculptæ, cum nomine ΙΑΩ, plura Eruditi, sed diversissimis conjecturis. Veriùs dicendi, ex Epiphanio, καταγνωστικοὶ *Catagnostici*, seu damnates, *Hær.* xxvi. de Gnosticis. Catholicos autem vocitarunt ψυχικοὺς *animales*, ipsi quidem πνευματικοὶ *spirituales*, quantumvis doctrinâ blasphemi, vitâ flagitiosi.

Hermogenes quidam, diversus ab eo de quo 2 *Tim.* 1. ex Stoïcâ disciplinâ Christianismum inficiens, docensque in Africâ, adulto jam seculo, Materiam Deo esse coæternam, & si quæ id genus alia; scribente in eum Theophilo Alexandrino, deinceps Tertulliano, Libro *Advers. Hermog.*

Cerdon, de quo post Irenæum fusè Epiphanius, *Hær.* xli. digressus ex Syriâ, & Romam delatus sub extrema Hygini Episcopi: Homo

ex

ex eâdem, quâ priores; ſcholâ, id eſt Simonis & Menandri (qui Patriarchæ Hæreticorum) profeſſus. Author Hæreſeôs quæ à *Marcione* nomen *Marcionitarum* accepit, à Tertulliano præ reliquis flagellata. Homo ſemel iterumque ejectus, apud Irenæum, *Lib.* III. C. IV.

Marcion Epiſcopi cujuſdam filius, natione Ponticus, Cerdonis diſcipulus (hinc ſequitur apud Epiphanium *Hær.* XLII.) ob ſtupratam Virginem S. communione prohibitus, hæreſim à Magiſtro hauſtam ſparſit, temporibus Juſtini Martyris, & Polycarpi: A quo poſtremo, quum in hunc hæreticum Romæ incidiſſet, dictus eſt *Primogenitus Diaboli*, Euſebio teſte. *Marcionitarum* meminit Celſus Philoſophus, apud Origenem, qui Celſus ſub Antonino Pio ſcripſiſſe videtur.

Secundus, *Ptolomæus*, *Marcus*, *Colorbaſus*, *Heracleon*, coævi ferè, omnes ex Valentini, adeoque Simonis Magi, impiâ diſciplinâ, eadem ferè cum Valentino delirantes. Magicis etiam præſtigiis celebres, Marcus cumprimis à quo *Marcoſii*. Contrà quos, poſt Irenæum, Tertullianum, Epiphanius, *Hær.* XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. qui Cerdoni hos omnes præmittit.

Lucianus & *Apelles*, (plures autem fuêre hujus nominis) Marcionis Diſcipuli, atque inter ſectatores præcipui, de quibus meminit Tertullianus, & in Lucianiſtis atque Appellejanis (Apellecianos dixit Septimius) Epiphanius *Hær.* XLIII. & XLIV. alii. *Severiani* hæretici ex Apelle nati, à Severo coætaneo, quorum nugamenta apud *Epiph. Hær.* XLV.

Tatianus natione Syrus vel Aſſyrius, in Græ-

fuerunt, nec *panis* tantùm ſed & *vinum*, ex Juſtino, & Irenæo apud Euſebium.

4. *Materia*, fuêre ſymbola *Panis* & *Vini*. Panis *verè* talis, ἔνζυμος *fermentatus*, quo utebantur in ipſis Agapis; qui diſtribuebatur in pauperes; qui in alimentum cederet, &c. Ut ſuppoſititia ſit, quæ obtenditur pro azymis, Conſtitutio Alexandri I. doctioribus Pontificiis, Sirmondo, Bonâ, aliiſque faſſis.

Vinum porrò *aquâ* dilutum fuiſſe docet Juſtinus, qui meminit *Apol.* II. τοῦ ὑπ' αὐτοῦ κεκραμένου οἴνου καὶ ὕδατος, nec tamen ex præcepto Chriſti, ut ſenſit Cyprianus. Veriùs ex ratione *hiſtoricâ*, *Joh.* XIX. 34. *morali*, & *myſticâ*, ſeu ſacramentali.

5. *Miniſter* Euchariſtiæ, primarius quidem, & conſecrans, ſeu benedicens, fuit ὁ προεστὼς, Epiſcopus, vel Presbyter; *Secundarius*, & deſtribuens conſecrata ſymbola, fuit Diaconus, utrique *habitu* ſimplici & ordinario, fatente Valeſio Notis ad Euſebium. *p.* 122.

6. *Actiones* in celebratione Euchariſticâ fuêre aliæ *adminiſtrorum*, aliæ *participantium*.

Adminiſtrantium fuêre, *Conſecratio* ſymbolorum, quæ fiebat præviis orationibus, ſpeciatim *Dominicâ*, hortationibus ad populum, recitatione verborum inſtitutionis; tùm *Fractio panis*; hinc fracti per Diaconum, vel *Præſidentes* ipſos (ut habet Tertullianus) *Diſtributio*; tandem *Preces* & Gratiarum actiones.

Participantium actiones fuerunt v. gr. debita *præparatio*, precibus, jejunio, eleëmoſynis, auditione Verbi; tùm menſæ ſacræ *accubitus*, hinc *communio*; tandem *gratiarum actio*, eleëmoſynæ, &c.

7. *Con-*

7. *Consequentia* fuerunt inter alia, *Reliquiarum* ex oblationibus populi, τῶν προσφωνημάτων, conversio in usum Agaparum, pauperum, egenorum, infantum, &c.

Disciplina circà Lapsos & Pœnitentes.

Circà *Lapsos* & *Pœnitentes*, ritus hoc seculo potissimùm leguntur, apud Irenæum, Tertullianum, Eusebium:

1. Lapsorum varium genus, quales dicti qui se obstrinxissent crimine *Idololatriæ*, seu *Apostasiæ*, *Homicidii*, *Adulterii*, quæ *Summa delicta* fuerunt. Idololatria rursùm vel voluntaria, vel coacta fuit, vi tormentorum, vel directa & cum abnegatione Christi, vel participata ut vocant, qualis in Canonibus Ancyranis *quarto, quinto, sexto.*

2. Eorundem *Correptio* per Ecclesiæ Præpositos, objurgatio, emollitio, conversio, admonitionibus, precibus, minis; rei exemplis apud Eusebium ex Clemente Alexandrino, & apud Irenæum.

3. Succedens *Exomologesis*, seu publica delictorum Confessio, eademque cum pœnitentiæ argumentis externis, prostratione, lachrymis, jejunio, deprecatione, &c. *Saccum* etiam & *Cinerem* Tertulliani ætate adhibitum legimus, si ejus est de Pœnitentiâ liber, juxtà Pamelium & Rigaltium. Gratis Valesius cum suis, in *Socratem Lib.* v. C. xix. negat *publicam Confessionem unquàm obtinuisse ex Ecclesiæ moribus*; invitis Rigaltio, Albaspinæo, &c.

4. *Duratio* hujus varia pro delictorum & pœnitentium conditione. Nondùm tamen adstri-

cta, rigore Canonum, ad eos *gradus*, & eas *annorum* leges, quæ ſequenti ætate obtinuerunt. Cumprimis verò ad *interceſſionem Martyrum*, in carceribus agentium, *pax* dabatur pœnitentibus, undè hi *libellos pacis* exorare hunc in finem à Martyribus conſueverant, ex *Tertull. ad Martyr.* & paſſim. Qui libelli dicti etiam literæ *Confeſſoriæ*, *Pacificæ*, *Commendatitiæ* &c.

5. *Prohibitio* tamdiu à Sacris *Euchariſticis*, donec conſummata eſſet Exomologeſis. Deinceps etiam aucto Diſciplinæ rigore, prohibitio quoque à *precibus* & *ab auditione* Verbi. *Excommunicationis* tamen nullâ voce apud Juſtinum, Irenæum, Tertullianum. Aſt *ligari*, de Eccleſiâ *auferri*, extrà Eccleſiam *projici*, &c. dicebantur.

6. *Abſolutio* tandem, ac *reconciliatio* Pœnitentium, eademque *publica*, in cœtu Eccleſiæ. Nempè prævià deprecatione, ac petitione veniæ ab Epiſcopis, Presbyteris, Fraternitate totâ, & adjunctâ Oratione, ac Manuum impoſitione, &c.

Tempus magis ſolemne datæ pacis fuit ante-Paſchale, imminente Euchariſtiâ, ex Irenæo apud *Euſeb.*

Ritus alii Miſcellanei.

In cæteris *Ritus varii* ſua huic ætati, ſed plerumque labenti, debent exordia, in cujus fine ſcripſit Tertullianus. V. gr.

1. *Feſta* tùm non alia quàm dies *Dominicus*, *Paſcha*, & *Pentecoſtes*, cum horum *Paraſcevis*. multâ hoc tempore de die Paſchali controverſiâ. Niſi addantur *Commemorationes Martyrum*, factæ anniverſario Martyrii die.

2. *Jeju-*

2. *Jejuniorum* ut varians ratio fuit, sic libera, maximè solemni jejunio *ante-Paschali*; quod aliis unius diei, puta die Dominicæ Passionis, fatente ad Tertullianum Rigaltio; aliis *plurium*; aliis *septimanæ* totius. Patet ex Epistolâ Irenæi ad Victorem, L. v. *Hist.* Eusebianæ. *Quadragesimale* Jejunium, seu *dierum* XL. nec Irenæus, nec Tertullianus, nec Dionysius Alexandr. tradiderunt, benè *horarium* XL. Feriâ *quartâ* & *sextâ* jejunabant nonnulli, sed ex accidente, & *semi-jejunio* tantùm, usque dum Stationes & sacra Eucharistica essent peracta. Et ista ex Justino, Irenæo, Tertulliano, Eusebio.

3. *Preces* primitùs ad *Orientem* fieri solitæ, ut Judæorum illæ ad Occidentem: Ratio non una fuit, eæque obviæ, & inter alias hæc apud Tertullianum, quia *Oriens Christi figura est* in Scripturis, adversùs *Valentinian. Cap.* III.

4. *Orationes* jam frequentatæ *sive oblationes pro mortuis*, & quibuscunque, etiam Martyribus, ex Tertulliano: Nisi memorias & commemorationes Martyrum hac phrasi designavit, *de Coronâ* C. III.

5. *Signaculum crucis*, quo frontem signare soliti, *ad omnem aditum & exitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia*, ad quamcunque *Conversationem*, Tertull. de Coronâ C. III.

6. *Agapæ*, seu convivia Charitatis; de quibus modò dictum ad Ritus Sacrorum Conventuum. Et præter Agapas *Dominicas*, vel *Eucharisticas*, habuêre etiam *Natalitias*, *Funebres*, *Connubiales*.

7. Abstinentia à *Sanguine* & *Suffocato*, familiaris

liaris primis Christianorum, tùm ex interdicto Apostolico, tùm ut se ab immanibus Gentilium calumniis eo faciliùs purgarent.

8. Ritus deferendi *Symbola consecrata* sive Eulogias, ad Ægros, Absentes, Peregrinos, Hospites, ex Irenæo apud Eusebium. Et quæ id genus alia fuêre instituta, ex se innoxia, sed quæ sequior ætas in abusum vertit.

Ritus autem huic ætati *affricti*, ex falsâ Traditione, & Pseudepigraphis ac suppostitiis Apostolorum, Clementis Romani, Areopagitæ, primorum Paparum, &c. sunt propemodùm innumeri. Qualia sunt, *Festa* in honorem Virginis, *Cultus* Reliquiarum, Imaginum, Sanctorum, *Quadragesima*, Abstinentia *à Carnibus*, Confessio *Auricularis*, Vota *Monastica*, *Peregrinationes* ad loca sancta, *Sacramenta* hodierna Confirmationis, Extremæ Unctionis, &c.

Mores Christianorum hujus Ævi.

Tandem observandi *mores* Christianorum, vita, praxis, iisdem quibus antè Testibus.

Nempè, quòd vigerent præcepta & officia *Pietatis* in Deum, *Charitatis* in proximum;

Quòd sese *fratres* & *sorores* appellarent, undè *Fraternitas* pro Ecclesiâ, apud Clementem Rom.

Quòd pro *inimicis* etiam precarentur, eorumque *salute*, apud Justinum M.

Quòd *Verbum Dei* assiduè tractarent, Virgines etiam & ancillæ ad *lanam sedentes*, apud Tatianum;

Quòd *Imperatoribus*, *Magistratibus*, in externis omnibus se subjicerent, vota etiam pro eorum salute fundentes;

Quòd

Quòd hoſpitalitati, veracitati, candori, beneficentiæ, &c. cumprimis ſtuderent;

Quòd circà ægros, afflictos, captivos, pauperes, &c. magno affectu occuparentur;

Quòd Gentilium *Spectacula*, & *Theatrales* ludos ſtudiosè fugerent, Eccleſiaſticâ lege, &c.

V. *Politia Eccleſiaſtica*, *Regimen*, *Ordines Sacri*, *alia huc ſpectantia*.

Huc denuò ſummatim referimus,

1. *Epiſcopalem* prærogativam, hoc ſeculo hinc indè conſpicuam, quoad prærogativam *ordinis* & *προεδρίας*. *Indubiè* ſanè in Eccleſiâ Alexandrinâ, indè à Marci exceſſu, vel Hieronymo teſte, *Epiſt.* LXXXV. ad Euagrium; ſed & indubiè quoque in Romanâ, Antiochenâ, Aſiaticis, Africanis, &c. ex variis hujus ævi, & ineuntis III. documentis.

Dubia tamen eſt *Ignatianarum* Epiſtolarum fides, (ne de *Pſeudo-Dionyſio* dicam) in quibus Epiſcopalis dignitas ſed & poteſtas ſuprà Presbyterialem perpetuò effertur, & undè ferè litis deciſio pendet. Hinc fidem Epiſtolarum adſtruunt in Proteſtantibus ipſis Uſſerius, Iſ. Voſſius, Hammondus, ac nuper Doctiſſimus Pearſon, Beveregius, cæteri. Deſtruunt inter noviſſimos Blondellus; Salmaſius, ac fusè Dallæus: *Septem* verò genuinas quidem, ſed multum interpolatas cenſent ex noſtris Vedelius, Rivetus, alii.

Hinc dubium, an jam tùm ubique, an in majoribus tantùm Eccleſiis *Epiſcopi* præſiderent? An non is primatus ordinis tantùm & ſeſſionis, (undè & *Præpoſiti*, *Præſidentes*) adeoque

que Præſidentia *miniſterii*, non *imperii*, ut locutus Tertullianus, *Lib* de Pudicit. *Cap*. xxv.? An non veriùs à reverentiâ ætatis, & ſuperſtitum ex Apoſtolicâ Diſciplinâ, & ordinis causâ, quàm ab Apoſtolico inſtituto? Annon etiam auctâ, cum labente hoc Seculo, & ſequentibus tertio, quarto, &c. Epiſcopali poteſtate?

II. *Ordines Eccleſiaſticos* haud notos alios hac ætate, ex Clemente Rom. Polycarpo, Ignatio, Juſtino, Irenæo, Clemente Alex. Tertulliano, præter *Epiſcopos*, *Presbyteros*, (ſeu jam nominibus, ſeu re ipsâ diſtinctos) & *Diaconos*: Nondùm verò ab his diſtincti in ordine Eccleſiaſtico *Subdiaconi*, *Exorciſtæ*, *Acolythi*, *Lectores*, &c. Et ſicubi *Exorciſtæ* ab exſufflandi, & catechizandi munere jam tùm appellati, nondùm hi à Presbyteris, aut Diaconis diſtincti fuerunt, combinatis muneribus, fatente & nuper ad Euſebium Henr. Valeſio.

III. *Gradus* Eccleſiaſticarum *dignitatum*, quibus ſequens ſuperbivit ætas, tùm adhuc ignotos Chriſtianis: Hinc nuſquàm in genuinis hujus ævi momumentis (Pſeudo-decretales Paparum non dicimus) legas *Archiepiſcopos*, *Archidiaconos*, *Archipresbyteros*; Nuſquàm *Metropolitanos*, *Primates*, *Exarchos*, *Catholicos*, *Patriarchas*; imò nec ſenſu poſteriorum uſquàm *Vicarios*, *Suffraganeos*, *Syncellos*, *Defenſores*, *Apocriſiarios*, *Referendarios*, *Abbates*, & quicquid eſt hujuſmodi in Oriente aut Occidente Eccleſiaſticarum dignitatum. Minùs *Purpurati* & *Cardinales* fuerunt hujus ætatis. Lis tamen inter Eruditos v. gr. de nomine *Patriarchæ*, quo jam Hadriani tempore, id eſt, in primordiis hujus Seculi, Alexandrinus venire creditur Epiſco-

Episcopus, ex Hadriani *Epist.* apud *Flavium Vopiscum*, de quâ nos alibi.

IV. *Papatûs* seu *Oecumenici Pontificatûs* hoc seculo in probatis Scriptoribus nulla vestigia. *Papæ* (seu Patres) diù etiam posteà omnes Episcopi appellati. Romanæ Sedis illi tùm sanè eminentes fuêre sanctitate, martyrio, etiam Ordinis prærogativâ, ob Urbis illam, tùm adhuc dominantis; *Potestate* in reliquas Ecclesias nullâ, nisi quam sibi arrogare *Victor* Romanus cœpit, Seculo exeunte. Imò Romanum Episcopum subinde hortari, objurgare, ab eo dissentire Ecclesiæ, *Ephesina*, *Asianæ*, *Gallicanæ*, passim ex Eusebio.

Quo verò sensu *potentiorem Principalitatem* Romanæ sedi tribuerit Irenæus; *Pontificatum maximum* Tertullianus; aut quo sensu Μοναρχίαν tradant Veteres hujus ætatis, aliàs explicatur, & Docti consentiunt.

V. *Singularum* Ecclesiarum Regimen tunc quidem penes *Episcopos*, *Presbyteros*, & *Diaconos*; illis quidem coëuntibus, in Ecclesiis singulis majoribus, in Collegium quod dictum πρεσβυτέριον, non ἐπισκόπιον, cujus communi consilio Ecclesia regebatur. Nec in eo Collegio etiam *Seniores* de plebe, seu *Laicos* ordinariè assedisse intelligimus, licet sua his essent ministeria in Africanâ Ecclesiâ, in gravioribus consultis.

Diaconorum porrò erat ministrare pauperibus, ægrotis, incarceratis, &c. oblata à populo in mensâ disponere; Eucharistiam distribuere; id genus alia, quæ in servitium *Missaticum* vertit superstitio.

Diaconissæ accesserunt jam indè ab Apostolica ætate,

ætate, quarum ministerium fuit ut in Baptismo fœminarum, in locis S. conventuum, ità circà Ægrotos, Captivos, &c.

VI. *Plurium* simul junctarum *Ecclesiarum* regimen & consociationem; quæ patuit jam tùm in *Synodis*, *Conciliis*, penes quæ summa in rebus sacris, sub infideli Magistratu, authoritas fuit. Sed de Synodis hujus ætatis, infrà.

VII. Adde, *Ordinationes* seu Consecrationes *Clericorum*, peractas, 1. Legitimâ *χειροτονίᾳ*, seu electione per suffragia; etiam plebis illis requisitis: 2. Usitatâ χειροθεσίᾳ, quæ deinceps Episcoporum tantùm fuit: Notaque jam tùm distinctio inter *Ordinem* & *Plebem*, sive inter *Clericos* & *Laicos*, vel ex Clementis ad Corinth. Epistolâ. Ignoti verò consecrandi ritus Latinæ deinceps Ecclesiæ, ut *Unctio*, *Traditio Evangeliorum*, *Patinæ*, *Calicis*, *Stolæ Dalmaticæ*, *Pallii*, &c.

VIII. Tandem (nec enim omnia hujus compendii sunt) nullæ hoc seculo leges de *Cælibatu Ecclesiasticorum*, contrariis haud paucis Conjugatorum exemplis. Imò cùm, M. Aurelio Imperante, Sotero Episcopo Romano, inclinante hâc ætate, *Pinytus* Gnossiorum Episcopus imponere hoc jugum vellet, intercessit gravi Epistolâ Dionysius Corinthiorum Episcopus, ne *βαρὺ φορτίον onus grave*, de necessario Cœlibatu, fratribus imponeret. Auctor est Eusebius *Hist.* *L.* IV. C. XXIII. tacente ad hæc Valesio.

VI. *Ha-*

VI. *Hæretici & Pseudo-Christiani hujus Seculi.*

Famosiores fuêre hac ætate, ex omnibus Hæresiologis, & ex scriptis hujus seculi:

Saturninus, Epiphanio & plerisque *Saturnilus*, turbans Antiochiæ, & in Syria sub Hadriano Imperat. ex Eusebio & Hieronymo, Simonis Magi & Menandri discipulus, hinc impia de Deo Judæorum, de Prophetis, de Christo Servatore eructans. Ac de eo fusè Epiphanius *Hæres.* XXIII. post Irenæum, Eusebium.

Basilides Alexandrinus, in Ægypto sua disseminans, sub eodem Hadriano, paulò post Saturninum, ex eodem sodalitio, eâdemque scholâ. De quo post dictum Irenæum, Tertullianum, Clem. Alexandrinum, Epiphanius *Hæres.* XXIV.

Carpocrates, *Carpocras* Epiphanio, Philosophus Platonicus, coævus Saturnino & Basilidi, parens ut plurimùm habitus Gnosticorum, eademque cum prioribus tradens, in specie *transmigrationem* animarum, ex Verbis Christi, *Matth.* V. 25. De quo fusè Irenæus, Tertullianus, & Epiphanius, *Hær.* XXVII.

Valentinus, Philosophus in Ægypto Platonicus & Pythagoricus, in petitione Episcopatûs rejectus, hinc Hæresiarcha, à quo Valentiniani. Sparsit sua deliria, de XXX. *Æonibus*, *Bytho*, *Sige*, ex quibus Νῦς *Nûs* sive *Monogenes*, & *Aletheia*, ex his rursùm *Logus* &c. saltem sparsit Romæ, post annum CXL. ex Eusebio, Antonino Pio Imperat. Hygino Episcopo Romano. De Valentino iidem Patres prolixè, editis in

Valentinianos ſcriptis, Epiphanius autem *Hær.* xxxi. Doctiſſ. Pearſonus, Valentini Hæreſim contendit haud ignotam eſſe potuiſſe *Ignatio*, cujus Martyrium refert Euſebius ad A. cviii. quia meminit σιγῆς Ignatius, ſeu Auctor Epiſtolæ ad Magneſianos.

Gnoſtici ſuperiorum omnium infelix propago, ſic dicti quotquot ex Simonis, Menandri, Saturnini, Baſilidis, Carpocratis, Valentini diſciplinâ prodierunt. Variis quidem inter eos *differentiis*, ſed communi *nomine*, quo ſemet ipſos, ſtatim ab initio, diſtinxerunt, eodemque ſuperbo; Scil. à γνῶσις, quaſi κατηξιωθέντες τῆς γνώσεως ſublimioris ac myſterioſæ ſapientiæ cognitione præcellentes. Undè myſteriorum plena omnia, an fabularum, quare *Fabulones* dicti Auguſtino. De *Abraxis* Gnoſticorum, quibus figuræ Monſtrorum inſculptæ, cum nomine ΙΑΩ, plura Eruditi, ſed diverſiſſimis conjecturis. Veriùs dicendi, ex Epiphanio, καταγνωστικοὶ *Catagnoſtici*, ſeu damnates, *Hær.* xxvi. de Gnoſticis. Catholicos autem vocitarunt ψυχικοὺς *animales*, ipſi quidem πνευματικοὶ *ſpirituales*, quantumvis doctrinâ blaſphemi, vitâ flagitioſi.

Hermogenes quidam, diverſus ab eo de quo 2 *Tim.* 1. ex Stoïcâ diſciplinâ Chriſtianiſmum inficiens, docenſque in Africâ, adulto jam ſeculo, Materiam Deo eſſe coæternam, & ſi quæ id genus alia; ſcribente in eum Theophilo Alexandrino, deinceps Tertulliano, Libro *Adverſ. Hermog.*

Cerdon, de quo poſt Irenæum fusè Epiphanius, *Hær.* xli. digreſſus ex Syriâ, & Romam delatus ſub extrema Hygini Epiſcopi: Homo

ex

ex eâdem, quâ priores; scholâ, id est Simonis & Menandri (qui Patriarchæ Hæreticorum) profectus. Author Hæreseôs quæ à *Marcione* nomen *Marcionitarum* accepit, à Tertulliano præ reliquis flagellata. Homo semel iterumque ejectus, apud Irenæum, *Lib.* III. C. IV.

Marcion Episcopi cujusdam filius, natione Ponticus, Cerdonis discipulus (hinc sequitur apud Epiphanium *Hær.* XLII.) ob stupratam Virginem S. communione prohibitus, hæresim à Magistro haustam sparsit, temporibus Justini Martyris, & Polycarpi: A quo postremo, quum in hunc hæreticum Romæ incidisset, dictus est *Primogenitus Diaboli*, Eusebio teste. *Marcionitarum* meminit Celsus Philosophus, apud Origenem, qui Celsus sub Antonino Pio scripsisse videtur.

Secundus, Ptolomæus, Marcus, Colorbasus, Heracleon, coævi ferè, omnes ex Valentini, adeoque Simonis Magi, impiâ disciplinâ, eadem ferè cum Valentino delirantes. Magicis etiam præstigiis celebres, Marcus cumprimis à quo *Marcosii*. Contrà quos, post Irenæum, Tertullianum, Epiphanius, *Hær.* XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. qui Cerdoni hos omnes præmittit.

Lucianus & *Apelles*, (plures autem fuêre hujus nominis) Marcionis Discipuli, atque inter sectatores præcipui, de quibus meminit Tertullianus, & in Lucianistis atque Appellejanis (Apellecianos dixit Septimius) Epiphanius *Hær.* XLIII. & XLIV. alii. *Severiani* hæretici ex Apelle nati, à Severo coætaneo, quorum nugamenta apud *Epiph. Hær.* XLV.

Tatianus natione Syrus vel Assyrius, in Græ-

corum disciplinis versatissimus, Romæ conversus per Justinum Martyrem, primò quidem utilem Ecclesiæ operam navavit; Verùm post Justini martyrium, regressus in Orientem, M. Aurelio Imperante, ex Marcionis & Valentini disciplinâ hausit impura non pauca, undè *Tatianorum*, sive *Encratitarum* Hæresis nata. Contrà quam, post hujus *seculi* & sequentis Catholicos scriptores, Epiphanius *Hær.* XLVII. dein Theodoretus, & Augustinus.

Montanus Phryx natione, ex Mysiæ Phrygianæ oppido, seu vico Pepuzâ oriundus (undè Sectatores dicti *Phryges*, *Cataphryges*, & *Pepuziani*) sub M. Aurelio, Commodo, vel ut vult Epiphanius, sub Antonino Pio, specie austerioris vitæ, & prophetici charismatis obtentu, Hæresim condens vel sectam, ex placitis Encratitarum, ministris fœminis duabus, quas prophetissas dixêre, *Priscillâ* & *Maximillâ*. Undè & *mulieres* ad Episcopatum vel Presbyteratum evectæ. Sparsum mox per Asiam venenum fuit, hinc famosi sectatores, Theodotus, Patroclus, Artemon, &c. fascinando hac specie vitæ austerioris Tertulliano. Fusè de iis Epiphanius *Hær.* XLVIII. post Eusebium, *Hist. Lib.* V.

Praxeas, à quo *Praxeani* & *Patripassiani*, spargens hæresim ex Asiâ in Italiam, ac Romam inferens, sub finem Seculi; Cujus meminit Tertullianus, sub finem libri *de Præscript. Hæret.* & Libro expresso *adversùs Praxeam.*

Theodotus quidam Byzantinus, idemque Coriarius, sub finem Seculi, Victore Urbis Episcopo, in Christum blasphemans. Undè à communione Ecclesiæ per Victorem ejectus fuit. Et hujus

hujus discipulus *Artemon* fuit, à quo *Artemonitarum* hæresis, sub initium seculi seq. De iisdem Tertullianus, Eusebius, &c.

Sethianos, *Florianos*, *Cainanos*, *Adamitas*, *Antitactas*, *Ophitas*, &c. mittimus, passim apud Clementem Alex. Eusebium, Epiphanium, Theodoretum, Philastrium, &c.

Hæreticorum etiam Catalogo adscribendus tandem fuit *Bardesianes* Edessâ Syrus, negans Mortuorum resurrectionem sub M. Aurelio, si Epiphanio fides, *Hær.* LVI. Ab aliis verò excusandus, in Confessorum veriùs numero, & Scriptorum Ecclesiasticorum apud Hieronymum.

Capita verò harum omnium Hæreseôn, per Religionem Christianam Universam diffunduntur: Alia quippe in *Scripturas* S. Legem, Prophetas, Apostolica scripta, eorumque vel authoritatem, vel sufficientiam; alia in *Dei* Conditoris naturam; alia in Personas Divinitatis; alia in *Christi* maximè Personam; alia in *Creationem* Universi; alia in *Hominis* libertatem; alia in Doctrinam de *Justificatione* ex gratiâ, de *Sanctificatione* & *Bonis operibus*, de *Novissimis*, de *Conjugio*, de *Baptismi* unitate & usu, de *Eucharisticis* symbolis, de *Jejunii* legitimi naturâ, &c. arietarunt. Conferantur suprà Hæreses Simonis, Menandri, aliorum, à quibus pleræque hæ pullularunt.

À *Scripturis* provocabant Gnostici ad *Traditionem* non scriptam, teste Irenæo *Lib.* III. C. II. in quo veriùs præiverunt Pontificiæ Ecclesiæ, quàm *Lutheranæ* & *Calvinisticæ*, ut nugatus nuper est Natalis Alexander, ad Sæc. II. Dissert. XVI. Et si quam in eos ursit *traditionem* Ire-

Irenæus, planum eſt fuiſſe de doctrinâ ſcriptâ, ac ſucceſſivè indè ab Apoſtolis traditâ ac propagatâ.

VII. *Tranſlationes S. Scripturæ hoc Seculo factæ.*

Nempè hujus ætatis ſunt,

1. Verſio *Syriaca* Novi Teſtamenti, Authore quidem incerto, (quem *Marcum* Euangeliſtam fuiſſe Syri tradunt, uti de Marco incerta alia) ſed tamen, Eruditorum conſenſione, haud longè inferiori Apoſtolicis temporibus. Deſideratæ autem in eâ primò fuêre *Epiſt. Catholicæ*, & *Apocalypſis*, ſed ſuppletæ poſtmodùm. Argumento Verſionem eam natam, quo tempore hi Libri controverterentur.

2. Verſiones *Latinæ* Vet. & Novi Teſtamenti, quibus uſi ſunt primitùs in Latinâ & Occidentali Eccleſiâ, & quoque ſub finem hujus ætatis Tertullianus. Nec unam ſed plures obtinuiſſe, variantes certè Editiones, docet collatio locorum, apud Tertullianum, Cyprianum, &c. Adornatæ autem illæ ex Græcâ Verſione, non ex Hebræo; In his celeberrima quæ *Vetus*, & *Itala* dicta, etiam *Vulgata*, *Communis*, emendanda poſtmodùm ab Hieronymo ad Textum Græcum Origenianum, additis ex Hebræo *aſteriſcis*, & *obelis*. Donec novam Hieronymus ex Hebraicis fontibus elaboraret, ſucceſſuram ferè in locum prioris.

3. Verſiones *Græcæ* (aliis *Hellenisticæ*) Vet. Teſtam. Hæ rursùs hoc Seculo adornatæ plures: Hujuſmodi ſunt Verſiones,

Aquilæ Pontici, vel Synopitæ, ex Chriſtiano,

no excommunicato Judæi, ad verbum ſed barbarè transferentis, ſub Hadriano Imperatore; cui etiam affinitatis vinculo junctus fuerit, teſte Epiphanio. Corrupiſſe ſtudio Textum Hebraicum, precariò aſſeritur.

Altera *Theodotionis* Epheſii, ſub initia Commodi Imperat. ex Hæretico Marcionitâ Judæi Proſelyti, vel Judaizantis Ebionitæ. Quo jam nullus majori fide in tranſlatione verſatus ſit, & ex Hebræo quidem, judice pridem Origene.

Tertia *Symmachi*, genere Samaritani, hinc, ſecundùm Epiphanium, Judæi Proſelyti, ſed ſecundùm Hieronymum Hæretici Ebionitæ. Verſionem hic pariter ex Hebræo concinnavit, iterato etiam labore: dubium an antè Theodotionem, an poſteà ſub Severo.

Quo autem fine hi Viri, Chriſtianis adverſati, aggreſſi ſint Interpretationem Bibliorum, ex dictis *Patribus* liquet, & docet res ipſa.

Acceſſerunt Verſio *Hierichuntina*, & *Nicopolitana*, quanquàm repertæ, & in *doliis* quidem, ſequenti demùm Seculo, & ab Origene in lucem productæ in Octaplis. Nonniſi Fragmenta earum Verſionum ſuperſunt.

VIII. *Perſecutiones excitatæ hoc Seculo in Chriſtianos. Martyres illuſtriores, & Honos illis habitus.*

1. Harum *Cauſæ* eædem quæ ad 1 Seculum obſervatæ. In quibus primum quidem locum habuerunt *Calumniæ* quibus gravabantur Chriſtiani; v. gr. atrociſſimæ illæ Atheiſmi, ſpretæ Majeſtatis, Ἑταιρείων ſeu Sodalitiorum, odii

in Rempubl. Anthropophagiæ, commixtionum Οἰδιποδείων, &c. Deindè crescens indies Christianorum *multitudo*, adeò ut sibi Pagani metuerent, suisque Diis. Accedebant clamores vulgi, *Christianos ad Leones*.

II. Series autem generalium Persecutionum sub Ethnicis Imperatoribus, talis memoratur.

Tertia sub *Trajano* Imperatore, optimo aliàs Principe, quam Eusebius inchoat ab An. Christi CVIII. Trajani X. Duravit usque ad Annum Christi circiter CXVII. Baronius inchoat ab exordio Imperii, ut fabulosis Martyribus innumeris locus sit, ad A. Christi C. Lactantius hunc inter *bonos Principes Rom. Imp.* refert, sub quibus *Ecclesia in pristinum statum restituta est.* Melito, & Tertullianus, nullam hujus Persecutionem noverunt. Initio quidem atrocior, per complures annos, sensim tamen perspectâ innocentiâ Christianorum, remissior.

Occasio fuit superstitio Principis, & afficta Christianis in Deos, in Principem flagitia, vel ex Plinii Epistolâ XCVII. *Lib.* X.

Mitigatio ejusdem ex Plinio, Tertulliano in *Apologet.* Sulpicio Sev. Suidâ in voce Τραϊανὸς, intelligitur.

Effecta fuêre martyria innumera, dùm sævitum promiscuè in omnem ætatem, ordinem, sexum, quamvis de *ætate* dubitasse sese scripserit Plinius, illi-ne *parceret?* *Martyres* hac persecutione alii conficti, ex Pseudo-Actis, qualia sunt v. gr. Clementis Papæ, Nerei & Achillei, plurima id genus; item ex Gregorio Turonensi, Metaphrastâ, Martyrologiis, Legendis, Nicephoro, Surio, Lippomanno, Baronio, Aringo, & Martyrum Collectoribus,

qui-

quibus nulla apud cordatos fides eſt; alii *certiores*, memorati Euſebio, & Veteribus. In his, *Simeon Cleopæ* Hieroſolymitanus, & *Ignatius* Antiochenus, è Syriâ Romam delatus, ibique beſtiis objiciendus, A. Ch. CVIII. *Clemens Romanus* Cherſonæ in exilio mortuus, A. Ch. C. Trajani A. III. ex Euſebio & Hieronymo, nullis horum de Clemente Fabellis. *Anacletus* nec Martyr ſub Trajano An. CXII. ut Baronius refert, nec Papa inter Clementem & Euariſtum, ut idem, nec alius à *Cleto*, qui Clementi præponitur, ut fatentur doctiores Pontificii.

III. *Quarta* vulgò Perſecutio, fertur ſub Hadriano Cæſare, ex Sulpicio Severo. Quæ tamen nec ità cruenta, nec niſi tertiæ appendix cenſenda eſt. Populis paſſim in Chriſtianos clamores excitantibus, nullo Edicto Principis. Tacet Perſecutionem hanc Lactantius de Mortibus Perſecutorum, & antè eum Tertullianus, ac Melito apud Euſeb. L. IV. C. XXVI.

Cauſæ continuatæ hinc indè Perſecutionis eædem cum prioribus, connivente Principe, indè ab exordio Imperii. Tùm odium Chriſtianorum *Judæi* paſſim auxerunt, rebellantes ſub Hadriano, ſed & *Gnoſtici* hoc tempore inſanientes. *Modum* fuiſſe quandoque cruentum & atrocem, docere videntur Literæ Sereni Granii ad Imperatorem, *Iniquum eſſe clamoribus vulgi innocentium hominum ſanguinem concedi*, apud Euſebium. *Loca* perſecutionis fuêre inprimis *Aſia*, undè reſcriptum Hadriani ad Proconſulem Aſiæ; & *Græcia*, undè Apologiæ Athenis oblatæ Imperatori.

De *Martyribus* utriuſque ſexûs innumeris; Romæ, Mediolani, in Italiâ, Illyrico, Syriâ,

riâ, Armeniâ, &c. quæ habent Martyrologia, Legendæ, Collectores, ex iis Surius, Baronius, ad A. CXXII. &c. fidem nullam merentur, neque quæ ex Catacumbis, Cœmeteriis, Cryptis ſunt eruta Martyrum ſcilicet λείψανα, etiam Acta, multis poſt Seculis. Nec ſub Hadriano, ponendus ille Arrius Antoninus Proconſul, de quo Tertullianus *ad Scapulam*.

Duratio Perſecutionis, qualem diximus, extenditur ad Annum Hadrianici Imperii IX. vel X. ex Euſebii Chronico, quando nempè pax reddita Eccleſiis, & mitigatus fuit in Chriſtianos Princeps, edito ad *Minucium Fundanum*, Aſiæ Pro-Conſulem, hunc in finem Reſcripto. Quod Juſtinus Martyr *Apologiæ* ſuæ ſecundæ attexuit, & Latinè quidem, ac (Scaligero arbitrante) Græcè verſum ab Euſebio.

Occaſio remittentis in Chriſtianos Tyrannidis fuit I. Scriptum ſeu Epiſtola *Sereni Granii* vel *Sprannii*, Aſiæ Præſidis ad Imperatorem, in favorem innocentium Chriſtianorum, apud Euſeb. *Lib.* IV. 2. *Apologiæ* pro Chriſtianis *Quadrati* & *Ariſtidis*, Athenienſis Eccleſiæ Doctorum, & ſcripto, & coràm, captatâ occaſione cùm Imperator Athenis [illegible]eret. Hæc ex Juſtino, Euſebio, Spartiano, &c.

Author verò eſt *Lampridius* in Hadriano, intendiſſe hunc Principem Chriſto quoque Templum conſecrare. Paulinus verò in Epiſtolarum aliquâ, Hadrianum ſuprà locum Nativitatis Chriſti, Templum Veneris & Adonidis erexiſſe, retulit; Sulpicius, *Dæmonum ſimulachra conſtituiſſe in loco Dominicæ Paſſionis.*

Sed etiam ſub Hadriano ſæviit in Chriſtianos *Barchocab*, ad ſupplicia paſſim raptatos, donec

nec ipse crimen expiaret, teste Eusebio ex Justino M. *Apol.* II.

IV. *Quinta* Persecutio, aliis demùm *quarta*, cœpit sub *Anionino Pio*, continuata sub *M. Aurelio Antonino Philosopho*, & *Lucio Vero* Fra[illegible]s: Nec prior à multis præteriri debuit, quin[illegible] taceant Melito, Tertullianus, Lactantius. Nam sub Ant. Pio passum Justinum Mart. Eusebius tradit in *Chronico*. Alii rursùs nullo Antonini Edicto continuatam fuisse persecutionem, quod verius; alii contrà Edictis variis, in Asiâ cumprimis. Certè non consciis semper Principibus factum est, quicquid fusum Christiani sanguinis per Præsides Provinciarum, & furores Populorum. Abfuisse longè ab hac sævitiâ optimos Principes, non modò eorum ingenium testatur, sed & disertè Lactantius de Mortibus Persecut. C. v. & Tertullianus in Apologet. C. v.

Causæ rursùs eædem, speciatim pestis Asiam populata, terræmotus, prodigia, Christianis ut calamitatum causis ab Ethnicorum vulgo impacta. Accessit *superstitio* Principum immodica, & delationes criminum, quæ Christianis impingebantur, Infanticidia, Cœnæ Thyesteæ, incesti Concubitus, confessione per vim servis extortâ; Undè *accusatio*, hinc *pœnæ*, juxtà rescripta Principum, vel Eusebio teste, *Lib.* v. C. I.

Loca persecutionis feruntur, passim per Romanum Imperium: Romæ, in Italiâ, Græciâ, Asiâ, Africâ, Galliâ, & in hac *Viennæ* cumprimis & *Lugduni*, fusè apud Eusebium *L.* v. C. I. occasione Ludorum solemnium qui Lugduni celebrarentur.

Pro Christianis *Apologiam* scripsit geminam Justinus M. alteram quæ inscribitur *Senatui Romano*, alteram *Antonino Pio*, & adoptatis *Verissimo Philosopho*, & *L. Vero*. Circà quas cum Doctissimis Viris observamus 1. Inverti ordinem Apologiarum, & *Secundam* dici in vulgatis Edit. quæ *prima* fuit ordine, teste Eusebio, *Lib.* IV, C. XII. & XVIII. 2. Inscribi ad *Senatum Romanum*, quæ veriùs oblata *Cæsari*, nec (juxtà Valesium) M. Aurelio Antonino, post excessum Pii Patris, ut idem Eusebius *Lib.* IV. C. XVI. XVIII. sed eidem *Antonino Pio*, sub quo & Justinus martyrio coronatus fuit, ex Eusebii Chronico, confirmante Syncello.

Apologias alias seu Libellos pro causâ Christianorum scripsêre, *Theophilus* Antiochenus in suis ad Autolycum, *Melito* Sardiensis Episcopus, & *Apollinaris* Hierapolitanus. Hi etiam suas exhibuêre M. Antonino, Pii successori.

Legationem etiam tùm suscepit & scripsit pro Christianis *Athenagoras*, Philosophus Christianus, hodieque ab interitu vindicatam, occasione Gallicanæ Persecutionis primùm, dein in Græciam & Asiam protensæ.

Remissio persecutionis excepit 1. Sub *Antonino Pio*, rescripto ad Populos Asiæ attexto *Apolog.* II. Justini Mart. quo *delatos* absolvendos, *delatores* puniendos decernit. Quanquàm *Pii* non esse Rescriptum, nec à Justino ipso attextum suæ Apologiæ, meritò conjectetur. 2. Sub *M. Aurelio*, occasione *pluviæ* miraculosæ, Christianæ Legionis (ut ferunt) precibus impetratæ Romano exercitui, languenti in siticuloso loco, *fulmine* contrà in hostes Marcomannos dotonante, undè Victoria Romanis. Atque hinc Cæsarem literis ad Senatum scriptis, inter-

interdixisse accusari Christianos, talesque esse permisisse, testes sunt Apollinarius, Tertullianus, Eusebius, & Marci literæ insertæ Operibus Justini. De quarum tamen fide meritò dubitatum, item an ea Legio indè nomen habuerit κεραυνοβόλε, jam antè Romanis notum, XII. Legionis nomen. Ac *pluviam* à Christianis militibus impetrari cœlitùs potuisse, damus, quam *Marci* Imp. precibus attribuunt Capitolinus, & Themistius.

Quis sit ille *Arrius Antoninus* Proconsul Asiæ, ad quem certatim confluere Christiani, martyrii desiderio, apud Tertullianum *ad Scapulam*, an ille qui coævus Plinio, sub Trajano, & ad quem Plinii Epistolæ extant *Libro* IV. & V. Epistolar. an veriùs ille qui sub Commodo occisus, in Asiæ Præconsulatu, facile est conjectare ex Lampridio in *Commodo*.

V. Igitur ad postremam persecutionem, quæ cœpit sub Anton. Pio, cessavit sub Commodo, referendi Martyres *Justinus* Philosophus, *Polycarpus* Smyrnensis, *Photinus* Lugdunensis, alii, de quibus Euseb. *L.* IV. C. XV. & *L.* V. C. I. Hist.

Lectu dignissimæ sunt Epistolæ ibidem insertæ; Cùm illa *Smyrnensis* Ecclesiæ, ad Ponticas, de Polycarpi apprehensione, constantiâ, ultimis vocibus, vivicomburio, tempore Martyrii & mense, ossium conditurâ; tùm Ecclesiarum *Lugdunensis* ac *Viennensis* ad Fratres Asianos, de suis Martyribus, eorundemque βλασφήμοις calumniatoribus, cruciatibus, suppliciis, animi constantiâ, in cadavera sævitiâ &c. Celebris quoque Martyr sub Commodo, *Apollonius* Senator Romanus, à servo suo delatus tanquàm Christianus, hinc puniendus juxtà rescriptum Trajani; sed luituro quoque delatore,

tore, qui secundùm Hadriani Edictum crurifragio mulctatus, ex Eusebio, & Hieronymo, quia συκοφαντίας χάριν. Fictitiorum Martyrum in Menologiis, Martyrologiis, Legendariis, Metaphrastâ, Nicephoro, Monasticis tabulis, hinc apud Surium, Baronium, modus nullus est. Nullis quidem istorum testibus, præter posteriorum ætatum confictas tabulas, fabellasque sine fine augendas, de inventis, effossis, translatisque Reliquiis. Feruntur apud ipsum Eusebium Martyres quasi sub Veris Fratribus, qui veriùs sub *Decio*, ut Valesius observavit ad *Libri* IV. Caput XV. de Pionio, Carpo &c.

VI. Sequuntur *honores* habiti hoc Seculo Martyribus excitandæ constantiæ, ac Martyrii *prærogativa*.

1. Inter has fuit, singularis cura *sepulturæ* Martyrum, ubi poterant inhumari, in areis, agro, cryptis, locis abditis, ubi tutò nonnunquàm convenire licuit Christianis, testibus Athenagorâ, Tertulliano, Eusebio. At quæ de horum temporum Specubus subterraneis amplissimis, vetustissimis Catacumbis, Cryptis arenariis, Cœmeteriis, Fornicibus, Cubiculis, Sacellis, Sarcophagis Marmoreis, Porphyreticis, splendidissimis, cum Inscriptionibus, Actis, Tabulis &c. ut indè Martyrum & Reliquiarum myriades eruerentur, credenda relinquimus Baroniis, Casaliis, Allatiis, Aringis, id genus propolis.

Id certum, ex superioribus, neque tantum fuisse Martyrum numerum; neque eam rationem temporum ut ædificia id genus struerent Christiani, neque corporum, ossium, cinerum copiam

copiam factam Christianis nisi rarò fuisse, aut inhumandi potestatem, vel ex Eusebio, ad calcem Epistolæ Viennensium ac Lugdunensium. Multo minùs tot retrò Seculis superesse integra, reperiri, dignosci, transferri corpora vel ossa infinita potuerunt, undè ad *Revelationes* & *Miracula* perfugium.

2. *Commemorationes* vel *memoriæ Martyrum*, celebratæ anniversario martyrii die, (ut suprà in Ritibus) addito Panegyrico, Græcorum ergà illustres viros antiquo ritu: Docet Epistola Smyrnensium.

3. *Conventus* publici ad Martyrum tumulos, *areas* dixit Tertullianus, tanquam ad *πρoσκυνητήρια*. Quanquàm Cœmeteria illa in quibus Collectas instituebant suas, non *martyrum* propria, sed *fidelium* omnium communia essent.

4. Privilegium Martyrum, sive Confessorum, qui in carceribus agerent, ut dare possent lapsis & pœnitentibus *pacis literas*, seu condonare pœnæ Canonicæ rigorem, & reconciliationem cum Ecclesiâ procurare; ituro in abusum hocce privilegio, uti alia omnia.

5. Nihil verò hoc Seculo de Reliquiarum *asservatione*, *adoratione*, collocatione sub *Altaribus*, ad illas factis *donariis*, *oblationibus*, &c. Nihil de Reliquiarum *inventione*, *revelatione*, *miraculis*, *efficaciâ* in morbis, in persecutione, &c. Imò ex eorundem studiosâ sepulturâ, intrà terræ viscera, si quando per Ethnicos licuit, pari ritu quo sepulti Christianorum cæteri, contrarium planè colligitur. Nihil etiam de Defunctorum *invocatione* martyrum, aut religiosò cultu, sive *προσκυνήσει*. Et verò sufficiant *Smyrnenses*, in laudatâ antè Epist. ad quorum memora-

morabiles voces, oppositas calumniæ Judæorúm, nihil observavit Valesius; qui aliàs locum attingit, in *Notis* ad Euseb. *pag.* 73.

IX. *Doctores & Scriptores Ecclesiastici hujus Seculi.*

Doctorum omnium quotquot fuêre alicujus hoc ævo nominis, in Ecclesiis *Asianis*, *Africanis*, *Europæis*, prolixum & accuratum indicem, post Eusebium, Hieronymum, & vetustiores, descripsêre Magdeburgenses *Cent.* II. *Cap.* X. cum singulorum historiâ, scriptis, virtutibus, nævis.

Præcipui verò qui *Patribus* vulgò accensentur, vel *Scriptoribus* Ecclesiasticis, scil. transmissis Scriptis aut Fragmentis ad nostram ætatem, eo ferè quo claruerent aut scripserunt ordine, fuêre sequentes. Nec enim huc referimus *Pseudo-Decretales* Paparum hujus ævi, Anacleti, Euaristi, Telesphori, omnibus explosas; aut *Pseudo-Dionysium* Areopagitam, totis V. Seculis ignoratum; aut Scriptorem *Carminum Sibyllinorum*, VIII. Libros Sibyllis supponentem, sub Antonini Pii extrema; & id genus Apocrypha, Clementi Alex. quandoque approbata, damnata Gelasio in Concilio Romano, A. CCCCXCIV.

Non verò tacendus *Ignatius* Episcopus vel Præpositus Ecclesiæ Antiochenæ, Apostolorum discipulus & auditor, martyr sanctissimus, Trajani anno X. Æræ vulg. CVIII. Hunc in Scriptoribus Ecclesiasticis habent Veteres omnes, post *Eusebium*, ne dicam Irenæum, & Origenem, citantes Ignatiana. Sanè ejus Epistolæ *septem*,

ſeptem, in vinculis ſcriptæ, præ reliquis, à pluribus approbantur, ad *Smyrnæos*, ad *Polycarpum*, ad *Epheſios*, ad *Magneſios*, ad *Philadelphenſes*, ad *Trallianos*, & ad *Romanos*, ut ab Iſaaco Voſſio Græcè, ab Uſſerio Armachano Latinè, vulgatæ fuerunt, omnium purgatiſſimæ. Reliquæ, ſub Ignatii nomine, ſeu Latinæ ſeu Græcæ, tacitæ Euſebio & Hieronymo, omnium conſenſione in ſuppoſititiis habentur. Sed nec leves ſunt Salmaſii, Blondelli, Dallæi, Laroquii, dubitandi de prioribus rationes. Quum ſint in iis plurima, quæ Ignatio poſteriora videantur, phraſeologiæ, facta, hæreſes, ritus, diſciplinæ ratio.

Polycarpus Smyrnenſis Epiſcopus Eccleſiæ, jam antè Johannis exceſſum, hinc juvenis admodùm, ſi fides Irenæo, & Martyr ſub M. Aurelio, minimè ſub *Gordiano* ut Socrates Hiſtoricus. Ejus ſupereſt Epiſtola *ad Philippenſes*, edita Græcè & Latinè Oxonii, Helmſtadii, Leydæ, &c. laudata Irenæo, Euſebio, Hieronymo, Photio, & olim publicè lecta ab Aſianis.

Papias Hierapoleôs in Phrygiâ Epiſcopus, creditus Joh. Apoſtoli auditor ex Irenæo, contubernalis Polycarpi. Vir *modico judicio*, Euſebio teſte, parens *traditionum* incertarum, ac *fabularum* complurium, quas iſte fando acceperat.

Juſtinus Martyr Palæſtinus, ex Philoſopho Platonico Chriſtianus, Romæ decertans pro Chriſtianâ fide, donec martyrium ſubiret, ut antè, ſub Antonino Pio, ex ſententiâ H. Valeſii. Epiphanius malè ſub *Hadriano* locat. Scripta ejus intercidêre plurima, adversùs *Hæ-*

reſes

reſes, *Marcionem*, alia. Superſunt genuina, inter quæ eminent *Apologiæ duæ*, & *Dialogus cum Tryphone Judæo*. De afflictis Juſtino Martyri, inter quæ liber *Quæſtionum & Reſponſionum*, & alter de *Conſubſtantiali Trinitate*, nulla ferè inter Eruditos diſſenſio eſt, quicquid de priori ſcripto ſenſerit Photius. Errores nonnulli Juſtini ætati, & priori ejus diſciplinæ, condonandi ſunt.

Melito Aſianus, Sardenſis in Lydiâ Epiſcopus; florens ſub M. Aurelio Antonino Imper. Ei varia ſcripta ab Euſebio & Hieronymo tributa, dogmatica & hiſtorica, ſed quorum nonniſi Fragmenta & Tituli ſuperſunt. Auctor fuit inter cætera Apologetici pro Chriſtianis, ad M. Aurelium Verum Imperatorem, in quo perſecutores, antè Aurelium, Principes *ſolos Neronem & Domitianum* cenſet. Catalogum Librorum *Canonicorum* Vet. Teſt. eundem cum Hebræis recenſuit, poſt diligentem inquiſitionem, ἀκριβῶς μαθών. Liber de *Tranſitu Mariæ* ab omnibus, etiam Pontificiis, cenſetur ſuppoſitus Melitoni quinto Seculo, Gelaſio utpotè rejectus.

Athenagoras Athenienſis, ex Philoſopho Presbyter Chriſtianus, ſub M. Aurelio Antonino, & Lucio Vero, aliis etiam ſub Commodo, Imperatoribus; Cujus ſupereſt *Legatio* ſive *Apologia* pro Chriſtianis, & *Oratio* de Reſurrectione mortuorum, Græcè & Latinè aliquoties, & nuper Oxonii, editæ. Nec tamen vel Euſebius, vel Hieronymus, vel Photius, harum meminerunt.

Hegeſippus ex Hebræo Chriſtianus, Euſebio teſte, clarus aliis ſub M. A. Antonino, aliis

etiam ſub Commodo Imp. & Irenæo æqualis, quanquàm ſub Hadriano etiam vixiſſe, vellet Euſebius. Hujus memorantur apud Euſebium & Hieronymum, *Libri* v. *Actuum Eccleſiaſticorum*, ſeu Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quorum præter fragmenta Euſebiana pauca, nihil ſupereſt. De Jacobo Apoſtolo quæ refert, cum Joſephi narratis pugnant, apud Euſebium *L.* II. C. XXIII. Pſeudo-Hegeſippus eſt, qui diu poſteà de Bello Judaico *Libros* v. conſarcinavit.

Theophilus Epiſcopus Antiochenus, ſcribens ſub M. Antonino Vero Imper. Vir multiplici eruditione, defenſor fidei Catholicæ, contrà calumnias Gentilium, & Hæreſes Hermogenis, Marcionis, &c. Periêre ſcripta quorum Euſebius, & Hieronymus meminerunt, præter *Libros tres* ad Autolycum de *Fide Chriſtianorum*, qui Græcè & Latinè extant, aliquoties recuſi. In his voces εὔχρηστος, ἄχρηστος, argumento *Chriſtum* à χρηστῷ deduxiſſe & explicaſſe Theophilum.

Irenæus Polycarpi in Aſiâ, juvenis admodùm, (ex Euſebio *L.* v. C. xx.) Auditor, Lugdunenſis dein Eccleſiæ Presbyter, dum Photinus ejuſdem Epiſcopus audiret: hinc delegatus à Gallicanis Martyribus Romam ad Eleutherum, ſi Hieronymo fides eſt; poſteà Photini, martyrio ſublati, in Epiſcopatu Lugdunenſi ſucceſſor, ſub M. Aurelio Antonino, ac tandem Martyr ſub Severo Imp.

Interciderunt varia hujus Doctoris ſcripta, ut colligitur ex Euſebio, & Hieronymo, præter *Libros* v. *adverſùs Hæreſes*, cumprimis *Valentini* & *Gnoſticorum*. Quin Græcè ſcripſerit, dubitare nos non ſinunt, contrà Eraſmum, Græ-

ca

ca fragmenta, item Hieronymus, Epiphanius, Photius, & Verſionis character.

Clemens Presbyter *Alexandrinus*, patriâ tamen Athenienſis creditus, clarus ſub finem hujus ſeculi, magni Pantæni auditor & ſucceſſor, itemque præceptor Origenis. *Stromateus* etiam nuncupatus à *Stromatum* Libris, qui primas tenent inter Clementis ſcripta. *Exhortatio ad Græcos*, pro abdicando Gentiliſmo, & *Pædagogi* Libri, de præceptis moralibus, non indigna ſunt Clemente, nec Lectore Chriſtiano. Vir ad miraculum doctus, quod vel illud ipſum *Stromatum* Opus, ex omni eruditione variè contextum, undè illi nomen, abundè probat. Interciderunt autem ejus ſcripta benè multa, alia quoque eidem ſuppoſita in Bibliothecâ Patrum. Nonnulli verò Viro tanto errores Theologici, Hiſtorici, Chronologici, Critici, indulgeri poſſunt.

Tertullianus, Carthaginenſis Afer, JÇtus & Cauſidicus, (hinc plura ejuſdem credita reſponſa in Pandectarum Libris) poſt Chriſtianus, dehinc Presbyter Carthagine, ſub initia Severi Imperatoris converſus eſt ad Chriſtianam fidem. Latinorum hic Patrum ut primus ordine (nec enim tranſmiſſum ad poſteros quicquam vel *Victoris* Epiſcopi Romani, vel *Apollonii* Senatoris, quos præmittit Hieronymus in *Catal. Script. Eccleſ.*) ſic eruditione, acumine, dicendi genere, acer cumprimis ac vehemens, rebus ac ſententiis ubique denſus, ingenio & moribus auſterus. Hinc facilè in Montani auſteriorem diſciplinam pertractus quem *Paracleto* afflatum cenſuit, indignatus etiam in faſtum Romani Cleri: Et hinc quoque Libri de Pudicitiâ,

citiâ, Jejuniis, Monogamiâ, Fugâ in persecutione, &c. Verba Tertulliani L. contrà Praxeam, *Quis negabit Deum esse corpus?* & illa L. de Carne Christi, *Nihil est incorporale nisi quod non est*, ex Tertulliano ipso benigniorem interpretationem admittunt.

Mittimus *Tatianum*, *Polycratem*, *Appollinarium*, *Quadratum*, *Pinytum*, *Dionysium Corinthiorum*, *Bardesanem*, *Victorem*, &c. quorum nonnisi fragmenta, & memoria Scriptorum, supersunt. Quàm verò parùm sit in præfatis scriptoribus, ut *Socini* & sequacium, sic hodiernæ *Latinorum* causæ præsidii, in Doctrinâ, Cultu, Ritibus, Disciplinâ, cùm ex parte indicatum antè, & falsi subindè Doctissimi Pontificiorum, tùm ex professo nos pluribus *Tomo* I. Introductionis majoris, post Magdeburgenses, Flacium, Scultetum, Usserium, Dallæum, Forbesium &c.

X. *Concilia hoc Seculo habita.*

Præcipuorum, certè quorum memoria superest, attendi debent,

I. *Occasio*, quæ non una fuit. 1. *Hæreses*, speciatim *Montani* & *Cataphrygum*, quibus latè grassantibus, magnâ specie sanctitatis, & Spiritûs Prophetici, communi etiam inter eos Ærario seu *Arcâ*, conjunctis suffragiis opposuerunt sese pii Antistites, maximè in Asiâ Episcopi, apud *Euseb.* L. v. C. XVI. 2. Imprimis verò Controversia *Paschalis*, tùm de *die* ipso celebrandi Paschatis, tùm de *Jejunio* ante-Paschali, jam agitari cœpta tempore Polycarpi, & Aniceti, ex Eusebio *Lib.* IV. C. XIII. Undè

dè acerrimæ posteà contentiones, in schisma quoddam erupturæ.

II. *Loca* Conciliorum, cùm in *Oriente*, qualia fueruut Concilia Asiana, Syriaca, Palæstina, tùm in *Occidente* Romana & Gallica cumprimis, apud *Euseb.* L. v. C. xxiii. & Veterum alios. Pleraque sub finem seculi ii. Victore, Irenæo Lugdunensi, Theophilo Cæsariensi Palæstinæ, Bacchyllo Corinthiorum, Polycrate Ephesiorum, Palmâ in Ponto &c. Episcopis. Synodus *Romana* sub Aniceto, quam refert Libellus Synodicus, contrà sententiam Polycarpi, videtur conficta.

III. *Decisiones* eorundem: Contrà *Quartadecimanos* pronunciavit 1. Victor Episcopus, tùm in Synodo *Romanâ*, tùm per literas hinc indè missas ad Ecclesias. Nam antè eum Anicetus, quum Romæ adesset illi Polycarpus, sententiam Asianorum tolerasse fertur apud Eusebium, *Lib.* v. C. xxiv. & quotquot Victore anteriores Episcopi. 2. Ejus exemplo, Theophilus in Synodo *Cæsariensi*, cum Narcisso Hierosolymitano; Palmas in Synodo *Ponticâ*; Irenæus in Synodo *Gallicâ*; Bacchyllus Corinthiorum Episcopus in *Achaiâ*, &c. Qui omnes ad praxim *Apostolorum* successivè traditam, provocabant.

Pro *Quartadecimanis* pronunciavit Polycrates Ephesiorum Episcopus, in Synodo *Asianâ* Ephesi coactâ, hinc literis ad Victorem datis, quibus constantissimam praxim indè à *Johanne* Apostolo, per Asiæ Ecclesias receptam, Victoris decretis opponit, & ad pacem hortatur. Quæ Synodus, memorata Eusebio *Lib.* iv. C. xxiv. malè inter *reprobatas* censetur, in Tomis

mis Conciliorum. Atque hinc schisma Ecclesiarum, in Controversiâ quæ nihil ad fidem attineret, Victore *Asianos* excommunicante. Eusebius disertè, Victorem scriptis literis, & edicto quodam, *proscripsisse omnes*, & ἀκοινωνήτους pronunciasse.

XI. *Schismata hoc Seculo nata.*

I. Potissimum fuit sub M. Aurelio Antonino, Commodo, Severo Imperatoribus, in causâ *Montani*; qui cum Priscillâ & Maximillâ Prophetissis suis, & Alcibiade, Theodoto, sociis aliis, *Asianas* & *Phrygianas* Ecclesias mirè conturbavit, apud Eusebium *Hist.* L. v. Epiphanium *Hær.* XLVIII. Dissidii *causa*, quod, vigente adhuc nuper dono Prophetiæ in Ecclesiis, accederent plurimi Montano & sociis, ac prophetico Charismate verè instructos eos esse fascinati crederent. Accedebat species externa castitatis, jejuniorum, constantiæ in persecutione &c. Undè pii multi illaqueati, & in partes scissa per factiosos Ecclesia.

II. Alterum in causâ *Victoris* Romani contrà *Polycratem* & Asianos. Ubi rursùs observantur,

1. *Antecedanea* schismatis: Praxis nempè Ecclesiarum pridem varians, tùm quoad formam *jejuniorum*, tùm quoad *diem* Paschatis festum, aliis XIV. Lunæ, more Judaico, aliis Dominicum sequentem. Hinc dissensiones jam diu obortæ inter Orientalem & Romanam Ecclesiam, quibus factum ut *Polycarpus* Romam concederet, ad *Anicetum* Episcopum, sub Antonino Pio, non (ut Baronius) sub M. Aurelio,

lio, & cum eo de hiſce aliiſque levioribus conferret,* fruſtrà quidem, ſed tamen fraternè & ſine contentionis ſtudio, cum mutuo amplexu, & mutuâ communione.

2. *Cauſa proxima* hujus diviſionis: Nempè illinc Victoris Romani Epiſcopi molimina, ut Aſianas & Orientales Eccleſias, factâ lege, reduceret ad obſervantiam diei Paſchalis *Dominici*; hinc Polycratis Epheſii, Viri ſenis, cedere neſcii Victoris imperiis, aut terreri minis, conſtantia in obſervandâ majorum traditione, undè decretum Aſianæ Synodi, pro *decimâquartâ* Lunâ, & literæ ad Victorem datæ: Quod adeò impotenter tulit Victor, ut illicò Aſianas, vicinarumque Provinciarum Eccleſias, ſententiâ latâ, & literis miſſis, communione & fraternitate prohiberet, ſeu *pronunciaret* ἀκοινωνήτους. Author eſt, diſertis verbis, ex publicâ fide, Euſebius *Lib.* v. *Cap.* XXIV. & poſt eum Socrates, alii.

Quanquàm vult Doctiſſ. Valeſius, & cum eo plerique recentiores, ac multis Natalis Alexander, *Diſſert.* v. *Art.* v. Victorem non excommunicâſſe ipſo facto Aſianos, ſed tantùm *interminatum* eſſe excommunicationem, ſic *Notis* ad Euſeb. p. 105. Quod de irrito effectu ejus ſententiæ per Victorem latæ, nec rupturæ idcircò omnimodam pacem, accipiendum eſt. Hujuſmodi autem interdictio communionis *facti* fuit, non *juris*, & potuit quilibet Epiſcopus hoc modo fraternitatem aliis vel ſocietatem renunciare, frequentibus exemplis.

3. *Conſequentia* Schiſmatis: Cujuſmodi fuêre; Primò, facti animique Victoris damnatio, improbatio, cùm ab Aſiaticis aliiſque Eccleſiis, tùm

tùm à Gallicanâ ipsâ: Scribente nempè hujus nomine *Irenæo* Lugdunensi, post coactam Synodum, ad Victorem Romanum, & partim graviter *objurgante*, ob insolentius factum, partim *cohortante*, ut decessorum exemplo, in re leviori, communionem cum dictis Ecclesiis coleret, quæ traditum sibi primitùs morem custodirent. Habet Epistolæ verba Eusebius, *Hist. Lib.* v. *Cap.* xxiv. quæ nec fructu caruerunt.

Secundò, antiqui moris continuata observantia, plerisque *Orientalibus*, saltem ad Nicænam Synodum usque, ut celebrarent xiv. Lunâ, ex Athanasio, Chrysostomo, Eusebio de Vitâ Constantini, &c. Fatente & de *Syris*, *Mesopotamenis*, *Osroënis*, Henr. Valesio, qui redierint mox ad priorem observantiam. Imò & de *Britannicis* in Occidente Ecclesiis, observâsse diu Orientalium morem, author est Beda in Historiâ *Anglo-Saxon.* & contentiones, hoc nomine cum Romanâ Ecclesiâ exortæ, testantur Seculo VII.

XII. *Res Judæorum hac ætate.*

Huc referri summariò debent,

I. Renata Judæorum multitudo, & myriades passim per Orbem terrarum dispersæ, cumprimis in Asiâ, Africâ, Ægypto; undè Gentis animi, & feroces spiritus, & sævities passim ab iis exercita, ac tentata non semel instauratio Reipublicæ.

II. Rebellio prima sub *Trajano* Imperatore, circà annum Trajani XIIX. cumprimis in Palæstinâ, Ægypto, Lybiâ, Cyrenaicâ, Cypro & vicinis oris, magnis per Judæos stra-

gibus editis, de quibus Dio Cassius, Spartianus, Eusebius, &c.

Tum Rebellio altera sub *Hadriano*, omnium dignissima memoratu, non sub Trajano ut David Ganz, & Magistri, minùs sub Vespasiano, quæ imperitia Judæorum est.

1. *Initium* illius fuit circà annum 11. Hadriani, progressus circà A. xvi. ut Eusebius in *Chronico*; Legato Cæsaris in Palæstinâ Tinio Rufo.

2. Occasio variè à variis reddita, seu quod Hierosolymam, ab Hadriano anno 11. Imperii restaurandam, indignè ferrent à Gentilibus habitari, in eaque sacra fieri Jovi Capitolino, in loco prioris Templi; seu quod non ferrent duræ servitutis jugum.

3. *Caput* Rebellionis impostor quidam, qui se *Bar-Cochab* seu filium stellæ, *Cochibus* Hieronymo, allusione ad *stellam* ex Jacobo orituram, *Num.* xxiv. nuncupabat, hinc se Messiam instauratorem Regni, à Prophetis prænunciatum; hinc & stipulam in ore accensam anhelitu ventilabat; ut ignes evomere videretur, stellarum illos imitatus, ex Hieronymo *Apol.* 11. *advers.* Ruffin.

4. *Sedes* belli Palæstina, *Bethera*, aliis Bethar, Bitter, vel Bittur Regia Barcochabi, urbs munitissima, vicina Hierosolymis, quæ post longissimam obsidionem, tandem à Romanis expugnata, Judaïcæ tragœdiæ theatrum fuit.

5. *Exitus* luctuosus miseræ Genti, quæ postquàm Romanos variè exercuisset, in Christianos etiam (quod suppetias negarent) sæviisset immanem in modum, tandem fame, siti, præliorum stragibus deleta, arcibus suis expulsa, capite

capite suo Bar-Cocabo (qui veriùs *Bar-cozba*, *Cuziba*, seu filius mendacii) orbata, ac Palæstinæ finibus æternùm proscripta fuit. Stragem Judæi augent ad 400. myriadas. Plura Historici ex Dione, Spartiano, Justino, Tertulliano, Eusebio, Sulpicio, Hieronymo, Orosio, &c. & quoque Scaliger ad Eusebii Chronicon, ac rei *Nummariæ* illustratores.

6. *Utilitas* quæ ex hac calamitate Judæorum ad Christianos Hierosolymitanos rediit; Tum enim purgatam à Judaismo & Legalibus fuisse eam Ecclesiam, nec admissos ampliùs Episcopos ex Circumcisione, ut factum hucusque fuerat, testes sunt Eusebius, L. IV. *Hist.* C. VI. & Sulpicius *Hist.* II.

III. *Scholæ* Judæorum hac quoque ætate celebratæ; Altera quidem, sed minùs illustris, post destructam Hierosolymam, *Jafnæ* seu *Jamniæ* Judææ exculta, antè dispersionem sub Hadriano; altera *Tiberiade* in Galilæâ Palæstinæ. In utraque celebrant Talmudistæ passim Magistros Rectoresque complures, in iis principem R. *Akibam*, sub Hadriano, infensissimum Christianis Scriptorem, & *Aquilam* Ponticum novæ Versionis auctorem, proselytum justitiæ, ut vocant, malè confusum cum *Onkeloso*. Omnium verò in Tiberiensi Scholâ celebratissimus fuit R. Jehuda, dictus *Hakkadosch* seu *sanctus*, Tiberiadis Scholæ princeps, denique (ex tabulis Judæorum) imprimis charus ac familiaris Pio Antonino Imperatori. Atque is est Traditionum Judaïcarum collector, & author *Mischnaioth*, seu δευτερώσεων, circà An. CXC. colligendarum in volumen, quod sacrum deinceps Synagogis, hoc seculo desinente, esse

 cœpit.

cœpit. Quibus etiam *Tiberienſibus* Magiſtris, ex Aben Ezræ & Eliæ Levitæ ſententiâ, debetur *Maſorethicum* opus, ſeu Critica omnis ſacra Hebræorum, Buxtorfio aliiſque reclamantibus.

XIII. *Res Gentilium, ſeu ſtatus Ethniciſmi.*

Huc ſtrictim referenda,

I. Vigens orbe toto *Gentiliſmus*, ſub Ethnicis Imperatoribus, & cumprimis ſuperſtitioſis, Trajano, Hadriano, Antonino, Aurelio, Commodo, Severo. Hinc præjudicia in Chriſtianos, & novæ quoque ſuperſtitiones, nova paſſim Delubra, nova Numina, novæ Statuæ, novi Ludi, Agones, quales v. gr. Ἀντινόεια in honorem Antinoi ab Hadriano conſecrati, vel Agon *Iſelaſticus* ſub Antoninis, cujus dùm meminit Auctor Carminum Sibyllinorum, ætatem prodidit &c. Fœditatem ſuperſtitionum, Juſtinus, Athenagoras, Tatianus, Theophilus Antioch. Clemens Alex, Tertullianus, Minucius, luculenter perſtringunt.

II. Odium *Chriſtianiſmi*, quod cum hujus incremento, & diſperſione per Orbem Romanum, in majus quoque crevit. Hinc *Perſecutiones* Cæſarum, Præſidum, Philoſophorum, Populorumque, de quibus ſuprà. Hinc quoque *cavilla* in Chriſtianos, quibus audiebant *Aſinicolæ* (cavillo à Judæis & Gnoſticis in Chriſtianos torto) homines *novelli*, *ſordidi*, *rudes* artium, *pauperes*, *deſperati*, *temerarii*, *Crucicolæ*, *Sibylliſtæ*, *Piſcicolæ* vel *Piſciculi*, &c.

III. Celebriores quidam adverſarii Chriſtiani nominis in Philoſophis Gentilium, partim

tim ſcriptis editis, partim habitis diſputationibus in Chriſtianos. In iis fuêre hoc Seculo præ reliquis inſignes,

Creſcens Philoſophus Cynicus, homo vitæ impuriſſimæ, παιδεραστὴς Tatiano, ac Chriſtianorum inſignis ſub Antonino & Aurelio inſectator. Qui cum Juſtino Martyre Romæ commiſſus non ſemel, perſecutionem in eum excitavit, ex Juſtino ipſo, Tatiano, Euſebio.

Lucianus Samoſetanus, Epicuræus, Ἀπιστόtατος, nec tamen is, ut Suidas, Chriſtianus & Concionator Antiochenus, inſigni errore, fortè ex Luciano Presbytero Antiocheno, ac martyre ſub Maximino. Si autem Doctioribus fides, & Luciano ipſi in *Alexandro* ſuo, educatus in ſcholâ Apollonii Tyanæi, à præſtigiatore & pæderaſtâ, hinc Scepticus ſimul & Scopticus, undè illi δυσφήμου ſeu *maledici* cognomentum. Aliis quidem putatur ſub Trajano, aliis veriùs ſub M. Aurelio & Commodo, Chriſtum & Chriſtianorum Religionem eſſe inſectatus, quorum tamen aliquando Ritus confudit cum Judaicis.

Celſus Epicuræus, ab omnibus diſciplinis, verſutie, eloquentiâ, inſtructus ſuprà fidem; & huic Celſo inſcripſit Librum Lucianus, cui titulus *Alexander*, ſeu *Pſeudo-mantis*. Cujus quæ fuerit in Chriſtum Servatorem, in Chriſtianos, in Scripturas Sacras, maledicentia, vel unus Origenes docet, *Libris* VIII. contrà Celſum, quibus Celſi, fato jam functi, Ἀληθῆ Λόγον, perniciosiſſimum in Chriſtianos ſcriptum, tributum in 2. Tomos, egregiè confutavit.

Peregrinus Philoſophus itidem Cynicus, qui

& *Proteus*, sub Marco Imperatore opponendus quoque Christianis fuit, suis præstigiis, ac tandem spontaneo vivicomburio; æmulus quasi gloriæ Martyrum, qui ad rogum damnati essent. Ipse olim Christianus, posteà ejectus, vitâ impurissimus, & de quo Athenagoras, Lucianus non semel, A. Gellius, Tertullianus, Ammianus, cui postremo *clarus Philosophus* est.

Finis Rerum Seculi Secundi.

SECULUM TERTIUM.

Tertii Seculi primordia incidunt in annum Christi vulgarem CCI. Severi Imperatoris communiter annum VIII. Coss. Anno Fabiano, & Nono Muciano; alios quanquàm signet pro more Baronius; confusis Epochis Verâ & Dionysianâ.

Compendiosa hujus Seculi facies ad sequentia Capita revocatur:

I. *Status Ecclesiæ hoc ineunte Seculo.*

I. *Sedes* quidem Ecclesiæ fuit Orbis cognitus propemodùm universus, teste cumprimis Tertulliano, quâ parte accessibilis Christianis fuit.

II. *Doctores* adhuc tùm superstites, quorum scripta memorantur, fuerunt Irenæus, Tertullianus, Pantænus, Serapion Antiochenus, Cajus Romanus, Clemens Alex. secundùm alios & Minucius Felix, referendus certè ad primordia hujus Seculi.

Præ-

Præerat verò *Romanæ* Ecclesiæ Victor, cui mox Zephyrinus succeffit, *Hierosolymitanæ* Narcissus ætate grandævus, *Antiochenæ* Serapion, *Alexandrinæ* Demetrius, *Cæsariensi* Theophilus, favens causæ Victoris, &c.

III. *Felix* sic satis Ecclesia, nondùm infesto Christianis Severo Imperatore, iisdemque ad Reip. etiam munia admissis, mox tamen persequendis.

Præcipui verò tùm Ecclesiæ *hostes* fuère, partim Gentilium *Philosophi*, partim *Pseudo-Christiani*, quales Gnostici, Marcionitæ, alii, de quibus suprà, & Theodoti atque Artemonis nascens Hæresis.

II. *Propagatio Ecclesiæ hoc Seculo.*

Huc spectant I. *Existentium* jam Ecclesiarùm incrementum, quibus indies novi hospites, Christiani novi accederent. Hinc mira incrementa Ecclesiarum, Palæstinæ, Alexandrinæ, Antiochenæ, Asiaticæ, Græcæ, Thracicæ, Romanæ, Gallicæ, Britannicæ, &c. ex Tertulliano passim, Origene, Eusebio, aliis.

II. *Non existentium* antè Ecclesiarum plantatio: Quomodò hoc Seculo novæ passim Ecclesiæ natæ, in *Arabiâ* Origenis ministerio, apud Eusebium; in *Galliâ*, sub Decio, ex Gregorio Turonensi; in *Scotiâ*, *Hispaniâ*, *Helvetiâ*, &c. apud harum Antiquitatum Scriptores; Et de Scotiâ vulgatum est Distichon,

Christi transactis tribus annis atque ducentis,
Scotia Catholicam cœpit habere fidem.

III. Eô hæc illustrior propagatio, quo fuêre 1. Insigniores qui Christo nomen dederunt,

Viri Celebres, Philosophi, Persecutores, Principes viri fœminæque. In his feruntur Arabum quidam Princeps, Mammæa Alex. Severi mater, & Philippus uterque Imperator, apud Eusebium *L.* vi. *C.* xx. xxi. &c. & qui hunc secuti. De *Philippo* tamen dissentit Scaliger in Eusebium, & cum Scalig. Casaub. Viri alii magni, repugnantibus reverà hujus conversioni non paucis, quicquid probetur ista Baronio ad Annum ccxlix, ac nuper Doctiss. Huëtio, tacentique ad Eusebianam narrationem Valesio. Quâ de re in majori Introd. pluribus.

2. Graviores etiam hoc seculo in Christianos persecutiones, ac frequentiores, ex dicendis infrà. Ut verè sanguis Martyrum audiverit *semen Ecclesiæ*, fueritque flamma persecutionum instar fornacis illius Babylonici, in quo *quartus* accessit.

III. *Doctrina Catholica hujus Seculi.*

I. Colligitur illa quàm certissimè, 1. Ex *Symbolis*, formulisque publicis; puta symbolo Romano, Alexandrino, Antiocheno, de quibus ex Veteribus referunt Armachanus, Vossius, Forbesius, Eruditi alii.

2. Ex *Patribus* qui hoc scripsêre Seculo, & in quibus sufficere possunt genuina *Clementis Alex. Tertulliani*, *Origenis*, *Hippoliti Mart. Minucii Felicis*, *Cypriani*, *Gregorii Neo-Cæsar.* monumenta, præter Eusebiana passim testimonia, & fragmenta.

II. Ex his quidem constat *fundamentalis* doctrina eadem cum prioribus seculis, & cum hodiernâ Catholicâ Ecclesiâ. Et summam ejus, quam

quam dicunt *Regulam fidei* & *veritatis*, exhibent Irenæus, *Lib.* 1. C. 11. Tertullianus de Præſcript. C. XII. & de Veland. Virgin. in initio. Origenes in Procemio *Libri* περὶ Ἀρχῶν, Gregorius Neo-Cæſarienſis, in Symbolo, ex Ruffini interpretatione *Lib.* VII. C. XXV. &c.

III. Quod ad *controverſa* hodie Capita, eximia ſunt omninò in dictis Patribus loca,

Pro, *Scripturarum* Authoritate, Sufficientiâ, Canone eodem cum noſtro;

Pro Dei *Unitate* in *Trinitatem* diſpoſitâ, ut loquitur Tertullianus, Patre, Filio, & Spiritu S.

Pro *Filii* æternâ & ineffabili generatione, ac proceſſione *Spiritûs S.*

Pro *Peccato* Originis, *Corruptione* Hominis, *Redemptione* ac *Satisfactione* per Chriſtum;

Pro Divinâ *Gratiâ*, & *Juſtificatione* per ſolam *fidem*, abſque operibus Legis;

Pro *Adoratione* & *Invocatione* unius Dei;

Sic contrà *Traditiones non ſcriptas*, quæ ad fidem, contrà *Papæ* Monarchiam, contrà *Purgatorium*, *Cultum imaginum*, *Angelorum*, *Tranſſubſtantiationem*, *Communionem ſub unicâ* &c.

Loca in hanc rem luculenta, ex hujus ſeculi monumentis, produximus nonnulla, in majori Introduct. T. 1. à *pag.* 277. Adeant præthereà, qui voluerint, Magdeburgenſes, *Cent.* III. *Cap.* IV. Fl. Illyricum, in *Catal.* M. Chemnitium *ad Concil. Trid.* Scultetum in *Medullâ Patr.* Laurentium in *Conſenſu Catholico*, Forbeſium paſſim in *Inſtructionibus*, Hottingerum, *Hiſt. Eccleſ.* C. III. Bebelium nuper in *Antiquitatibus Eccleſiæ*, & Theologos qui has ſigillatim tractavêre ex omni Antiquitate Controverſias.

versias. Origenis speciatim doctrinam, per omnia capita, persequitur fusè Doctiss. Huëtius, in *Origenianis*, *Lib.* 11. at malè cum hodiernâ Pontificiâ, quæsitis exceptionibus, passim conciliat.

IV. Indubii tamen sunt errores non pauci præcipuè Clementis Alex. Tertulliani, Origenis, Auctoris Constitutionum Apostolicar. locutiones certè incommodæ, nominatim in Capite de *Trinitate*, de *Personâ Filii*, de *Naturâ* & *Gratiâ*, &c. unde Ario & Pelagio prælusisse non paucos Veterum, præter Origenem, multis ipse Petavius, *Lib.* 1. *de Trinit.* & qui de *Gratiâ* contrà errores Pelagianos. Susceperunt tamen eorum patrocinium, Viri docti hactenùs, ut non unum discrimen inter sententiam eorum Patrum, & illam damnatarum Hæreseôn, demonstrarint, etiam Petavius, Huëtius, & assertores Gratiæ Pontificii.

V. Sed & usi hujus jam seculi Patres multis vocibus, quæ in pessimum deinceps sensum abiêre, & longè alienum ab usu ejus ætatis. Hujusmodi illæ *Traditionis*, *Sacrificii*, *Sacerdotis*, *Altaris*, *Satisfactionis*, *Confessionis*, *Pœnitentiæ*, *Indulgentiæ*, *Jejunii*, *Meriti*, &c. de quibus Theologi.

IV. *Ritus*, *Ceremoniæ*, *Mores hujus Seculi*.

I. Rituum hoc Seculo facta non levis accessio est, & quo plus à primâ ætate, hoc plus à simplicitate discessum est; nôn paucis à Paganismo in Christianismum traductis, multis deinceps

ceps in abusum versis, nonnullis obsoletis, ut posteà.

Intelliguntur cumprimis ex *Tertulliano*, *Minucio*, *Cypriano*, *Eusebio*, Authore *Constitutionum Apostolicarum*, & ex *Canonibus* vetustioribus.

Conventus sacri.

1. *Cœtum*, *Congregationem*, *Collectam*, *Ecclesiam*, etiam *Stationem* vocant, in quibus fiebant Orationes, Psalmodiæ, Lectio Scripturarum, & ad lecta Homiliæ, Sermones, Διηγήσεις, &c. *Agenda* fuêre jam ad superius Seculum enumerata, ubi & de conventuum *Tempore*.

2. Fiebat lectio, & allocutio ad cœtum, ex Pulpito, Tribunali, Catastâ, Ambone, loco eminentiore, ita jam vocarunt; deinceps crescente fastu, quem in *Samosateno* notarunt hac ætate Antiocheni, dixerunt *Thronum*.

3. An *Templa* hoc seculo, *Basilicas*, *Sacella* splendida, præter Cœmeteria, Areas, Ædes majores, Cryptas, Latibula, id genus loca Conventuum, habuerint Christiani, haud convenit Eruditis. Contrarium certè videtur ex conditione temporum, & ex Celso apud Origenem, Cœcilio apud Minucium, atque ex Arnobio *Lib.* VI. Apocryphis nulla fides est.

4. Nulla verò toto hoc seculo propriè quidem dicta *Altaria*, ut nec veri nominis *Sacrificia*, non *Cerei* vel *lucernæ* interdiu accensæ, non in Ecclesiis *Imagines*, *Simulachra*, *Cruces*, *Incensa*, *Aqua Lustralis*, &c. vel iisdem testibus, quicquid fingant Apocrypha. Quæ ex

Canonibus, *Apostolicis* vulgò, objiciuntur, Dallæus aliique diluerunt.

Baptismus.

Licet magna adhuc Baptismi *simplicitas* fuerit, ex Tertulliano, *de Bapt.* C. II. tamen accesserunt hac ætate huic Sacramento, partim ritus *medii*, partim insignes *nævi*.

1. *Medii ritus*, quales v. gr. Variæ interrogationes ac responsiones certis Formulis; Jejunia; Pervigilia; Baptizati Unctio; Osculatio; Datio lactis & mellis; Signatio, &c. Sic & *tempus* magis solemne deinceps Baptismo dicatum, Pascha videlicet & Pentecoste, integrâ hebdomade, ob baptizandorum multitudinem.

2. Ad *nævos* referimus, v. gr. *dilationem* Baptismi donec pueri adolevissent, urgente hanc magnoperè Tertulliano; *Rebaptizandi* consuetudinem, si qui fuissent ab Hæreticis tincti, certè in Africanis Ecclesiis; Administrationem baptismi per *laicos*, in casu necessitatis, probante & Tertulliano, de Bapt. C. XVII.

Eucharistia.

1. Magna etiam in celebratione Eucharistiæ, uti Baptismi, simplicitas fuit, ex Tertulliano *de Cor. Mil.* C. III. & Cypriano passim, & ex conditione temporum, missis Apocryphis, seu Pseudo-Liturgiis *Petri*, *Matthæi*, *Jacobi*, *Marci*, *Clementis*, *Barnabæ*, *XII. Apostolorum*, *Dionysii Areopagitæ*. Hinc Zephyrino illud adscriptum, ex Gratiano & Platinâ, quanquàm falsò, ut Consecratio fieret in *vase vitreo*,

vitreo, non *ligneo*. Hinc etiam Rituum Missalium, *Vestium* Sacerdotalium, *Introitûs*, *Litaniæ*, *Hymni Angelici*, *Lectionis Evangelii*, *Offertorii*, totiusque *Canonis*, seu ordinis precum, & actionum Sacerdotis, successiva origo sequentibus secul. constabit, Walafrido, aliisque pridem testibus.

2. *Tempus* deinceps *matutinum*, quâ de mutatione prolixè disserit Cyprianus, Epist. ad Cæcilium. Quanquàm aliis in locis adhuc *Vesperâ* celebrasse, etiam post *cibum*, seu *in tempore victûs*, ne Pamelius vel Rigaltius negent. Solemnius tempus *Dominica* fuit, alicubi & *Sabbathum*, imò & celebrasse *cotidie* ex eodem Cypriano constat.

3. Panis tùm adhuc *fermentatus*, & *fractus*; Vinum *aquâ* mixtum; Communio sub specie *utrâque*; Administratio *clarâ* voce & *intelligibili* peracta; *Lingua* Populis nota; Participatio à *stantibus*, & *manu* accipientibus de manu *Præsidentium*, seu Presbyterorum, alicubi Diaconorum; *Habitus* Clericorum simplex, &c. haud invitis Albaspinæo, Rigaltio, Valesio, nec plerumque Card. Bonâ, in recentioribus Pontificiis. Videantur quæ ad superius Seculum.

4. *Abusus* tamen nonnulli & *nævi* hac jam ætate in Eucharistica Sacra invecti.

Quales v. gr. *Aqua* alicubi vini loco usurpata; *Infantibus* Eucharistia dari cœpta; *Delatio* ejus ad ægrotos, ad absentes, ad Episcopos longè dissitos; *Intinctorum* usus, loco utriusque symboli; *Asservatio* à nonnullis facta; *Confessio privata* in Orientalibus Ecclesiis prærequiri cœpta, &c.

5. *Ignota* verò fuêre, Elevatio Euchariſtiæ conſecratæ, Adoratio, reſervatio in Sacrario, Circumgeſtatio, Genuflexio, Miſſæ ſolitariæ, Communio ſub unicâ, ut & Cantiones, Litaniæ, Antiphonæ, Habitus ſacerdotales, Canon Miſſæ Gregorianus, &c. Sed neque adhuc *exeuntibus*, ſeu migraturis è vitâ, præberi ſolita fuit Euchariſtia, *viatici* loco, ut apud Latinos poſteà factitatum.

Agapæ, Jejunia, Feſta.

1. *Agaparum* idem ritus obtinuit, de quo ad ſuperius Sec. & quem deſcribit Tertull. *in Apologet.* Primùm quidem *antè* participationem panis Euchariſtici, deinceps verò, Cypriani jam ætate, *poſt* eam inſtitutæ.

2. *Jejuniorum* publicorum ut varia admodùm, ſic libera adhuc fuit obſervatio, teſte poſt Irenæum, apud Euſebium *Lib.* v. C. XXIV. ipſo Tertulliano Montaniſtâ, *de Jejun.* C. 11. Nempè Catholicos, quos *Pſychicos* vocat, voluiſſe jejunia *ex arbitrio agi, non ex imperio*, non *ſub lege præcepti*, non revocatâ *Judaicâ lege*, in *abſtinentiâ quorundam ciborum*, &c. quæ Montaniſtarum praxis eſſet.

Uſitatiora jejunia, *feriæ* IV. & VI. & *ante-Paſchale* jejunium, quod *Quadrageſimæ* nomine venit non dierum ratione, ſed horarum veriùs, de quo poſt alios Dallæus noſter. Nec *Quadrageſima* apud Latinos diſtincta adhuc fuit ab *ante-Paſchali* jejunio, fatente nuper Thomaſſino, *de Jejuniis*. Circà verò tertii ſeculi extrema, Romana Eccleſia etiam *Sabbatho* jejunare cœpit, in memoriam ſcilicet Sepulturæ Chriſti, ut

ut Albaspinæus *Lib.* I. C. XIII. quod Orientalibus nefas, & interdicit Auctor Constitutionum, *Lib.* V.

Jejunabant aliquando ad *vesperam*, aliquando ad *Galli cantum* seu auroram, ut Sabbatho sancto, aliàs etiam ad *nonam* tantùm, semi-jejunio, ut stationum diebus, ex Tertulliano. Reliqua Romanæ Ecclesiæ jejunia, adhuc ignota, *Quatuor Temporum*, *Adventûs*, *Rogationum*, &c.

3. *Festi* dies nondùm alii Christianis, ex Tertulliano, Origene, & genuinis monumentis, præter *Dominicam*, *Pascha*, *Pentecosten*, & horum Festorum *Vigilias*, seu *Parascevas*. Nisi addis memoriam *Ascensionis* Domini in Cœlum, quam Augustinus *Epist.* CXVIII. inter solennitates ab Apostolis acceptas refert.

Fallunt rursùs ψευδεπίγραφα quæ perperàm adscripta Clementi Rom. Dionysio, Ignatio, &c. dùm Festa hac ætate multiplicant: Ingenuus in multis Thomassinus est, Presbyter Gallus, in novitate *Festorum* agnoscendâ.

Ritus circà Defunctos.

1. Constans hoc seculo Martyrum *sepultura*, & compositio Reliquiarum, in communibus Cœmeteriis per Copiatas vel Fossores, adhibitâ *oratione*, nec sine funebri pompâ; Nondùm tamen adhibitis interdiu Cereis, Crucibus, aliis sequioris ævi, quicquid Apocrypha, & Acta commentitia.

2. *Memoriæ Martyrum*, *Natalitia* dixêre, anniversario ritu celebratæ, seu *annuis diebus dormitionis*, ut Tertullianus. Hinc Panegyres

iis

iis diebus more Gentilium, convivia seu Agapæ funebres, alia lætitiæ argumenta: Legem de his quoque sanciente Gregorio Neo-Cæsariensi, apud Nyssenum in ejus *Vita*.

3. *Oblationes pro Defunctis*, vel *pro Natalitiis*, in usus pauperum, viduarum, ipso Commemorationis die, tanquàm eleëmosynæ quædam, & *μνημόσυνα*, præstita à ditioribus, amicis, consanguineis, uxoribus, &c. Frequens de his apud Tertullianum, Origenem, Cyprianum mentio, quæ trahit absurdè Baronius cum suis ad Missæ sacrificium.

4. *Preces pro Mortuis*, quæ & ipsæ *Oblationes* dictæ, & pro Mortuis quidem *omnibus*, *in Christo quiescentibus*, jam initio hujus seculi ex Tertulliano notæ, ex Pseudo-Sibyllinis, & ex omnibus Liturgiis veterum: falsâ ex hypothesi de *Sequestratione* Animarum ad diem Judicii, & Satanæ in eas machinationibus, seu *Tartari*, *Inferni*, *Leonis*, &c. & ex Paganâ quoque disciplinâ. Nullæ autem preces *ad Mortuos*, *ad Sanctos*, qui & ipsi viventium precibus egerent.

5. Opinio jam nata, vivos *Defunctorum orationibus* vel auxiliis *juvari*, ex Platonicâ rursum disciplinâ; Quamquàm de locis quibusdam Origenis, ut à *Ruffino* interpolatis, suspicio est. Animas autem Sanctorum pro Ecclesiâ jugiter orare, rectè illi hactenùs, ex *Apoc.* VI. 9. Nullum verò *Invocationis* Sanctorum exstat hoc seculo vestigium.

Ritus

Ritus alii Miscellanei.

Huc faciunt, signaculum *Crucis*, in aëre efformatum, distinctionis ergò, à Gentilibus.

Orationum varii ritus, ratione sitûs, gestûs, formularum, horarum, objecti pro quo oraretur, de quibus certiora ex Tertulliano, Origene, Cypriano, Eusebio, plenior *Introductio* nostra, & alii. *Litaniæ*, cum perpetuis repetitionibus & antiphonis, nullæ hoc Seculo apparent. Nullæ etiam ad Virginem, ad Sanctos, preces, adeò ut Origenes, Libro *de Orat.* nuper primùm Oxonii edito, ne *Christum* quidem, ut distinguitur à *Deo Universi*, orari voluerit.

Exorcismus Dæmonum, vigente adhuc dono miraculorum, traductus deinceps ad ordinarium Baptismi ritum;

Adde, Abstinentiam à *sanguine & suffocato*; Fugam *spectaculorum*; Virgines jam Deo *devoveri* cœptas, quanquàm voto solvi apto; alia, quæ ad temporis illius *Disciplinam* spectant.

Mores Christianorum hujus Ævi.

Magna utique adhuc in moribus simplicitas, & ardens charitas, undè *officia* illa mutua, speciatim in Pauperes, Viduas, Ægros, Captivos, Morientes, &c. de quibus Tertullianus *Lib.* II. ad Uxor. & passim, Cyprianus, Origenes, Eusebius.

Studiosè etiam abstinebant ab omnibus quæ *Gentilium* superstitionem redolerent. Sensim tamen à primâ cum simplicitate, tum integritate discessum est, in Ritibus, Moribusque. Et

glíscuit

gliscuit corruptio ut in Clerum, sic in plebes Christianas. Hinc cumprimis in Episcopis & Clericis fastus, ambitio, æmulatio, dissidia, tyrannis, fraudes, alia, de quibus queruntur passim Epistolæ Cypriani, & testatur Eusebii Historia, nominatim *Lib.* VIII. C. I. Indè quoque posteà Rituum pompa, & Ceremoniarum apparatus.

V. *Disciplina Ecclesiastica hoc Seculo circà Lapsos, Pœnitentes.*

I. Magnus Disciplinæ rigor hac cumprimis ætate, cujus rationem totam vel ex Tertulliano, Cypriano, Origene, Gregorio Neo-Cæsariensi, Illiberitanis, Eusebio, luculenter intelligimus.

II. Objectum ejus *Lapsi*, seu in crimen scandalosum, lege plectendum, qualia *Homicidium*, & *Moechia*; aut Incestus, seu *Apostasiâ* lapsi. Hique rursum vel *Sacrificati*, *Thurificati*, Idolatriâ polluti; vel *Libellatici*, *Libellati*, qui pecunia *libellos* impetrassent, tùm ne traderentur, aut quod essent traducerentur, tùm ne cogerentur immolare; professi tamen se Christianos non esse, ex Tertulliano, & Cypriano. Rursùs alii *publicè* lapsi, alii *occultè* quidem, sed spontè se ad Pœnitentiam sistentes.

Ex lapsis fiebant *Excommunicati*, ligati, ejecti, exauthorati, plurimis apud dictos Scriptores exemplis; tum ad pœnitentiam publicam admissi fiebant *Pœnitentes*; donec pace datâ rursum *Fidelibus* adscriberentur.

III. *Pœnitentia*, sensu metonymico, ut *peti* debuit, sic nec omnibus *data*, non certè *relapsis*.

lapsis. Primus verò ejus actus fuit *Exomologesis*, id est strictiori jam sensu *Confessio*, eaque primitùs *publica*, minimè secreta, ut malè, post Petavium, Valesius Notis ad Socrat.

Ast ex *publicâ* mutari cœpta est in *privatam*, labente Seculo III. post Decianam persecutionem, in Ecclesiâ Græcâ & Orientali, constituto Presbytero *Pœnitentiario*, ἐχεμύθῳ, in Ecclesiis singulis, qualem adhuc ignorarunt Tertullianus, Cyprianus. Patet ex Socrate, & Sozomeno, factumque circà A. C. CCLX.

IV. Confessionem sequebatur *satisfactio* Canonica, id est professio *Pœnitentiæ* loco à cæteris segregato, & primò extrà fores Ecclesiæ, habitu lugubri, cum sacco, cilicio, lachrymis, prostratione, adgeniculatione, injunctis jejuniis, non jam ad plures menses, sed *annos*, pro ratione delinquentium.

Rigoris hujus in foro *Ecclesiastico* causæ variæ & graves, cumprimis impunitas delictorum in foro *Civili*, ad quod non deferrentur.

Dubium verò an hujus ætatis, nisi fortè multum adultæ, fuerint *quatuor* illi sic distincti Pœnitentiæ *gradus*, dicti pro diversis *locis* pœnæ subeundæ, τόποι ἐπιτιμίων, ἐπιτιμήσεων. De quibus sanè extat Canon XI. adscriptus Gregorio Thaumaturgo, in ejus *Epist. Canon.* quo distinguitur *Fletus extrà portam Oratorii*; *Auditio in Porticu*; *Substratio intrà Templi portam, cum Catechumenis*; *Consistentia cum Fidelibus*; & tandem *Participatio*. Sed Doctiorum confessione, quicquid alii urgeant, Canonica illa Epistola, certè Canon postremus Gregorii nunquam fuit. Interim Προσκλαύσεως vel προσκλαύσεως, seu luctûs ad Fores Ecclesiæ, exstat exemplum apud Eusebium,

ſebium, ſub Zephyrino, *Lib.* v. C. XXVIII. *Et gradus* omnino fuiſſe videntur, quanquàm moroſiùs deinceps Canonibus diſtincti, prout ad ſequens Seculum.

V. *Tempus* huic *Pœnitentiæ miniſterio*, ut Tertullianus loquitur, aſſignatum, varium fuit; 1. pro ratione delictorum, 2. pro ratione diverſâ Eccleſiarum.

Delictis *ſummis*, ſeu *capitalibus*, in quæ deinceps ſtatuta pœna Capitis, ſcilicet *Idololatriæ*, *Homicidio*, *Adulterio*, aliquando *pax negata*, hac ætate, etiam in extremis; undè ad vitæ dies Pœnitentia extenſa. Sed mitigatus rigor eſt, poſt ſchiſma Novatianum, in Romanâ Eccleſiâ.

Aliquando *pax data* quidem, ſed in agone; aliquando *abſolutio* quidem, non *communio*, ne in fine quidem, variâ praxi Eccleſiarum. Ac major in Orientalibus & Africanis Eccleſiis rigor fuit, ſed & in Hiſpanicis, ex Canonibus Illeberitanis.

Lapſis, ſed per *vim* tormentorum, *triennium* poſſe ſufficere Cyprianus, *Epiſt.* LIII. vel LVI.

VI. *Abſolutio* poſt peractam Canonicè Pœnitentiam, (ubi hæc ad certos annos extenſa fuit, non ad vitæ dies) vel poſt factam indulgentiam, ad interceſſiones Martyrum, *publica* fuit. Eademque præviâ oratione, cum Impoſitione manuum, quam ſequebatur μίθεξις ſeu *communio*. Fruſtrà *Sacramentalem* dicunt, ſenſu Tridentino, ut Confeſſionem, ſic Abſolutionem iſtam.

Tempus datæ pacis ut plurimùm dies ſolemnis, uti Dominicus. *Privata* abſolutio etiam ægris indulta, & morituris. *Semel* verò tantùm.

tùm ut Pœnitentiâ, ſic pax conceſſa, nec iſtis ampliùs locus relapſis.

VII. Imminutus verò Diſciplinæ quandoque rigor, factâ *indulgentiâ*, 1. Ex causâ morbi, infirmitatis, deſperationis, mortis inſtantis. 2. Ex causâ interceſſionis Martyrum vel Confeſſorum, à quibus impetrarentur *libelli pacis*; ſed miro deinceps abuſu, de quo jam conqueſti Cyprianus, & Clerus Romanus, *Epiſt.* XXIX. & XXX. Cypriani.

VI. *Politiæ Ecclëſiaſticæ, Regiminis, Ordinum Sacrorum, Clerique conditio hac Ætate.*

I. *Regìminis* Clericalis eadem ferè ratio fuit, quæ Seculo ſuperiori, quoad Ordines ſacros, tribus tantum conſpicuis, *Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis*; Quanquàm de Epiſcopis controverſum, diverſi-ne ac ſuperioris *ordinis* haberentur; qui utique *gradûs*, Epiſcoporum manifeſtâ ubique hoc ævo προεδρία, ſeu jure præſidendi, convocandi, ordinandi &c.

II. Nulla tamen adhuc *Patriarcharum, Archi-Epiſcoporum, Exarchorum, Eparchorum, Catholicorum, Primatum*, aut etiam *Cardinalium*, in genuinis hujus ævi ſcriptoribus, nomina: Nam Pſeudo-Decretales, aut Pſeudo-Dionyſiana, & Apocrypha non moramur, nec uſum poſterioris ævi, quando v. gr. *Marcus* Alexandriæ *Patriarcha* audiit, in Originibus Alexandrinis, titulo à Judæis accepto.

Metropolitanorum, ſeu Epiſcoporum in urbe matrice, vel primâ ſede, ſua fuerunt hac ætate

ſuprà

suprà reliquos ejusdem *Provinciæ* jura: Imò in plures sæpe *Provincias*, Urbibus majoribus obnoxias, Romæ, Alexandriæ, vel ex Canone Nicæno VI. Nomen tamen nesciunt Tertullianus, Cyprianus, *primæ* licet *sedes* in Africà notæ.

Papa commune fuit Romano cum aliis Episcopis nomen, id est Patris, undè *Papa Cyprianus*, vel in Epist. Cleri Romani. Quemadmodùm Presbyteri, aut Diaconi *Cardinales* promiscuè posteà dicti, in Italiâ, Galliâ, qui primi vel *præcipui* essent in Ecclesiis; Sic deinceps *Archipresbyter*, *Archidiaconus* qui ordine primus. Romana autem Ecclesia sanè *principalis* habita, jamque *Petri sedes*, primi scilicet in Apostolis, audiit hoc Seculo, ut titulus sacer accederet ad Urbis dignitatem, & Ecclesiastica ratio ad Civilem. Ast nullum ipsi neque hocce, neque sequenti ævo, ex. gr. in Africanas, Asianas, Hispanicas, Gallicanas, Imperium, luculentis apud Tertullianum, Cyprianum, Eusebium, exemplis, & in Actis Conciliorum. Suam intrà Provinciam vel Diœcesim *potestatem* habuit, confirmantibus posteà Nicænis. Quàm miserè abutantur Baronius, Bellarminus, reliqui, dictis quibusdam vel factis Tertulliani, Cypriani, fusè Blondellus de Primatu, J. Capellus in Vindiciis Casauboni, Chamierus in Panstrat. & nos paucis in pleniori *Introd.* & *Vindiciarum Biblic.* P. II. p. 123. &c. Vide & infrà de *Synodis*, & *Schismatibus* hujus Ætatis.

III. Ignotæ &. aliæ id genus *Dignitates*, quæ à Civili Politià postmodùm in Ecclesiam translatæ.

Sed

Sed nec hujus ævi Ordines *minores*, quales Oſtiariorum, Copiatarum, Acolythorum, Exorciſtarum. Aſt ordinati jam tum in Eccleſiis *Lectores*, etiam *Subdiaconi*, ex Cypriano non ſemel.

IV. *Presbyteris* videntur hoc Seculo fuiſſe adhuc cum *Episcopis* communia, partes S. Miniſterii, ſollicitudo, regimen, habitus, jus ſuffragii; præterquàm jura præſidii, convocationum, ordinationum, ſimilia, quæ Epiſcoporum erant.

Diaconis, præter curam quoque Eccleſiæ, & Martyrum, Confeſſorum, cœpit eſſe miniſterium circà menſam Euchariſticam, antè & poſt Conſecrationem.

Sed & probatos *de plebe Seniores*, ſaltem in Africanâ Eccleſiâ, ex Tertulliano, Cypriano, ſic Gallicanâ, aliis adhibuerunt in gravioribus Eccleſiæ vel decernendis, vel exſequendis; ritu deinceps obſoleto ſub Chriſtianis Magiſtratibus. Aſt nullus ipſis in *ordinario* regimine Eccleſiæ tum locus fuit.

V. *Plurium* verò Eccleſiarum unius Provinciæ fuit amica conſociatio, ſub uno Metropolitano, coactis iis frequenter in *Synodos*: Sed & diverſarum Provinciarum, etiam Nationum Eccleſiæ, amicè in gravibus communicarunt, vel per literas vel per delegatos; undè Synodi unius, vel plurium etiam Nationum, ut infrà, & *Fratrum*, *Collegarum*, *Coëpiſcoporum*, *Conſacerdotum*, nomina, quibus & *Romani* Epiſcopi venerunt apud Afros, Aſianos &c.

VI. Porrò de Clericorum hujus ætatis ſimplici *Veſtitu*; libero *Conjugio*; rigidâ *Diſciplinâ*; de *Electionum* ritu, & *plebis* eâ ætate juribus,

bus, aliisque id genus, plenior nostra *Introductio* monet. *Ordinationes* peractæ adhuc solâ Impositione manuum, adjunctâ oratione, ministris deinceps, per Canones vulgò Apostolicos, *Episcopis*, uno, duobus, pluribus. *Unctionem* Presbyterorum, aut Episcoporum nescivisse hæc tempora, nescire adhuc Ritualia Græcorum, & Orientalium, fatetur post alios Joh: Morinus de Sacris Ordinat. *Rasura* autem Sacerdotum diu posteà adhuc in Hæreticis damnata, & Græcis in hunc diem, in Latinos hoc nomine invectis. *Decretales* quas objiciunt Zephyrini & cæterorum Pontificum Epistolas, cordatiores in Latinis rident.

VII. *Hæreses hac Ætate exortæ.*

I. Præcipuæ verò notantur sequentes, ex Tertulliano, Eusebio, Epiphanio, Augustino, Philastrio, &c. & Actis Conciliorum. Et Hæresis quidem *Hermogenis*, Afri, non multo anterioris Tertulliano, de Materiæ æternitate, ex quâ Deus Mundum condidisset, multis refutante impietatem Septimio, jam ad præcedens Sec. indicata. Neque is Hermogenes Rhetor sub M. Aurelio, de quo dictum, *Inter pueros senex, inter senes puer.* Pictor ille Hermogenes Tertullianæus, sed & *polygamiæ* fautor, undè istud Septimii, *Pingit illicitè, nubit assiduè.*

Ad initia verò hujus Seculi referenda videtur Hæresis *Prodici* cujusdam, aut ex Prodico sentientium, *μὴ δεῖν εὔχεσθαι*, *non esse orandum, Preces nihil efficere, Orationem esse rem supervacaneam*, argumento à *Providentia* Dei omnia decernente. Exagitandi hi Clem. Alexandrino, *Lib.* VII. *Strom.* & Origeni Libro *περὶ εὐχῆς*, hunc errorem refutanti. II. Hæ-

II. Hæresis verò *Noëti*, mox & *Sabellii*, illius Asiani, hujus Pentapolitani, post Decianam persecutionem erupit, unde *Noëtiani*, & *Sabelliani*. Confundebant *Personas* S. Trinitatis, tria esse nomina, tres appellationes, non tres hypostases? Unam tantùm in Deo esse ὑπόστασιν sensu *Personæ*, scilicet Dei υἱοπάτορος. Hinc Patrem sub Filii notione natum esse ex Virgine, & passum, undè *Patripassiani*, *Praxeæ* idem error adscriptus, sub finem Seculi prioris; contrà quem Tertullianus jam Montanista.

III. Hæresis vel Schisma *Nepotis* cujusdam Episcopi, laudatissimi aliàs à studio Scripturarum, & pietatis, revocantis errorem crassiorem *Chiliasticum*, & sensum terrenum *Promissionum*; reluctante huic Dionysio Alexandrino, apud Eusebium, Libro περὶ ἐπαγγελιῶν.

IV. Hæresis *Pauli Samosateni*, Episcopi Antiocheni, vanissimi hominis, ut testantur Patres Antiocheni, sed & sibi ac Clero suo indulgentis consuetudinem mulierum συνεισάκτων, ex Eusebio, L. VII. C. XXX. Hujus quidem Hæreseôs *tempus*, incidit in illud Gallieni Imperat. inclinante seculo; *Occasio* verò fuit, referente Theodoreto, *Zenobiæ* inclytæ Reginæ quæsita gratia, quam Judaizare, (nec Judæam tamen) hinc à fide Divinitatis Christi alieniorem esse, sciret Samosatenus: Alii, ut faciliùs converteret eam Fœminam; variè rem referunt.

Hæresis ipsa, eadem cum Artemonis illa fuit, Christum *merum fuisse hominem*, ψιλὸν ἄνθρωπον, dictum *Filium Dei* propter divinas operationes, & Λόγον, quasi Dei ad nos Oratorem.

De cætero *Filium Dei*, qui esset naturâ talis, profiteri visus est, sed à personâ *Christi* hominis distinctum, & qui in eo habitasset. Nec satis distinxisse personas S. Trinitatis, cum Sabellio, innuit Epiphanius *Hær.* LXVI. Ab hoc *Paulo* esse *Paulianistas* vel *Paulianos*, de quibus Canone XIX. Nicæno, creditur.

V. Hæresis *Manichæorum*, nata sub Probo proximè antè tempora Diocletiani. Authore primùm Scythiano quodam Saraceno, tum Terbintho seu Buddâ discipulo, ex Judæâ in Persiam profugo, tandem *Curbico* hujus servo, posteà hærede, *Manis* vel *Manetis* Persico nomine adoptato: Sed qui ob invidiam vocis dicendus posteà fuerit *Mannicheus*, ex Cyrillo Hierosol. Epiphanio, Augustino. Theodoretus, eum ipsum primò vocatum fuisse *Scythianum*, cùm servus esset, dein Dominæ suæ hæredem factum, sparsisse blasphemias suas.

Omnium maximè portentosa Hæresis, magnam partem ex Pythagoricâ, Gnosticâ, Marcioniticâ disciplinâ; Puta de *Duobus Diis* contrariis & coæternis; de *Vetere Test.* & *Lege* totâ repudiandâ; de *Mundo*, *Carne*, *Magistratu*, *Lege*, *Peccato*, ut à Deo malo, cui Deo nec preces fundendæ essent; de *Peccati absolutâ* necessitate; de *Christo* homine phantastico, putativo; de Manete ut promisso *Paracleto*, & *Apostolo* Jesu Christi; de illicitis *Nuptiis*, *Vino*, *Carnibus*, *Bello*, *benignitate in pauperes*; De *Sole* & *Lunâ* ut sede Animarum beatarum, qualiter Hermogenes, *Domini Corpus in Sole depositum esse*, ex Theodoreto. Et quæ alia de his Veteres tradidêre, ac multis Theodoretus Hæreticarum Fabularum *Lib.* I. C. XIX. & Epiphanius *Hær.* LXVI.

Quæ

Quæ inter eos Disciplina, qui mores, ad omnem libidinem prostituti, qui Adversarii antè Augustinum, qui item Sectatores, quæ propagandi ratio fuerit, quis denique Manichæi finis, dicitur aliàs; Vide *Introduct.* pleniorem hoc Lemmate, & Hæresiologos.

VI. Hæresis *Hieracitarum*, prioris propago, dicta fuit ab Hierace in Ægypto Episcopo, aliis *Hierachâ*, mox post Manetem invecto in Resurrectionem mortuorum, in Puerorum salutem, in Conjugium, in usum Vini, Animatorum &c. Et quæ alia ex dictis *Αἱρεσιολόγοις* intelliguntur. De *Novatianâ* Hæresi, ad sequens Caput.

VII. *Berylli* Hæresis Bostrorum in Arabiâ Episcopi, negantis Christum habuisse propriam Divinitatem; *Arabum* altera, impugnantium Animæ immortalitatem; mox in ipso ortu compressæ fuerunt ab Origene, ex Eusebio *Lib.* VI. C. XXXVI. XXXVII.

VIII. *Schismata hoc Seculo in Ecclesiâ nata.*

I. *Duo* præ reliquis maximè memorantur: Non enim dicimus illud *Tertulliani* ab Ecclesiâ Catholicâ secedentis, ad Montanistas; vel alterum, nec duraturum, in *Origenis* causâ, inter Palæstinos Origenem ordinantes, & Demetrium Alexandrinum, Origeni & Palæstinis indignatum, apud Eusebium *L.* VI. C. VIII.

II. Gravius Schisma *Novatianum*, authoribus *Novato* & *Novatiano*; illo Carthagine, hoc Romæ Presbytero, sed confusis sæpè apud Veteres nominibus, Eusebium, Epiphanium,

 Theo-

Theodoretum: Prioris Urbis Episcopatum gerente Cypriano, posterioris Cornelio.

Antecedanea Schismatis fuerunt, odia & æmulatio in Cyprianum, signiferis *Novato* Carthaginensi Presbytero, & *Felicissimo* Diacono, dùm in secessu suo vel exilio ageret Cyprianus. Obtentus fuit, nimius Cypriani rigor *in Lapsos*, sub Decianâ persecutione. Undè illi contendere, hos absque Pœnitentiâ recipiendos esse; ac posteà in partes secedere; *Felicissimus* quidem cum aliis, in quibus Presbyteri Carthaginenses quinque, secessit in montem quendam, ubi suos collegit, confluentibus eò lapsis; *Novatus* Romam properavit, ex Epistolis Cypriani XLI. XLII. &c. circà A. C. CCL. Romam verò factione suâ dividebat quoque *Novatianus*, Cornelii Anti-Papa.

Novatiani porrò schismatis *causa*, fuit primò non fundamentalis, negotium Disciplinæ. *Occasio* illis vel obtentus geminus, 1.° Ex veniâ *lapsis* indulgentiùs datâ, ut illi, nempè in mortis discrimine constitutis, ad libellos Martyrum, Confessorum. 2. Ex nimiâ indulgentiâ Cornelii in *lapsis* recipiendis, ut causatus Novatianus. Undè *Novatus* post turbatam Carthaginensem Ecclesiam, Romam veniens, & in *Novatianum* factiosum incidens, in aliud extremum prolapsus, cum *Novatiano* secessionis hunc obtentum uterque habuit: *Negandam* scilicet omnem *veniam*, pacem, communionem, *semel lapsis*, nec ad *Pœnitentiam* quidem admittendis: Rigorem extenderunt ad peccata *post Baptismum* admissa, *denegantes misericordiam Patris*, *respuentes pœnitentiam Fratris*, ex Cypriano, Eusebio, Epiphanio &c.

Schis-

Schismati verò sese opposuêre Cornelius Romanus, Dionysius Alexandr. Demetrius Antiochenus, Afri, & in his maximè Cyprianus, ex Epistolis ad Cornelium, ad Antonianum, &c. Duraturum tamen schisma fuit, & in *Donatismum* abiturum. Accesserunt hinc errores alii, de *rebaptizandis* Catholicis, arcendis *Bigamis* &c.

III. Schisma alterum fuit inter *Romanam* Ecclesiam, & *Africanas*, ac *Orientales*, Stephano post Cornelium & Lucium Romæ, Cypriano Carthagine Episcopis.

Occasio illi nata ex schismate priori, & facto Novatianorum *rebaptizantium* Catholicos. Undè vicissim *rebaptizare* Afri, & Asiani, ad se redeuntes.

Dissensus igitur minimè fundamentalis fuit, in quæstione de *Rebaptizandis* iis qui ab *Hæreticis* tincti essent, probante Anabaptismum Cypriano, etiam Firmiliano Cappadoce, sed & Dionysio Alexandr. damnante autem Stephano: Undè acerba disceptatio, scripta, invectivæ, dilacerationes mutuæ, tandem Stephani audax facinus, communione arcentis eas Ecclesias quæ cum Cypriano & Firmiliano sentirent, certè *excommunicationem* interminantis, apud *Euseb.* L. VII. c. V. & in *Epistolis* Cypriani.

Nec vel *Baronii*, vel Perronii, vel recentiorum, pro *facto* Stephani, aut *jure*, hic admittit exceptiones locus. Absurdissimæ sunt illæ quas reponit Natalis Alexander, *Dissert.* XII. T. V. Non excommunicatos censeri potuisse à Stephano, qui *Sanctis* adscripti, qui in *Concilium* Antiochenum admissi, qui in *Ecclesiâ* permanserunt &c. At rectè idem, *deceptum fuisse*

Baronium, dùm Firmilianum & cæteros Orientales *errorem ejurasse* respondit. Vide plura Introduct. plenioris nostræ T. 1.

IX. *Persecutiones hoc Seculo in Ecclesiam continuatæ.*

I. *Causæ* eædem quæ suprà, scilicet calumniæ in Christianos nefandæ, & impacta iis *Magiæ* aliaque id genus crimina. Hinc insanum Vulgus in eosdem excitatum, ut causas scilicet malorum quæ Rempubl. premerent; quod & argumentum Libelli quem Cyprianus scripsit ad *Demetrianum* Africæ Proconsf. Et indè rescripta Principum, & cruenta facta Præsidum. Quo factum, ut indictâ causâ, solius nominis reatum luerent. Inter calumnias fuit illa quoque, ex Tertulliani Apologetico, Christianos *Solem Deum suum facere*, quod ad Orientem precarentur; & Picturæ illius ludibrium, cujus meminit ibidem Tertullianus, cum inscriptione, *Deus Christianorum Onochoëtes*, vel *Ononychites*, quâ de inscriptione, vel lectione, certant Eruditi.

II. Series Persecutionum ità habuit: *Quinta generalis*, (sexta aliis sed malè, nec enim illa Hadriani accensenda est) sub *Severo* Imperat. primùm favente Christianis. Undè Antoninus ejus filius *lacte Christiano educatus* fertur Tertulliano, ad Scapulam. Deinceps verò *Christianos* ex Gentilibus *fieri* vetuit, sed & *Judæos*, à quibus odium in Christianos videtur primò derivatum.

Tempus fuit, annus Christi, secundùm Eusebium CCIII. Severi Imperatoris X.

Loca Persecut. toto orbe Romano, Edicto Princi-

Principis, maximè verò in Syriâ, in Ægypto, & Thebaide: Et Alexandriæ quidem, Demetrio tùm Episcopo, inclaruit martyrium *Leonidæ* Patris Origenis, & Martyrii ingens in filio desiderium, ac in Martyribus erigendis fiducia; de quo Eusebius, *L.* VI. C. I. II. III.

Martyres alii sub Severo inclyti, Irenæus Lugdunensis, Victor Romanus, &c. Sed & *Fœminæ* martyrio inclytæ memorantur; ut *Perpetua* fortissima Martyr Tertulliano. Hujus *Passio*, cum aliis nuper edita, constantiam Martyrum ac victoriam luculenter ostendit. Opposuit Tertullianus suum Apologeticum, Librum ad Nationes, & ad Scapulam, Africæ Præsidem.

III. *Sexta* mox Persecutio, juxtà Eusebium, (ignorata certè tacita Lactantio) sub *Maximino* Imperatore, circà A. Ch. CCXXXVI. nam in anno variatur.

Sæviit hæc cumprimis in ἄρχοντας μόνους seu *Solos Sacerdotes*, id est, in Clericos, in Ecclesiarum Præsides, inter quos Pontianus Romanus, ut Religionis authores; Ad constantiam tùm hortante Origene, Libro de *Martyrio*. Hac Persecutione *Hippolytum*, gente Arabem, Portûs Episcopum, veriùs quàm sub Alexandro Severo, passum esse, fortassis vero consentaneum. Malè *Pamphili* Cæsariensis martyrium hoc ad tempus à nonnullis relatum.

IV. *Septima* eademque cruentissima fuit sub *Decio*, circà medium Seculum III. cujus prolixè Cyprianus, Dionysius Alexandrinus, Eusebius, Sulpicius, & alii meminerunt. Lactantius hanc facit ordine *tertiam*, post illam Neronis & Domitiani; exindè *nullos inimicorum im-*

petus passam Ecclesiam; manus suas in Orientem Occidentemque porrexisse; donec *existeret post annos plurimos execrabile animal Decius &c.*

Multi hac persecutione *Martyres*, & quaquaversum; prolixo aliàs Catalogo, apud ipsum Eusebium, *L.* vi. *C.* xli. xlii. ut Nyssenum, Orosium, Bedam, Nicephorum, Martyrologia, dubias tabulas, mittamus. In quibus eminuerunt *Episcopi* varii, & in his *Fabianus* Romanus, sed & *Fœminæ*, *Pueri*, inter tormentorum inaudita. Verùm ad *Decianam* persecutionem multos referri Martyres, qui passi veriùs sub Gallo & Valeriano, Decii successoribus, jam est ab aliis observatum. Cyprianus sub Decio proscriptus, nondùm martyrio coronatus. Sub eo & fugâ sibi & Ecclesiis suis consuluerunt *Gregorius* Neo-Cæsariensis, & *Dionysius* Alexandrinus.

Sed & plurimi hac Persecutione *lapsi*, & *apostatæ*, tùm *sacrificati*, tùm *libellatici*, ac qui *Traditores* dicti; Undè graves querimoniæ Cypriani, & Liber de *Exhortatione Martyrii*.

Imò in *lapsis*, qui thura adoleverint, referunt ad hanc persecutionem Zonaras, & Nicephorus Historici, *Origenem Adamantium*; referente & defectionem Epiphanio, *Hær.* lxiv. post quoque aliis, in Origenem iniquioribus; tacente tamen Eusebio, Ruffino, Hieronymo, &c. Negantibus quoque factum Baronio, Halloxio, Valesio, asserente autem Petavio, *Animadvers.* ad Epiphanium. Quà de re pluribus Doctiss. Huëtius in Origenianis.

Ex hac verò Persecutione nata sunt vitæ Ereminticæ primordia, ex *fugâ* scil. Christianorum in deserta ac solitudines, *Paulo Thebæo* hinc Ere-

Eremitarum Patre, ex Sulpicio, Hieronymo, aliis.

V. *Octava* sub *Valeriano*, laudato aliàs Principe, & propensissimo in Christianos, cujus Persecutionis meminit & Lactantius, de Mortibus Persecutorum, sed ut *brevis temporis*; Valeriano mox belli curis implicito, in expeditione Persicâ, contrà Saporem Regem. *Causa* verò, imposturæ quibus à Magis Ægyptiis delusus, & accensus in gentem innoxiam fuit, apud Eusebium, *Lib.* VII. quem vide.

Loca passim in Africâ, Ægypto, Palæstinâ, Italiâ, &c. Martyres illustriores fuêre, *Cyprianus* Carthaginensis capite plexus, *Sixtus* Rom. Episc. cruci affixus, *Laurentius* Diaconus craticulæ ferreæ impositus, & lento igne afflatus, admirabili constantiâ, teste inter alios Ambrosio Mediolanensi.

VI. *Nona* sub *Aureliano* vulgò censetur Persecutio, Principe truculento, postquàm pax fuisset Ecclesiis sub Gallieno. Sed ex Lactantio quoque constat, ipsoque Eusebio, hanc Persecutionem molitum quidem fuisse Aurelianum, sed *non licuisse perficere quæ cogitaverat*, *protinùs inter initia sui furoris extinctum.* Undè hæc prætermissa multis persecutio est, ab Eusebio tamen inter cæteras relata.

VII. *Decima* sub *Diocletiano* & *Maximiano*, etiam *Maximino*, omnium atrocissima, & feracissima Martyrum, & maximè diuturna, de quâ Eusebius toto *Libro* VIII. ac fusè Lactantius, de Mortibus Persecut.

Præcessit verò eandem pax alta Christianis indulta, indè ab exitu Aureliani; nec exarsit persecutio antè Diocletiani annum XIX. Chri-

sti ccciii. ex Eusebio, in *Chron.* Undè ad sequens Seculum ea spectat.

Hujus tamen Seculi fertur fatum *Legionis Thebeæ*, jussu Maximiani Principis, primùm decimatæ, tandem deletæ, quod thus Idolis adolere recusaret, Mauricio Legionis Duce fortissimo. Quâ de narratione videsis Epicrisin nostram in plenioris Introduct. *Tomo* i.

Aera Martyrum, cujus caput est Annus vulg. 284. nondum instituì hoc Ævo potuit ex Capite Persecutionis Diocletianeæ, de quâ ad Sec. iv. Benè ex ambitione Principis, à *primo* Imperii anno tempora signari præcipientis, ut pluribus nos *Introduct.* T. i. C. xiv.

De honore *Martyribus* hac ætate habito, suprà visum, Lemmate iv. hoc Seculo.

X. *Doctores Ecclesiæ Christianæ, Scriptoresve, hoc Seculo Illustriores.*

I. In *Græcis* & *Orientalibus* eminuêre præ aliis hoc Seculo, 1. *Julius Africanus* Palæstinus, ætate major Origene: Clarus fuit sub Heliogabalo, & Alexandro Severo, *Chronographiâ* ab Orbe-Cond. compilandâ ab Eusebio, & *Epistolis* quibusdam notus, alterâ ad Aristidem de dissensu inter Matthæum & Lucam, in *Genealogiis Christi*, alterâ verò ad Origenem, de *Susannæ* Historiâ ut suppositâ, quæ nuper cum *Responso* & ἀνεκδότοις aliis Origenis, à Viro Clariss. J. Rod. Wetstenio, facta publici juris est.

2. *Origenes Adamantius*, Alexandrinus, denatus A. Ch. ccliv. Gallo adhuc imperante.

De Origene *incerta* multa, v. gr. Unusne tantùm Origenes, an alius Porphyrii necessarius? Sic

Sic usus-ne Ammonio magistro? Sic quæ de ejus lapsu, pœnitentiâ, expulsione ab Heraclâ, erroribus variis, scriptis sub hujus nomine, &c. memorantur.

Certiora sunt, eademque laudatissima, Eruditio stupenda, juvenilis ætas par publico muneri, labor indefessus, pietas rara, zelus incomparabilis, fructus laborum insignes, profectiones variæ fidei propagandæ causâ, scripta penè innumera, studium Scripturarum admirandum, Commentationes iu eas plurimæ; Et cumprimis dignum omni memoriâ, sed invisum posteritati., Opus illlud quod *Tetrapla*, *Hexapla*, *Octapla* nuncupatum est, cujusque hic annexum ex Epiphanio Schema, * * * * additis ubique *Asteriscis*, *Obeliscis*, &c.

Culpanda in tanto viro, v. gr. Eviratio teste ipso Eusebio, quanquàm modus ignotus, undè Demetrio Alexandrino occasio in eum insurgendi; Ingenium luxurians nimis; ἀλληγορομανία; Errores in doctrinâ non pauci; contentionum hinc materies suppeditata, & luctuosos habitura successus.

Scripta illi non pauca *afflicta*, etiam ab Arianis, contrà fidem ὁμουσίου; multa *interversa*; alia non parùm *interpolata*, Ruffino jam olim pessimæ fidei Interprete, modòque addente, modò mutilante, pro ingenio & arbitrio, modò Græca reddente vocibus Latinis, quæ aliud sonarent. Fusè de his nuper, post Ampliss. Huetium, du Pin in *Novâ Biblioth.*

3. *Hippolytus Martyr*, necessarius Origeni, clarus sub Alexandro Severo, & de cujus Scriptis Eusebius, Hieronymus, Photius. Ejus genuinam de *Antichristo* Ἀπόδειξιν debemus Marquardo

ORIGENIS TETRAPLA, HEXAPLA, OCTAPLA.

Exemplar Hebraicum Literis Hebraicis.	Exemplar Hebraicum Literis Græcis	Aquila	Symmachus	LXX. Interpret.	Theodotion	Versio Hierichunt.	Versio Nicopolitana.
בראשית	Βρησιθ	ἐν κεφαλ.	ἐν ἀρχῇ.	ἐν ἀρχῇ.	ἐν ἀρχῇ.		
		1 T E	2 T R	3 A P	4 L A.	7 8	
1 H	2 E	X 3 A	4 P	5 L	6 A.	O C T A-	P L A.

De *Asteriscis*, *Obeliscis* &c. quos apposuit Origenes, vide Introduct. Tomum I.

quardo Gudio, ornamento rei literariæ. Vide & *Varia Sacra* celeberr. Collegæ Stephani le Moyne.

4. *Gregorius* Neo-Cæsareæ in Ponto Episcopus, aliàs *Thaumaturgus*, auditor Origenis, defensor Catholicæ fidei de Trinitate, & Divinitate Filii, laboribus ac Scriptis inclytus, ac multorum conversione ad fidem: Sed fabulæ non unius argumentum, apud ipsum Gregorium Nyssenum, in ejus *Vitâ*. Nempè ex traditione populari, & ingenio impensè credulo, referente Nysseno, quæ tacent Eusebius, Basilius, alii. Gregorio huic afficta *Confessio Fidei*, contrà Arianos, quam ex Revelatione acceperit, apud Nyssenum; & *Canon* Pœnitentialis XI. de quatuor Pœnitentiæ gradibus.

5. *Dionysius*, *Alexandrinus*, & ipse auditor Origenis, coævus Cypriano, ex cujus Epistolis fragmenta multa suæ Historiæ Eusebius inseruit; quem & iste, & veteres passim, μέγαν seu *Magni* cognomento vocitarunt. Laudant & Athanasius, Basilius, Hieronymus, &c. Assertor Divinitatis Christi contrà Samosatenum.

6. *Methodius Martyr* aliis sub Decio vel Valeriano, aliis sub Diocletiano, in Lyciâ Episcopus, adversarius Origenis, tacitus hinc Eusebio; Ex quo verò aliquot Excerpta descripsit Photius, sed & Epiphanius; colligenda cum ineditis aliis à Fr. Combefisio, in quibus discernendum pretiosum à vili.

7. Innumeri alii celebres fuêre in Asiâ, Palæstinâ, Ægypto, &c. seu *Episcopi*, seu *Presbyteri*, & *Martyres*, ex Eusebio, Hieronymo, nonnulli etiam qui scripsisse memorantur: In unum hi collecti apud Magdeburgenses, Bellar-

minum, Labbeum, Oudinum, du Pin, &c. De Authore *Constitutionum*, sub Clementis nomine, & *Canonum Apostolicorum*, diximus pleniori Introd. ad Seculum III. *Cap.* de Scriptis Supposit. post Blondellum, Dallæum, Criticos alios: Neque vetustiores Seculo III. censent Doctissimi in Pontificiis.

II. In *Latinis* Patribus, post Tertullianum celebriores fuêre hoc ævo,

1. *Minucius Felix*, Causidicus Romanus, Afer, medius inter Tertullianum & Cyprianum, scriptor elegantissimi Dialogi, habiti diu satis pro *Libro* VIII. Arnobii, ac variorum Commentariis illustrati. Ex quo intelligitur, nulla fuisse Christianis Templa, Altaria, Sacrificia, Imagines, Statuas, Ceremoniarum pompam &c. dùm *miseri viderentur, non essent.*

2. *Cecilius Cyprianus*, anteà Tascius nomine, ex Gentili Christianus, post Carthagine Episcopus ab Anno CCXLVIII. Tertulliani discipulus & admirator, cùjus Vitam scripsit Pontius Cypriani Diaconus. Annales Cyprianicos, ordine Chronologico, ab A. vulgari CCXLVI. digessit Eruditissimus Pearsonus. Laudem sempiternam meruêre pietas, zelus, scriptâ, moderatio, patientia, constantia, labores pro Christianâ fide, acta contrà Novatum & Novatianos, tandemque martyrium sub Valeriano, A. V. CCLVIII. Fusco & Basso Coss.

Scripta huic *afficta* non pauca, alia ejusdem passim *interpolata*, firmando Primatui Romano, judice ipso Rigaltio. Horum indicem genuinis Cypriani, Editiones novissimæ subjungunt. Epistolarum seriemChronologicam vide apud Pearsonum, in Editione Oxoniensi, & nuper in Du-Pini *Bibliothecâ*.

3. *Ar-*

3. *Arnobius* Afer, Rhetor, præceptor Lactantii, clarus exeunte seculo sub Diocletiano, sed & sequente, scriptor *Librorum* VII. contrà Gentes, tùm adhuc Catechumenus: Quo factum, ut felicior sit in oppugnando *Gentilismo*, quàm in *Christianismo* adstruendo. Hujus tamen simplicitas, nullis tùm Aris, Sacrificiis, Imaginibus, &c. luculenter ex Arnobio patet. De quo Eruditorum judicia, sæpè edito, ac Variorum Notis illustrato, non ad hanc Epitomen spectant.

4. Mittimus *Cajum* Romanum Presbyterum, *Pontium* Africanum Diaconum, *Cornelium* Episcopum Romanum, *Novatianum* de Trinitate, *Victorinum Petavionensem*, aliis Pictaviensem, cujus nihil germani superest, &c. *Pseudo-Decretales* Romanorum Pontificum, *Pseudo-Acta* Martyrum, id genus Apocrypha, Suriis, Turrianis, Baroniis, ac similibus permittimus.

XI. *Concilia hoc Seculo celebrata,*

I. *Universalia* quidem nulla, quamvis hujusmodi optarit non semel Cyprianus; ast tamen quandoque ex plurium *Nationum* Episcopis indicta, uti fuêre Concilium Iconiense Asianum, & Antiochenum, contrà Paulum Samosatenum.

Frequentissima cæteroquin fuêre hac ætate Concilia, in *Africâ*, *Syriâ*, *Palæstinâ*, *Arabiâ*, *Italiâ*, *Galliâ*, *&c.* ut graviores omnes Controversiæ ad Synodos deferrentur.

II. Celebratiores Synodi fuêre;

1. *Africanæ* quædam, & *Carthaginenses*: Et *Africana* sub *Agrippino* primùm, circà A. CCXVII.

CCXVII. celebrata fuit, pro *Anabaptismo* Hæreticorum. Dein secutæ Carthaginenses aliquot inde ab Anno CCLI. sub *Cypriano*, è secessu suo Carthaginem reduce. Habitæ sunt potissimùm in causis de pace Lapsis dandâ; de Baptismo Hæreticorum; de Infantum illo antè VIII. diem, statim à nativitâte, negante baptizandos adhuc esse Fido Episcopo. Absurdè autem Synodi de *rebaptizandis Hæreticis*, quia adversùs sententiam Stephani, inter *reprobatas* referuntur.

2. *Arabicæ* quædam, præsente Origene, ex Eusebio, & Libello Synodico; in quibus Beryllum, & Hæreticos alios, iis in partibus à gravissimis erroribus revocavit. Nec omittenda *Iconiensis* Synodus, A. CCLVI. præside Firmiliano, contrà baptismum, ordinationem &c. Cataphrygum Hæreticorum; reprobante rursùs Synodum Stephano Romano.

3. *Antiochenæ* Synodi tres, ex Eusebio *Libro* VI. & VII. Prima in *Novatum*, & *Novatianos* Schismaticos; reliquæ in *Paulum Samosatenum*, multis ex Oriente toto convocatis Episcopis, & tandem Paulo in postremâ deposito, editâ in eum Confessione Fidei, A. C. 272. an 270. Ipseque Aurelianus Imperator in reluctantem Paulum implorandus fuit, apud Euseb. *L.* VII. C. XXX.

4. *Romanæ* aliquot Synodi habitæ fuerunt, præcipuè sub *Cornelio*, & *Stephano* Episcopis. Sub illo, in causâ de Lapsis pœnitentibus recipiendis, contrà Novatum, ut Eusebius, *Lib.* VI. C. XLIII. Sub isto, in causâ de Baptismo redeuntium ab Hæresi, quem damnavit Stephanus, ex Cypriano, Eusebio, & Libello Synodico.

XII. *Res*

XII. *Res Judæorum, Gentilium.*

I. De *Judæis* nihil jam obſervamus, niſi 1. *Scripta* in eoſdem luculenta Tertulliani, ac Cypriani; undè colligitur eorum cùm multitudo in Africâ, vagantium licet & extorrium, tùm pervicacia, faventibus ſubindè Caracallâ, Heliogabalo, Alex. Severo, Valeriano. De quo Valeriano locus eſt apud Euſebium obſcurus, videndus in pleniori noſtrâ *Introduct.* hoc lemmate. 2. Perfectum ab iis hoc ſeculo *Talmud Hieroſolymitanum*, authore R. Juchanan ſeu Johanne, anno non ſatis certo. Quemadmodùm in *Babyloniâ* Scholas erexiſſe hoc ævo Judæos, undè incepit prima Claſſis Doctorum, quos *Amoræos* vocant, eorum Chronica teſtantur.

II. De *Paganis* obſervantur 1. Faventiores quandoque Chriſtianis *Principes*, præprimis Ant. Caracalla, Allagabalus, Alex. Severus, Gordianus, Philippus, & quoque Gallienus, revocans Edicta Valeriani, ex Euſebio.

2. Infeſti Chriſtianorum ſacris *Philoſophi, Magi*, ſuprà omnes verò *Porphyrius*, natione Tyrius, Origenis primùm Alexandriæ, tùm Longini Caſſii, dein Plotini Romæ auditor, olim Chriſtianus, Socrate teſte, mox infenſiſſimus apoſtata, factis, dictis, ſcriptis, ferè ſub finem ſeculi, Libris xv. in Chriſtianos editis. Nec diu poſt fuit *Porphyrius* alter diſſimillimus, ex familiâ Pamphili Cæſarienſis, qui martyrii gloriam, inter immanes cruciatus, ſubiit, decimâ Perſecutione, Euſebio teſte. De vitâ ſcriptiſque Porphyrii prolixè Lucas Holſtenius, Vir Clariſſ. Ex Porphyrii Libris quædam Euſebius

bius transtulit in Præparationem Evangelicam, extinguendis sub Imperatoribus Christianis.

3. Infesti quoque *Jure-Consulti*, qui Principibus à Consiliis erant, & horum Princeps *Domitius Ulpianus*, quanquam sub Optimo Principe Alex. Severo, de quo sunt querimoniæ Lactantii. Nec æquior *Julius Paulus*, ex Pandectis notissimus, sub eodem Alex.

4. *Heliogabalum* omnium Deorum cultum Romæ extinguere conatum esse, ut consecraret Templum uni Heliogabalo, id est Soli, Emessenorum Deo, auctor est Lampridius. Alexandrum Severum *Christo* quoque *Templum facere voluisse*, idem refert. Aurelianum magnâ fuisse religione ergà *Libros Sibyllinos*, docet locus apud Flav. Vopiscum; nec isti hodierni profectò Libri Carminum Sibyllinor. Qui sint *Dii Montium*, in Excelsis culti, apud Lactantium, quorum *cultrix* fuit mater Galerii Maximiani, obscurum sibi esse fatetur Doctiss. Baluzius. Nec hic locus est Gentilium *superstitiones* hoc ævo referendi; vel quæ prudentiores traderent ex Platonicâ & Pythagoricâ disciplinâ, Ammonius, Plotinus, Hierocles, Porphyrius, &c. postremi hostes perditissimi Christiani nominis, hoc Seculo.

XIII. *Memorabilia quædam alia hujus Ætatis. Fabulæ insigniores.*

Huc inter alia referri possunt, quæ compendio signamus, pluribus alibi tradenda:

I. *Conversiones* quædam miraculosæ, inter quas v. gr. illa cujusdam *Basilidis* Satellitis, ad Potamiænæ Virginis & Martyris voces, fusè apud

apud *Euseb.* L. VI. C. V. hinc Nicephorum, alios. Nec dubium, quin conſtantia Martyrum, multos ad fidem induceret, ut nihil opus fuerit *Apparitionibus* defunctorum; niſi horum imagines in ſomniis terruiſſe Carnifices, aut Judices, ex Euſebio collegeris.

II. *Pœnæ* miraculoſæ de Perſecutoribus ſumptæ, nominatim de Maximino, Decio, Gallo, Valeriano, Aureliano, &c. Euſebio obſervante, ac ſpeciali libello Lactantio Firm. *de Mortibus Perſecutorum*, quem lege.

III. *Miraculorum* donum, vigens adhuc hoc ſeculo, circà Dæmonas, Morbos, vel ex Tertulliani *Apologet.* ex *Origine* contrà Celſum, ex *Cypriani* variis, & ex Vitâ *Thaumaturgi*, ſed adſperſis fabulis contaminatâ.

IV. *Monachatûs* quædam primordia, ſeu Vitæ ſolitariæ, quæſitis jam deſertis, & ſolitariis locis. Quò facit Vita *Pauli* Thebæi, natione Ægyptii, ſecedentis in ſpeluncam quandam, ætate adhuc adoleſcente, ſub Decianâ perſecutione; ſecuturo eum *Antonio* Monachorum ſeu Cœnobiticæ vitæ in Ægypto patre: De quibus præ cæteris Hieronymus, Sozomenus, & Vita Antonii ſub Athanaſii nomine, ſed nihil Athanaſianum ſpirans, ut à Viris Doctis oſtenſum, ac referta ea fabellis anilibus.

V. Quare inter *Memorabilia* hujus ævi *fabulas* ſine fine haud referimus. Quibus neſcio an non ſubindè accenſendæ veniant Euſebianæ narrationes, fando acceptæ, de his & illis *Miraculis*, uti apud Cæſaream Philippi, *Lib.* VII. C. XVII. XVIII. & paſſim, aut de his & illis *Viſionibus*, Apparitionibus, *Lib.* VI. C. V. &c. Mira credulitas eſt *Gregorii Nyſſeni*, in Vitâ Thau-

Thaumaturgi, *Hieronymi* in illâ Pauli Thebæi, *Ruffini* in Historiâ Ecclesiasticâ, qui futilissimus auctor Scaligero, ne ad Gregorium Turon. Simeonem, Nicephorum, id genus alios, delabamur, aut ad Græcorum Menologia, vel Latinorum Legendarios.

Pudet adjecisse fabulam de *Septem dormientibus*, juvenibus scil. Ephesiis, somno alto captis sub Decio, & evigilantibus sub Theodosio juniore; Et quidem ex Menologio, ex Gregorio Turon. Simeone Metaphrastâ, Cedreno, Nicephoro, aliis.

Omnium absurdissima, post priorem, est Legenda de *Ursulâ* Britannicâ, cum sociis, XI. mille Virginibus, quæ martyrium passæ dicuntur circà A. Chr. CCXXXVI. Maximino imperante: De quarum variâ in aquis fortunâ, Coloniam appulsu, profectione Italicâ, tandemque reversarum Martyrio, socio Cyriaco Papâ, sunt ut pugnantes sic prodigiosæ narrationes, speciatim in famosis *Revelationibus Elizabethæ*; Quâ de fabulâ anxiè admodùm Baronius, ut ex absurdis se expediat, prolixè verò Usserius noster in *Antiq. Britann.* à *pag.* 619.

Finis Rerum Seculi Tertii.

SECU-

SECULUM QUARTUM.

Incidunt *Quarti* Seculi natales in annum Diocletiani Imperatoris, ſocio Imperii Maximiano (ſecundùm Æram vulgarem) XVII. triennio integro antè depoſitam Purpuram, biennio antè cœptam Perſecutionem decimam: Romano tum quidem Epiſcopo *Marcellino*, haud longè poſteà lapſuro.

Res hoc Seculo cumprimis obſervandæ ſub ſequentibus lemmatibus apparebunt.

I. *Facies Eccleſiæ ineunte Seculo.*

I. Nempe *Locus* Eccleſiæ fuit πᾶσα ἡ οἰκουμένη, orbis habitatus & cognitus univerſus, per quatuor mundi plagas. Sigillatim Eccleſias recenſent, poſt Euſebium, Socratem &c. Magdeburgenſes, Cent. IV. C. II.

II. *Doctores* autem Chriſtianæ Eccleſiæ, qui quidem Scriptis celebres, tum adhuc agebant in vivis Methodius Martyr confutator Porphyrii, Arnobius Rhetor, Victorinus Petabionenſis in Pannoniâ Epiſcopus, &c. mox pluribus ſucceſſuris. Eccleſiis majoribus hi præerant tum Epiſcopi, ut *Romanæ*, minùs conſtans in fide Marcellinus, vel ex Breviario Romano :-

Alexandrinæ Theonas, cui ſucceſſit Petrus Alexandrinus:

Antiochenæ præerat Cyrillus, cui ſucceſſit Tyranus vel Tyrannus;

Hieroſolymitanæ præerat Zabdas, cuii ucceſſit Thermon ſive Hermon, huic Macarius, &c.

III. *Con-*

III. *Conditionem externam* quod attinet,

1. Pax qualiscunque constabat Ecclesiis, describente Eusebio, *Lib.* VIII. C. I. nullâ adhuc persecutione *Generali*. De quâ Diocletianus cum Galerio consultasse primùm fertur, in Urbe Nicomediensi, anno CCCII.

2. Turbabant tamen Ecclesias hinc indè hostes alii *aperti*, alii *occulti*. Magis *aperti* quidem, ipsi primò Imperatores, infensissimi Christianorum sacris: Sic Præsides & Rectores hinc indè Provinciarum, Urbium: Sic Philosophi, inter quos superstes adhuc *Porphyrius* fuit, ferè septuagenarius, neque sanè productâ vitâ ultrà Concilium Nicænum, ad Annum XXIII. Constantini Imperatoris, ut Baronius censuit, & explosit Lucas Holstenius.

Occulti autem Ecclesiæ hostes erant, partim *Hæretici*, quales Manichæi, Sabelliani, Paulianistæ &c. partim *Schismatici* & in his præ reliquis Novatiani.

II. *Propagatio Christianismi hoc Seculo; Ethnicismi subversio.*

Hujus consideranda veniunt, 1. *Antecedanea* quædam illustriora, 2. *Modus* & ratio.

Ad Antecedanea spectant,

I. Fatum penè Ecclesiæ universæ, ex *persecutione* Diocletiani, Maximiani Herculii, Galerii, Maximini, tyrannorum, indè ab An. CCCIII. ut de Christiano nomine actum quasi videretur. Quando eduxit Deus Opt. Max. ex tenebris lucem.

II. Conversio *Constantini* (à morte Constantii Chlori Patris, anno Christi CCCVI. Imperatoris

toris in Britanniâ salutati) ad fidem Christianam. Cujus attendi possunt,

1. *Occasio*, quæ non una memoratur. Non illa certè quam probat Annalium Scriptor, ad A. Ch. CCCXXIV. ex sanatione scilicet miraculosâ per Sylvestrum Papam, quæ est cordatioribus explosa. Ast veriùs gradum fecêre ad Christianismum Imperatori Constantino, Constantii Patris propensior affectus in Christianos, ut & Helenæ Matris, Constantii Concubinæ, nec *Augustæ* nisi post mortem Chlori, quanquàm alii γαμετὴν νόμιμον, sed impari conjugio, ut Eutropius, Victor, Zonaras. Accessere, odium *Tyrannorum* qui Christianam Religionem persequerentur, Maximiani Herculii soceri, Maximini, Maxentii; *Apparitiones* duæ miraculosæ, quas eidem Constantino contigisse, Eusebius aliique memorant, adversùs Maxentium præliaturo, A. Ch. vulgò CCCXII. & tandem reportata de Tyranno plenissima *victoria*, VI. Kal. Nov. eo Anno CCCXII. quam excepit victoria de Maximino per Licinium, affinem Constantini; Undè utriusque Augusti conspiratio & conjuncta Edicta, pro Christianorum libertate, *citra ullam inquietudinem & molestiam*, apud Lactantium.

2. *Tempus* Conversionis Constantini, sed suos habituræ gradus & successivos auctus, fuit annus Imperii Constantini VI. Seculi quarti (secundùm Æram Dionysii) XII. vel XIII. inchoatus. Quo anno CCCXIII. emanarunt primò Edicta in favorem Christianorum; uti CCCXII. celebrata *Quinquennalia* Constantini, undè incipit *Indictio* prima Romana.

Porrò *Gradus* conversionis fuêre varii. Neque

que enim illicò Gentilismi fermentum omne deposuit Constantinus; nec idem vel factus statim *Catechumenus*, acceptâ impositione manuum, solemni ritu, vel *Baptismo* initiatus. Quorum utrumque, certè posterius, refertur ad vitæ finem ab omnibus, Eusebio, Athanasio, Ambrosio, Hieronymo, Socrate &c. & priùs quoque, authoritate Eusebii, à Valesio ipso, Notis *ad Euseb.* pag. 251. Aliàs totus Christianus apparuit post Licinium sublatum, anno Imperii XVIII. Christi CCCXXV. quando solus rerum potiri cœpit, vel ex historiâ Synodi Nicænæ, & literarum quæ eam præcesserunt, factorumque, apud Eusebium, *Lib.* II. de Vitâ Constantini.

Ad *modùm* propagatæ Ecclesiæ, & Gentilismi aboliti spectant,

1. *Edicta* & *Constitutiones*, pro libertate Christianæ Religionis in Romano Imperio, primò per Constantinum M. & per Licinium conjunctim, Mediolani, Anno Chr. CCCXIII. dehinc successivè per Constantinum solum, tandem per Filios, & succedaneos Imperatores. Constantini M. illa videsis apud Eusebium, Hist. *Lib.* X. *C.* V. de Vitâ Const. *L.* II. *C.* XX. XXIV. &c. alia etiam in *Codice* utroque Theodosiano, & Justinianeo.

Edictorum ac constitutionum principiò summa fuit: Pro inhibendis persecutionibus quæ Ecclesiam hucusque propemodùm exhauserant; Pro exulibus revocandis, redditâ libertate incarceratis, servis, damnatis ad metalla; Pro restituendis quæ occupata à Gentilibus fuerant, domibus, fundis, cœmeteriis, bonis seu Ecclesiarum, seu privatorum: Pro asserendâ hæreditate

reditate proximis agnatis martyrum, ac tollendâ proſcriptione bonorum; Pro Templis exſtruendis, inſtaurandis; pro immunitatibus Clericorum ab oneribus, muneribus; Pro dotandis Eccleſiis, & faciendis erogationibus in pios uſus; Pro teſtamenti factione paſſivâ Eccleſiis adſcriptâ &c. Qualia apud Euſebium, *Hiſt. Lib.* x. *C.* v. & *de Vitâ Conſtant. Lib.* IV. *C.* xx. xxIV. &c. & paſſim in *Codice Theodoſ. Tit.* de Epiſcopis, Eccleſiis, &c. ad quæ videſis Jacob. Godofredum.

2. Interveniens ſtatim nubecula, per *Licinium* Tyrannum, initio fautorem Chriſtiani nominis, poſt perſecutorem acerrimum, odio Conſtantini, cui A. CCCXIV. bellum indixit. Undè ejus in Oriente in Chriſtianos edicta, & facta atrociſſima, cumprimis in Epiſcopos, circà A. Ch. CCCXVI.

3. *Gentiliſmi* deinceps proſcriptio, quâ per edicta Imperatoria, & ſacratiſſimas conſtitutiones, ſucceſſivè datas, Templa Gentilium fuêre clauſa; acceſſus ſub pœnâ gladii omnibus interdictus; Sacrificiorum inſania abolita; Profani ritus ſublati; Superſtitio Pagana ceſſare juſſa; Aræ, Idola, Simulachra Templis evulſa, atque dejecta; Prohibita non diurna modò ſed & nocturna ſacra. Hæcque omnia in Urbibus primò ſublata, permiſſa ad Tempus in *Pagis*, & vicis, ubi Templa aliquandiu Gentilibus patuêre, vel ex Libanii Oratione *de Templis* ad Theodoſium M. editâ à Jac. Gothofredo: Undè *Paganorum* nomen enatum eſt, primùm auditum ſub Imperatoribus Chriſtianis. De Tempore ſubverſionis *Templorum*, an jam ſub Conſtantino M. *an ſub Succeſſoribus* demùm, controverſa res eſt.

4. *Conversio* Idoleorum, Templorum, Delubrorum, Fanorum, Capellarum, Theatrorum, &c. in Ecclesias Christianas, & Christianos usus, sed prævià expiatione, nempe symbolo *Crucis* inibi collocato, ut signo Christianæ Religionis, jam à tempore Constantini M. ex Sozomeno, aliisque, quod *Stauropegium* dixêre. Quod æquiùs ferebant Gentiles quàm subversionem eorundem, ex *Orat.* Libanii *Pro Templis*.

5. *Admissio* Christianismi in *Aulas* Imperatorum, indè à Constantino M. Hinc magno studio eam sancire Religionem Principes, quam ipsi profitebantur. Et fuit hæc Aulæ Imperatoriæ hoc seculo facies sub Constantino, Constantio, dein Joviano, Valentiniano seniore, Gratiano, Valentiniano Juniore, Theodosio M. Honorio, & Arcadio Imperatoribus.

6. *Promotio* Christianismi, variis & efficacissimis mediis. Quò referri debent, v. gr. *Templorum* à fundamentis exstructiones per Romani Imperii spatia, addito etiam ornatu ac splendore, cumprimis Romæ, Constantinopoli, Alexandriæ, Antiochiæ, Nicomediæ, & in Urbibus amplioribus, conflatâ ex pretiosissimis simulachris pecuniâ, apud *Sozomen. L.* IV. *C.* V. alios.

Adhæc *Scholarum* erectiones, in quibus Artes ac Disciplinæ traderentur, & à *Christianis* quidem, præterquam sub Juliano Apostatâ. Tales autem præ cæteris fuêre in Oriente *Constantinopoli*, in Ægypto *Alexandriæ*, in Italiâ *Romæ*, in Galliis, *Treviri*, *Massiliæ*, &c.

Denique *Redituum* ac *Bonorum Ecclesiasticorum* concessiones, in usus Ecclesiarum, Clericorum,

corum, Pauperum, &c. Undè bona illa quæ cesserant Gentilium mystis, ac reditus Sacerdotum, Flaminum, similium, adscripta Ecclesiis; Decimæ per civitates singulas Clericis decretæ; Hæreditates Martyrum, Confessorum, Proscriptorum, si deessent successores ab intestato, datæ Ecclesiis adeundæ; potestas etiam facta instituendi easdem hæredes aut legatarias: De quibus passim Imperatoriæ Constitutiones.

7. *Reliquiæ* interim *Paganismi* variæ, seu rudera in Romano Imperio, quamvis Christiano. Primò enim splendidissima *Gentilium Templa* mansêre in Urbibus amplioribus illæsa, ut Romæ Capitolium, Alexandriæ Templum atque Idolum Serapidis, Antiochiæ in Daphnes suburbio Templum & Idola Apollinis ac Dianæ &c.

Secundò, Paganæ superstitionis tenaces manserunt Gentes adhuc plurimæ, & permixti Christianis Populi, Cives, Agricolæ; quin Magistratus, Senatores, Proconsules, Vicarii, Præsides Provinciarum, diu permissi suæ superstitioni, in sequens etiam ævum.

Tertiò, Paganæ Consuetudines, Sacrificia, Ritus, Locutiones, Sacra, Ludi, Spectacula, Statuæ, Imagines &c. diu ipsis permissa, & passim servata; hinc & Templorum ornatus mutuandus posteà à Gentilibus.

Quartò, postquam à Juliano Apostatâ fuisset Gentilismus restitutus, ac reddita Gentilibus Templa, sacrificia, sacra omnia, accidit sanè ut successores Juliani, in pluribus, istis superstitionibus conniverent, usque ad Theodosii M. tempora.

8. Hùc tandem ſpectat illata hoc Seculo lux Evangelii ad ſuperſtitioſas & barbaras adhuc *Gentes*, in Aſiâ, Africâ, Europâ.

In his fuêre *Indi* interiores, apud Ruffinum, Socratem, Sozomenum, Theodoretum. Converſionis porrò inſtrumentum fuêre duo *Adoleſcentes*, iidemque *Laici*, curioſitatis ergò cùm Meropio quodam Tyrio eò delati, hinc à Barbaris capti, Meropio occiſo, & Regi Indorum oblati, eidem accepti, mox ad honores admiſſi, quin &, mortuo Rege, ad regni quoque adminiſtrationem, Reginæ ſuaſu, donec Heres adoleviſſet.

Sic converſi ad Chriſtianam fidem *Iberiæ*, ultrà Armenios, Populi (iiſdem omninò Scriptoribus) & quidem operâ mulieris Chriſtianæ, captivæ hos inter Barbaros.

Converſi etiam hac ætate in Europâ, *Marcomanni*, qui hodiè Moravi ſunt vel Bohemi, & quidem operâ conjugis Regiæ, ab Ambroſio Mediolanenſi, quem ad ſe accivit, inſtructæ, ex *Vitâ* Ambroſii.

Pariter & *Gothi* trans Iſtrum ab Hunnis expulſi, atque in Thraciâ habitare permiſſi à Conſtantio, fidem Chriſtianam amplexi dicuntur, ſed mox *Arianam*, ſub Valente Imperatore. De quo Sozomenus, *Lib.* VI. *cap.* XXXVII.

Converſiones alias ex Magdeburgenſibus, vel Baronio, harum ſtudioſi repetant.

III. *Doctrina hujus Seculi Catholica.*

I. Colligitur illa quidem, 1. Ex Scriptis *Symbolicis* qualia ſunt, Symbolum *Apoſtolicum* ſive Romanum, teſſera quaſi Catholicorum; Sym-

Symbola alia, ut vetus *Orientale*, ab Eusebio coram Nicænis Patribus recitatum, ex Socrate, vel Theodoreto; Symbolum *Nicænum*, dein Symbolum *Constantinopolitanum*, etiam *Aquilegiense* quod Ruffinus exposuit; Item Cyrilli Hierosolymitani *Catecheses*, ad *Illuminatos*, cumprimis Catechesi IV. & *sequent.* quànquàm legendæ cum judicio, non paucis iis insertis, vel assutis, quæ Cyrilli non esse, probatum Eruditis est. *Symbola* sub nominibus Damasi, Hieronymi, Ruffini, Expositionis ad Damasum, quæ sunt in *Tomo* IV. vel IX. Operum Hieronymi, ista nomina mentiri in confesso est. Ex iis tamen Doctrinam Catholicam intelligas, si *Pelagiana* vestigia, in Expositione ad Damasum, de Arbitrii ἀδιαφορίᾳ ad bonum, dempseris: Quid verò statuendum sit de *Athanasiani Symboli* Auctore, homine Latino, & Nestorio posteriore; deve nupero *Syntagmate Fidei*, quod edidit Eximius Arnoldus sub nomine Athanasii, hujus verò esse negant alii, & Rev. Basnagius novissimè, non est hujus loci definire.

2. Ex *Conciliorum* hujus ætatis quæ supersunt Actis, & Canonibus, quos Canones in Codice Ecclesiæ *Universæ*, & altero Ecclesiæ *Africanæ* comprehensos, illustravit præ cæteris nostrà ætate Christoph. Justellus, Vir Eximius, & quoque in Britannis Beveregius Presbyter, ut Pithoeum, & alios mittam. Accedunt Canones Synodi *Illiberitanæ*, à variis illustrandi; vel Synodi *Arelatensis* I. & aliorum, de quibus infrà. Adde varias Sacratissimas *Constitutiones* in Codice Theodosiàno, cumprimis *Titulis* de Fide Catholicâ, de Hæreticis, *Libro* XVI.

3. Tandem ex genuinis *Patrum*, ac scriptorum

hujus ævi monumentis, qualia ſunt propemodùm innumera, Euſebii, Athanaſiii, Hilarii, Baſilii, Ambroſii, Epiphanii, Hieronymi, Chryſoſtomi, cæterorum, quorum Catalogus infrà.

Ex his omnibus abundè liquet, quæ capita pro Fide *Catholicâ*, quæ pro *Hæreticâ* habita fuerint: Exempla ſelectiora habes in pleniòri *Introduct.* hoc Titulo.

Speciatim verò liquet,

1. Hoc ſeculo nondum receptos fuiſſe in Canonem propriè dictum libros Apocryphos Teſt. Veteris, ut Macchabæorum, Tobiæ, Judith, Sapientiæ, &c. quæ ſunt inter ἀκανόνιστα βιβλία, Laodicenis Patribus.

2. Scripturas hoc ſeculo creditas *ſufficientes* ad informationem fidei ac morum, & ad dijudicationem dogmatum, ex doctrinâ & praxi Patrum, ac Synodorum.

3. Doctrinam de *S. Trinitate*, deque *Incarnatione* Verbi, & duabus *Naturis* in Chriſto, fuiſſe luculenter & traditam, & vindicatam adversùs Hæreſes Paulianiſtarum, Arii, Photini, Macedonii, &c.

4. A Peccato originali, ſeu *maculatâ conceptione* & reatu, neminem hominum à Patribus iſtis exceptum, nuſquàm Mariam Virginem.

5. Aſſertam Juſtificationem per *ſolam Fidem*, juſtitiâ Chriſti, oppoſitè ad juſtitiam Operum, *excluſivâ* diſertè exſtante apud Hilarium, Ambroſium, Hieronymum, Baſilium, Epiphanium, alios.

6. Aſſertam Doctrinam de *Fructu* & *Efficaciâ* mortis & ſanguinis Chriſti, adeoque de *Satisfactione*; item de *Gratiâ* Dei cui totum ſalutis opus

opus debeatur, quæque etiam liberrimè dispensetur, non ex hominum meritis.

7. Eucharistiam creditam tantùm *memoriale* vel *figuram* Corporis & Sanguinis Christi, & creditam nullam nisi administratam sub specie *utrâque:* Sic *Panem* & *Vinum* pro talibus adhuc habita, post Consecrationem, &c.

8. Ignotam fuisse Doctrinam de *Purgatorio* post hanc vitam; uti toti Orientali Ecclesiæ ante Synodum Florentinam: Non alia Purgatione Patribus memoratâ, quàm in sanguine Christi, item in ultimo igne, ex sententiâ plurimorum.

9. *Transsubstantiationis*, sacrificii *Missatici*, *adorationis* Sacramenti, Confessionis *Auricularis*, Sacramentorum *septem*, *Thesauri* Indulgentiarum, *Angelodulia*, *Mariolatria*, Orationis *Ave Maria*, *Rosariorum*, *Aqua lustralis*, *Processionum*, Festorum dicatorum *Virgini*, singulis *Apostolis*, *Joh. Baptista* &c. nondùm audita fuisse hoc seculo vel vocabula, vel certè instituta, nusquàm autem definita à Patribus, Conciliis, nec in Oriente, nec in Occidente: Examen eorum quæ ex Athanasio, Basilio, Greg. Nysseno, Cyrillo Hierosolymit. Ambrosio, Chrysostomo, Hieronymo, promit Natalis Alexander T. VII. vindicando subindè Patribus istis, quæ *κεσπικωπέτοις* sunt omninò suppsuppositа, neque est hujus Epitomes, neque operæ pretium videbitur, iis qui loca contulerint cum Doctrinâ Tridentinâ, & praxi Pontificiâ. Vide *Tomum* I. Introduct. majoris, ad *Sec.* IV. toto Capite III. & quæ infrà de *Ritibus* & *Disciplinâ* hujus Seculi subnotamus.

III. At *navi* tamen nonnulli passim in do-

ctrinâ hoc ſeculo obſervantur, v. gr. circà neceſſitatem Euchariſtiæ, ſtatum Animarum poſt mortem, Regnum millenarium, ultimum Ignem purgatorium, &c. Ut ſileamus ſingulares hujus & illius Patris *errores*, quales à Theologis & Eruditis in pleriſque notati: Quin horum multa etiam Latini recentiores damnant & anathematizant.

IV. Non verò offendere debent *Phraſiologiæ* plures, obviæ in ſcriptis Patrum hujus ævi, deinceps in ſequiorem ſenſum acceptæ, mutatâ ſignificatione in Latinâ recentiore Eccleſiâ. Hujuſmodi ſunt v. gr. Voces *merendi*, *meriti*, apud Ambroſium, Hieronymum, Damaſum, Auguſtinum &c.

Voces *ſatisfactionis*, ſatisfaciendi, redimendi peccata, paſſim apud eoſdem.

Voces in iis quoque frequentiores *Traditionis*, *Indulgentiæ*, *Pœnitentiæ*, *Confeſſionis*, *Miſſæ*, *Sacrificii*, *Altaris*, *Specierum* Panis & Vini, *Duliæ*, *Latriæ*, *Quadrageſimæ*, &c. Senſu ab hodierno *Latinorum* diverſiſſimo, ut pluribus à Chemnitiis, Caſaubonis, Chamieris, Rivetis, Salmaſiis, Juſtellis, Aubertinis, Uſſeriis, Forbeſiis, Blondellis, Dallæis, aliiſque demonſtratum eſt, & à nobis quoque plenioris Introd. T. 1. *pag.* 365. & *ſeq.* Interim ſecurè ex id genus vocibus, phraſibus, etiam recentiores Pontificii tela intorquent.

IV. *Rituum ac Ceremoniarum in Chriſtianâ Eccleſiâ hoc Seculo ratio.*

Ex multis ſtrictim iſta obſervamus,

I. Mirè adauctum fuiſſe quarto hoc ſeculo

Rituum

Rituum & *Ceremoniarum* apparatum, augendum in majus venturis ætatibus. Ut ſub initium ſeculi V. quereretur Auguſtinus, tolerabilius fuiſſe jugum Judæorum ſub Lege, *Epiſt.* XIX. Cauſæ inter plures alias, nobis alibi memoratas, fuêre,

1. Ut *Gentiles* confluentes ad Eccleſias lucrifacerent, aſſuetos externæ Templorum ac Ceremoniarum pompæ, factâ jam Chriſtianis talium libertate. Hinc pridem Gentilium in Chriſtianam paupertatem ac ſimplicitatem cavilla.

2. *Luxus* gliſcens in Eccleſiam, hinc pompaticus apparatus, ſimul cum opibus, dignitatibus, ambitione, ſuperbiâ Clericorum, & requie à perſecutionibus, ſub Chriſtianis jam Principibus.

3. *Epiſcoporum Romanorum* uſurpata ſenſim authoritas, & affectata dominatio; undè ei demonſtrandæ, firmandæque, novæ in dies conſtitutiones, circa Diſciplinam, Ritus, quæ & ſuperſtitioſas mentes occuparent, & ſplendorem Romanæ Eccleſiæ augerent, & Paparum, Epiſcoporum, Cleri Romani ſubſervirent luxui, ambitioni, avaritiæ. Hinc gradus Dignitatum, Veſtium ſacra pompa, Imagines ſucceſſuræ in Templis, Lex Cœlibatûs, alia, de quibus infrà, ubi de Præludiis ſuperſtitionum.

II. Quantum ad Ritus ſeu novos, ſeu confirmatos hoc Seculo, eoſdemque vel laudabiles, vel certè indifferentes naturâ ſuâ, exempla ſunto de innumeris ſequentia:

Templa Christianorum.

I. De *Templorum* seu *Basilicarum* hoc ævo *constructione* dictum suprà; inter quæ celebre illud quod *Hierosolymis*, in loco sepulchri Dominici, Constantini & Helenæ matris auspiciis, dedicatum fuit, & de quo fusè Eusebius. Quod itionibus mox in Palæstinam, Religionis ergò, originem dedit, Paganâ imitatione, improbante ipso Gregorio Nysseno, *Epistolâ* hac de re scriptâ, T. III. Nempè *peregrinandum esse ad Dominum, non è Cappadociâ in Palæstinam*; Fideles singulos *esse Templum Domini*, &c. Ità Constantinopoli Templum *SS. Apostolorum*, exstruente ornanteque Constantino, fusè descriptum eidem Eusebio, *Lib.* IV. Adde Templa alia splendidissima constructa Bethlehemi, Antiochiæ, Nicomediæ, & passim.

2. Constructioni accessit *Dedicatio*, hymnis, gratiarum actionibus, deinceps & *stauropegio*, ut suprà ex Codice Theodosiano. Ignoti ritus posteriores, Lustrationes, Missæ, Processiones, Litaniæ, &c.

3. Dedicatio autem *Deo soli facta*, & *Christo Servatori*, nondùm Sanctis, Virgini, ex eodem Eusebio de Laudibus Constant. *Lib.* I. Sozomeno *Lib.* II. Augustino de Civitate Dei *Lib* XXII. C. V. & aliàs. Quanquàm in *Apostolorum* memoriam Constantinus M. Templum Constantinopolitanum ità appellarit, non profectò in cultum; undè posteà *Memoriæ* Apostolorum, Martyrum, pro Templis, Oratoriis.

4. *Forma* verò partim à Paganis, partim à Judæis mutuata fuit, partibus ut plurimùm tribus,

bus, *anteriore* seu πρόναος vel Narthece, *mediâ* quæ propriè ναὸς Templum, *intimâ* quam Græci βῆμα, ἱερατεῖον, Latini posteà *Chorum* & *Presbyterium* dixêre, Cancellis distinctum, κιγκλίσι. *Ambitus* verò Templorum, seu ἔμβολος, in Cœmeterium, humandis fidelibus, versus fuit. Sed & formam Templi *Apostolorum* Constantinopolitani fuisse πλευραῖς σταυροτύποις, id est, lateribus in *Crucis* modum extensis, observat Historia Byzantina. Fabulæ sunt de suspensis à Constantino M. *Imaginibus* vel *Statuis*, seu Christi, seu Virginis, seu Apostolorum; altissimo rei silentio apud Historicos Eusebium, Socratem, Sozomenum &c. Sed & sub Constantio solemni ritu illatas esse in Templum Apostolorum *Reliquias Andreæ*, *Lucæ*, *Timothei*, nulli iidem referunt, quicquid ex Idacii Chronico, aut ex Chronico Alexandrino, referat Historia Constantinopolitana, scriptis ævi sequentis.

Conventus publici, Agenda.

Huc spectant

1, *Psalmi Davidici* publicè introducti in Occidentalem Ecclesiam tempore Damasi, & in Orientalem quoque per Flavianum & Dioscorum Antiochenos, ex Sulpicio Severo, Theodoreto, aliis. Hinc de ψαλταῖς vel ψαλμισταῖς, seu *Cantoribus*, *Canones*.

2. *Lectio Scripturæ Canonicæ*, per Lectores ad id constitutos, ἀναγνώσταις, qualem in Antiochenâ Ecclesiâ primùm egit Chrysostomus. Et hic primus ad Diaconatum, & Presbyteratum gradus hoc Seculo fuit.

3. *Homiliæ* mox ſuccedentes Lectioni, ſeu Sermones familiares ad vulgi captum, habiti ex Cathedrâ, à ſedentibus Epiſcopis, Presbyteris, quandoque etiam *quotidiani*, ut ex Homiliis Chryſoſtomi colligitur: Eædemque per *horam* circiter, ex Textu prælecto, vel Pſalmo decantato, undè Clepſydrarum uſus. Nec Monachis, nec Diaconis, ullæ adhuc concionandi partes hoc Seculo fuerunt, imò illis ne Seculo adhuc ſequente, ex Canone Chalcedonenſi IV.

4. Tùm Preces publicæ fuſæ, hinc miſſio Catechumenorum, humiliatio & Oratio pœnitentium, Synaxis ſacra, Oſculum pacis, Collectæ, Gratiarum actiones, Benedictio Populi, Miſſio.

5. Omnia antecedebat *ſignum* datum ſacri conventûs, ſcil. *ligni pulſatione*, vel *præconum voce*, ex quo palàm convenire datum fuit. *Campanis* nondùm hoc Seculo locus, minùs Campanarum baptiſmo vel conſecrationi, de quo Introductio noſtra ad Seculum X. T. II.

Tempora Conventuum Chriſtianorum.

Præter *Tempora* ſuprà indicata, ad ſuperius ſeculum, & *Sabbatum* ferè ubique, præterquam Romæ & Alexandriæ, feſtum, ex Socrate Hiſtorico, acceſſit hac ætate,

1. Feſtum *Theophaniæ* vel *Epiphaniæ*, id eſt, Apparitionis Chriſti in Terris, celebratum in Eccleſiis nonnullis Orientis, ad VI. Januarii, teſte *Epiphanio*: In Occidentali verò Eccleſia XXV. Decembris, qui mos circà ætatem Chryſoſtomi in Oriente quoque obtinere cœpit, ex ejus *Homil.*

mil. in diem Nativ. *Tomo* v. & aliàs. Non meminit Auguſtinus, in recenſione Feſtorum quæ ſervarentur ab *Univerſâ Eccleſiâ*, Epiſt. CXVIII. C. I.

2. *Vigiliarum* quoque tempora fuêre Chriſtianis ſacra, cumprimis verò *Vigilia Paſchatis*, etiam *Pentecoſtes*, quâ ſub veſperam confluebant in Eccleſias, lucernis vel cereis accenſis, ad Precum, Hymnorum, Baptiſmi & Euchariſtiæ ſacra, in extremam noctem, ritu in Latinâ nunc Eccleſiâ obſoleto.

3. Sed & *Precum* certa de die Tempora definiunt hoc ſeculo Laodiceni Patres, *Can.* XVIII. præter Stationem illa.

Divorum Divarumque univerſalia *Feſta* adhuc nulla hoc ævo, quanquàm μαρτύρων ἡμέρας piâ commemoratione celebrarent, iis in locis ubi occubuerant, ex Euſebio de *Vitâ Conſt. M.* L. IV. C. XXIII. Sed neque Sanctis aut Virgini, ut dictum ſuprà, Templa fuêre dicata; ac ne tempore quidem Auguſtini, qui modò in Templis Deo conſecratis celebrari *Memorias Martyrum*, non ſemel in Libris de Civit. Dei, & contrà Manichæos.

Jejuniorum ratio hoc Seculo.

Præter jejunia Feriæ *quartæ* & *ſextæ*, de quibus antè, eademque libera, maximè ſolemne fuit ante-Paſchale jejunium, nomine *Quadrageſimæ*, τεσσαρακοστῆς, licet non id eſſet dierum XL. ut obſervat Socrates.

Excrevit jam in plures ſeptimanas, vel ex canone *Laodic.* XLIX. & *ſeq.* Sed variâ admodùm praxi, ut alii plures, alii pauciores ſeptimanas

jejunarent ; Romanâ Ecclesiâ non nisi hebdomadas *tres*, ex Socrate Historico, *Lib.* v. *C.* XXII. fassis Halloixio Jesuitâ, & Henr. Valesio, contra Baronii effugia, *Annal.* Tom. I. Anno Ch. LVII.

Excipiebantur à Jejunio dies *Dominicæ* & *Sabbathi*, in utraque adhuc Ecclesiâ ; quanquàm *Sabbathum* mox à Latinis Jejunio destinatum fuit, invitis Orientalibus, quibus dies ille Festus semper fuit.

Ignota Jejuniorum reliqua tempora, quæ Latini posteà addiderunt. Solvebatur jejunium *vespertino* cibo, & sæpè *aquâ* & *pane*, in Quadragesimâ vulgò dictâ, quod *fortissimum jejunium* dixit Hieronymus, *Epist.* ad Nepot. Quanquàm ex Epiphanio constet, jejunium Ante-Paschale nonnullos transmisisse planè *sine Cibo*, etiam ad biduum, triduum, &c.

Baptismales ritus.

Continuati hoc Seculo ritus ævi prioris, & additi nonnulli alii.

V. gr. Adhibiti *Cerei* seu candelæ accensæ, datæ Neophytis, in Vigiliis Festorum, unde Baptismus φώτισμα, φωτισμὸς, μυστήριον φωτίσματος, ἡμέρα τῶν φώτων &c. Appositè etiam lumina accensa designarunt gratiam *Spiritûs S* Sed & φωτισμὸς institutio prævia Baptismo ; & φωτιζόμενοι competentes Baptismi, apud Cyrillum Hierosol. ad quos Catecheses suas direxit.

Ità facta *salis* in os baptizatorum mystica injectio; & gustatio non *lactis* tantùm, & *mellis*, sed & *vini*, in spiritualis regenerationis, dulcedinis, roboris, & lætitiæ, signum.

Usur-

Usurpata etiam *unctio*, eaque gemina, altera jam totius Corporis, antè Baptismum, ex oleo, absterſionis, ſed & inaugurationis quodam ritu; poſt Baptiſmum altera, ex *Chriſmate*, de quo Cyrillus ad Myſtagogicos; Inſtruct. III. & Canone Laodiceno XLVIII.

Acceſſère, *obſignatio* baptizati per *Impoſitionem manuum*, *Euchariſtiæ* porrectio in ſpiritualе nutrimentum, datio *Veſtis candidæ*, geſtandæ totâ ſeptimanâ &c. Conſtant illa ex Baſilio, Nyſſeno, Cyrillo Hieroſolymit. Ambroſio, Pſeudo-Dionyſio, Ritualibus, & Canonibus paſſim &c.

Baptiſteria tùm etiam è lapide ſtructa, & in areis Templorum collocata.

Nec omnibus *laicis*, urgente neceſſitate, fas jam tùm fuit adminiſtrare Baptiſmum, vel ex Canone Eliberit. XXXVIII. minùs fas *Mulieribus*. Solemnia, extrà caſum neceſſitatis, tempora fuêre adhuc in Latinâ Eccleſiâ, ſed & Græcâ, *Paſcha* & *Pentecoſte*. Quanquàm poſteà invaluerit ſententia de abſolutâ Baptiſmi *neceſſitate*; planè adverſa praxi priori, quâ etiam Baptiſmus neglectus, aut in longum dilatus, ſæpè in annos, & ad Vitæ finem ab ipſo Conſtantino M. Sed & ad exemplum Conſtantini ab aliis Baptiſmus ſeriùs admiſſus, conqueſtis ſæpè Patribus. Narratiuncula Ruffini de *Baptiſmo* mimicè adminiſtrato ab *Athanaſio* puero, inter ludendum, ac poſteà ab Alexandro Epiſcopo approbato, meritò exploditur.

Ritus

Ritus Eucharistici.

Ignota adhuc toto hoc Seculo, non diffitentibus Doctiss. Latinorum, *Officium Missaticum*, seu Canon Gregorianus; Missæ privatæ; Lingua ignota; Hostiolæ; Sacramenti ostentatio, circumgestatio; Eucharistiæ adoratio; Communio sub unicâ &c. Ad hanc malè referunt Baronius, & suorum alii, Communionem *Laicam*, vel *Peregrinam*, vel *Domesticam*, vel *Clinicorum*, vel *Præsanctificatorum*, quæ sine consecratione fieret, in Quadragesimâ, de quâ Canon Laodicenus XLIX.

Contrà constanter obtinuêre; Participatio ab omnibus fidelibus adstantibus; Panis fermentatus; Fractio ejusdem; Acceptio de manibus; Distributio calicis; Prævia consecratio clarâ & intelligibili voce, cum admonitionibus, precibus, recitatione Orationis Dominicæ, Symboli, Verborum Institutionis &c. Nec negarunt Petavius, Sirmondus, Albaspinæus, Bona, alii cordatiores Latinorum.

Memorabiles etiam sunt appellationes quibus veniunt Eucharistiæ *Symbola*, in hujus ævi Monumentis, etiam *post* Consecrationem, dicta nempe, *Panis*, *Fructus*, *Panis quotidianus*, *Frumentum*, *Triticum*, *Fructus vitis*, εὐλογίαι, ἁγιάσματα, σύμβολα, ἀντίτυπα, εἰκὼν, τύπος, ἀνάμνησις θυσίας &c. passim apud Nazianzenum, Cyrillum, Epiphanium, Chrysostomum, Ambrosium, Augustinum, alios. Fallit Vir Doctus, Auctor *Novæ Bibliothecæ*, T. II. in Cyrillo Hierosolymit. cui tribuit *locum formalem pro Transsubstantiatione*, in Mystagogicis. Nempè quia Cyrillus, *panem*

panem & vinum, *post invocationem S. Trinitatis*, *fieri Corpus & Sanguinem J. Christi*. At quomodò *fiant*, non dixerat ibi Cyrillus, nempè τυπικῶς, μυστικῶς, συμβολικῶς, πνευματικῶς, ἐνεργητικῶς &c. ut perpetuò Patres, & idem Cyrillus ad *Mystagog. Catech.* IV. nempè post *invocationem*, *illapsum*, *impressionem Spiritûs S.* non post demurmurata *quinque verba*.

Sed & *Missæ* nomen hoc jam Seculo dari cœptum est Eucharistiæ sacris; ab actu *Missæ* seu *Missionis* tùm antè, tùm post celebrationem. *Sacrificii* vox jam obvia, sensu metaphorico simul, & metonymico, intuitu oblationum populi, precum, gratiarum actionis, commemorationis veri sacrificii, cultûs solemnis Christianorum &c.

Liturgias sub nomine *Basilii*, *Chrysostomi*, plurimùm interpolatas esse, ex usu posterioris ævi, omnes penè consentiunt, ipsis autem per fraudem esse suppositas, doctiores etiam in Adversariis intelligunt.

Abusus varios seu *nævos* circà Eucharistiam S. obtinuisse hoc ævo, certum. Ità v. gr. Infantibus baptizatis datam; cum mortuis quandoque sepultam; domum adsportatam; viatici loco dari cœptam; medicinam contrà morbos creditam, vel ex Nazianzeno de Gorgoniâ sorore; occultatam adhuc dùm peragerentur Mysteria &c.

Ritus & Canones Pœnitentiales.

I. Mansit forma disciplinæ, circà *Lapsos*, & *delinquentes*, qualis Seculo præced. Obvii autem in Canonibus Petri Alexandrini, Nicænis,

nis, Ancyranis, Laodicenis, Basilianis ad Amphilochium, Epist. Canonicâ Nysseni ad Letoïum &c. *quatuor* illi publicæ Pœnitentiæ *gradus* seu *stationes*, τέσσαρες τόποι ἐπιτιμίων, pro diversis locis quæ singulis assignata.

1, Primus gradus fuit πρόσκλαυσις vel προσκλαυσις, *lugentium* extrà Porticum seu Narthecem, & candidatorum quasi Pœnitentiæ.

Aliquando ad Annum I. ad Annos III. ad IV. ad VII. ad IX. etiam ad dies vitæ injuncta. Prout alii spontè lapsi, alii vi tormentorum, alii nonnisi post longum certamen, &c.

2. Alter gradus fuit ἀκρόασις, admissorum jam ad auditionem Verbi, intrà Narthecem, non tamen ad Preces; Undè ἀκροώμενοι *audientes*, quales & *Catechumeni* appellati.

Varia hujus gradûs pro delicti qualitate duratio, ad Annum unum, etiam multo plures.

3. Tertius gradus fuit ὑπόπτωσις, seu γονυκλισία, *prostratorum* in certis actibus, intrà septa, post fideles, & admissorum jam ad communionem certarum precum, non omnium, nec Eucharistiæ. Et hæc plerumque omnium longissima statio fuit, sæpè ad annos VII. aut IX. Etiam hæc μετάνοια strictiùs dicta.

4. Quartus gradus fuit σύστασις, *Consistentium* jam cum fidelibus in oratione, & admissorum ad omnes Preces, præterquàm ad Sacramentum; variâ iterùm duratione, pro varietate delictorum.

Tandem excipiebat μέθεξις, seu τελείωσις, præviis ritibus orationum, impositionis manuum &c.

II. Inter eos quibus *Pœnitentia* publica injuncta fuit, hoc ævo, præter Lapsos, Apostatas,

tas, Homicidas, Adulteros, fuêre varii delinquentium ordines. Ex. gr. Fœmina procurans ſibi *abortum*; *Fornicatores*; *Concubinarii*; *Virgines* devotæ, aut *Diaconiſſæ* tranſeuntes ad conjugii vota, *Trigami*, imò *Bigami* referendi ſaltem inter ἀκροώμενους; *Divertentes* ab uxoribus, aut *repudiantes*; Duarum *ſororum* ſucceſſivè mariti; *Uſurarii*; *Sacrilegi*; *Divinatores*, *Harioli*, aut *Conſultores*; *Idolothyta* qui comediſſent &c. A Pœnitentiâ publicâ exempti fuêre *Clerici*, quibus pœnæ ſatis eſſet *depoſitio*, communio *Laica*.

III. *Abſolutio* hoc Seculo nullis Pœnitentibus negata, poſt impletos Diſciplinæ Canones; minùs negata *morientibus*, ſublato rigore prioris ævi, & Canonum Illiberitanorum. Ità ne Pœnitentia quidem ulla injuncta, ſi qui aut *pecuniâ*, aut *fugâ*, perſecutionem evitaſſent; vel ſi qui *lapſi* quidem, ſed mox *Confeſſores* ad certamen rediiſſent, in *Canonibus* Petri Alexandrini, T. I. Conciliorum, *Can.* VIII. XII. XIII.

Multum autem remitti cœptum de graduum illo rigore, hoc Seculo IV. cumprimis habitâ ratione perſonarum, ordinis, veræ pœnitentiæ &c. Hinc factâ Epiſcopis libertate gradus vel minuendi, vel tollendi, ſeu *indulgentias* concedendi, diſpenſationem, veniam, indè à Nicænis temporibus. Nec crimina capitalia deinceps impunita fuêre, ſub Imperatoribus Chriſtianis, in foro Civili.

IV. Debetur & huic Seculo illuſtris mutatio in Eccleſiis *Orientis*, tempore Nectarii Conſtantinopolit. Quando ſcil. ſublata & interdicta *Confeſſio privata*, & *Presbyter Pœnitentiarius*, de

de quibus ad superius Sec. Occasionem refert Socrates *Hist. Lib.* v. *Cap.* xix. Frustrà Baronius aliique rem obscurant, Confessionis privatæ & Innocentianæ studio.

V. *Superstitionis in quibusdam Ritibus Præludia, hoc Seculo.*

I. Exempla præ cæteris sunto, passim ex Canonibus & ex Patribus hujus ævi, dein ex Socrate, Sozomeno &c.

1. Usus *Cereorum*, seu *Luminarium*, etiam extrà Vigiliarum tempora, tum in Templis, tùm extrà Templa, puta in deductione funerum, labente Seculo passim adhibitus. Quemadadmodùm & usus *Incensi* aromatici, Precum & Sacramentorum temporibus, memorati jam Canonib. Apost. Uterque ratione mysticâ, sed tamen imitatione Paganâ.

2. Scrupulosa *abstinentia*, Jejuniorum statis *temporibus*, à certo genere ciborum, puta carnibus, eduliis, vino, ξηροφαγία sancitâ Canone *Laod.* 1. ex Montanisticâ, & Monasticâ tum quoque disciplinâ. Professi tamen, ut Cyrillus Hierosol. *Catech.* iv. se iis non abstinere ut in se illicitis, præterquàm à *Suffocatis* & *Idolothytis*.

3. *Cœlibatûs* admiratio nimia, de quo jam multæ contentiones, tandem lege imperando Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Siricio Papâ sub finem Seculi; probantibus quidem Ambrosio, Hieronymo, improbantibus verò plerisque in Orbe utroque. Undè *conjugatorum* in Episcopis & Presbyteris frequentia exempla, hoc Secu-

Seculo, nec negante Româ, sed & sequente Sec. etiam in Occidente.

4. Superstitio *Reliquiaria*, in Reliquiarum conquisitione, translatione in Urbes & Templa, superstitioso contactu, defixione osculi, adscriptâ virtute, creditis miraculis innumeris: Quorum omnium jam acerrimus vindex Hieronymus contrà Vigilantium, uti Gregorius Nazianzenus, alii. Licet *sepulchra effodere*, *ossa movere*, sacrilegii quædam species habita fuerit ipsi Nysseno, si ejus est Epistola Canonica ad Melitenes Episcopum, *Tomo* 11. Operum.

5. *Peregrinationum* primordia, uti ad Templum Hierosolymitanum, sic ad sepulchra Martyrum, undique illatorum in Templa & Urbes; Quanquàm eam Superstitionem Gregorius Nyssenus ex professo damnaverit.

6. Origo *Invocationis Sanctorum*, ex nimiâ veneratione Martyrum, & creditâ eorundem ad tumulos præsentiâ, & ex Apostrophis oratoriis ad Defunctos, in eorum Panegyricis; Exempla in Basilio, Nazianzeno, Nysseno, qui mortuos ut præsentes compellant, & suffragia eorundem petunt, ac postremus præcipuè, declamator magis quàm orator, judicio Criticorum.

7. Introductio *Imaginum* in Templa, sub finem seculi, cùm in Asiâ tùm in Europâ, privato hinc inde *facto*, ad usus ex se tùm innocuos, minimè verò ad cultum religiosum; Epiphanio vehementer isti instituto reclamante, ex Theodoreto, Hieronymo, Epiphanio ipso. Vide Historiam nostram Imaginum, *Sect.* 1.

Professio Fidei in *Epist.* Basilii ad Julianum Apostat. quæ est ccv. in quâ *Invocatio Sancto-*

rum,

rum, & *Cultus Imaginum*, tanquàm Fidei capita, suppofititia eft, judice quoque nuper Du-Pino, Parifienfi Theologo, *Tomo* 11. Bibliothecæ, in *Bafilio*. Pariter quæ Amphilochio tribuuntur, Homiliâ de *Pœnitentiâ*, adversùs eos qui *Imagines* dicerent ἀνωφελεῖς καὶ ἀνονήτους, pleniffima ea nugarum fabellarumque ævi Iconolatrici.

8. *Crucis* nimia veneratio, hinc erectio hujus figni, paffim ad Altaria feu Menfas Euchariſticas, ex Sozomeno, & aliis. Sed & adfcripta huic figno fua efficacia, vel apud Athanafium, *de Incarnat.* Epiphanium &c.

9. *Orationum pro mortuis*, v. gr. pro animâ Conftantini, Valentiniani, Gratiani &c. etiam pro *damnatis*, ut pœnæ mitigarentur, frequentatio; deinceps *Purgatorium* ignem apud Latinos fuccenfura, alio tamen adhuc tum fine & inftituto.

10. Abufus jam antè indicati circà *Baptifmi* & *Euchariftiæ* facra; Maximè poft creditam utriufque abfolutam neceffitatem, ut Euchariftia *Mortuis* etiam in os ingeri cœperit, in Africâ, ex Canonibus Africanis.

11. Inftituti *Monachalis* nova indies incrementa, promoventibus in Ægypto Pachomio, Macariis, &c. in Afiâ Bafilio Cæfarienfi, cujus *Regulæ*, feu Conftitutioni, multa poftmodùm affuta. At vix quicquàm commune cum Monachifmo pofterioris ævi, fi vota deinceps nata, mendicitatem, otium, ignorantiam Scripturarum, veftium & obfervantiarum fuperftitiones, ac fœdam Idololatriam, refpicimus.

12. *Veftium facrarum* fcrupulofior forma, diftinctio, repofitio in Sacrario; de quibus & Laodi-

Laodiceni Canones XXI. XXII. &c. Ex *Judaicâ* istæ partim disciplinâ, in Sacerdotibus & Levitis, partim etiam *Paganâ*, instituente Numa Pompilio Albam, Amictum &c. apud Alexandrum ab Alexandro. Mittimus alia.

II. Ast verò, vel ex dictis, discrimen in omnibus longè maximum à superstitione sequioris ævi. In multis *factum* legimus, non legem; factum etiam *particulare* quorundam, non omnium ubique Christianorum; factorum etiam diversissimas *circumstantias* ab hodiernis; alienâ & opinione *meriti*, aut cultûs divini *ex se* in talibus positi; reluctantibus denique passim gliscenti superstitioni vel *Synodis*, vel prudentioribus Ecclesiæ *Doctoribus*; ut κτ' μέρος ad capita singula Theologis Eruditis observatum, & nobis passim in pleniori *Introductione*, & in *Hist. Imag.*

VI. *Regiminis Ecclesiastici facies, hoc Seculo.*

1. *Ordines* sacros quod attinet, (τάξιν, τάγμα, κανόνα, σύστημα ἱερὸν) distincti hac ætate, passim in Canonibus, & apud Epiphanium, *Episcopi*, *Presbyteri*, *Diaconi*, *Hypodiaconi*, *Exorcistæ*, (iidem tùm qui κατηχηταὶ *Catechistæ*) *Lectores* & *Cantores*. Duæ autem *Ordinum* classes, quorum alii primi & superiores, ἱερατικοὶ Epiphanio, quasi *Sacerdotales*; alii Ordines minores, ministrantes, ὑπηρέται, in Canonibns Laodicenis, Antiochenis, quales præfati *Lectores*, *Cantores*, *Exorcistæ*, etiam θυρωροὶ *Ostiarij*. Nondùm hoc ævo Ἀκόλουθοι taciti præfatis Canonibus. Τάγμα τῶν ἀσκητῶν, *ordo Exercitatorum*, seu μοναζόντων *Monachorum*, de quo Canon Laod. XXIV. nondùm

dùm in Ecclesiastico seu Clericali ordine censitus fuit; imò *Ecclesiasticis* æquè ac *Secularibus* negotiis prohibiti diutissimè Monachi.

II. *Episcoporum* indubia hoc Seculo jura præsidendi, consecrandi, ordinandi, reconciliandi pœnitentes, pœnas minuendi &c. *Metropolitani* jàm tum,. ex Canonibus Nicænis & Antiochenis, hoc nomine noti. *Chorepiscopi* tum dicti, qui ἐν χώραις Episcoporum partibus fungerentur. *Archidiaconi* qui primi in Diaconorum ordine, sensu à recentiore diverso &c. Plura de Ordinibus singulis Introductionis nostræ T. I.

III. Indè à divisione Imperii post Constantinum M. & à constitutis Dignitatibus Civilibus, ac distributione Eparchiarum, Exarchatuum, Diœceseôn seu Vicariatuum, Præfecturarum in Oriente & Occidente, τύπον seu formam *Politici* Regiminis imitata est forma *Ecclesiastica*, fatentibus in ordine Pontificio doctis quibusvis, & ingenuis. Hinc natæ *Archiepiscoporum*, *Exarchorum*, *Primatum*, *Patriarcharum* in Ecclesiâ dignitates, *nomina* certè, de quarum origine, gradibus, fastigio, ex professo traditur aliàs, & præfatæ Introduct. majoris, T. I. ad Seculum IV. & V. ubi de Ecclesiæ *Regimine* & *Disciplinâ*. Adde Introductionem nostram ad *Geographiam S.* in quâ distinctè de Distributione Imperii Romani, indè à Constantino M. deque *Præfecturis* majoribus in Orbe utroque, & quæ in his *Diœceses* fuêre, seu *Vicariatus*, sub his rursùm *Provinciæ*, in Provinciis *Metropoles* &c.

Ordinem & *dignitatem* Urbium vindicarunt sibi Ecclesiæ, harumque Episcopi, probantibus Canonibus; Undè *secundus* ordine locus hoc

hoc ſeculo datus *Novæ Romæ*, tertius *Alexandriæ*, quartus *Antiochiæ*, quæ deinceps *Patriarchales* ſedes dictæ ſequenti ætate. *Hieroſolymitanus* verò hoc Seculo ne Metropolitanus quidem fuit poteſtate, quamvis *honore* talis, ex Canone Nicæno VII. ſubjectus utpote *Cæſarienſi*. Æmulatio quanquàm mox hoc nomine exorta, ut inter *Acacium* Cæſarienſem & *Cyrillum* Hieroſolym. ab Acacio depoſitum, quod ſibi primatum quendam vendicaret. De his fusè Salmaſius, Blondellus, Canonum & Notitiarum illuſtratores, & mea *Diſſertatio* de Metropolitanorum juribus, ex Canone VI. Nicæno.

IV. Epiſcoporum *Romanorum* mirè crevit ambitio, ob Urbis primatum τὰ πρωτεῖα, πρεσβεῖα, accedente communi opinione de *ſede Petri*. Hinc prætendere deinceps *Appellationum* jura, nondùm tamen Oecumenicum Pontificatum. *Paparum* adhuc commune hoc ſeculo nomen fuit. *Capitis* illud, jam tùm Romano datum, nomen ordinis fuit, & πρωτεῖα inter Epiſcopos.

De ſenſu & authoritate Canonis *Sardicenſis* IV. Conſtante & Conſtantio Imperat. in quo de Appellationibus ad Romanum, prolixè Eruditi, & Blondellus noſter, ac nos ſummatim contrà Baronium, Introduct. T. I. Ità quoque de *Epiſtolis* ὑποβολίμοις ſub nominibus Julii, Marci, Siricii, Pontificum, ad Orientales, ad Athanaſium, ad Epiſcopos Africæ, in quibus pro imperio decernunt, Univerſales ſcilicet Papæ: Sed & de factis variis, *Miltiade*, *Julio*, *Liberio*, *Damaſo*, *Siricio* Epiſcopis, undè miſerè imponunt Baronius, Bzovius, Bellarminus, Perronius, gregales.

v. *Cleri* universam hoc seculo & Canonicam rigidamque disciplinam; *Electionum*, & *Ordinationum* ritus, de quibus nos Dissertat. *de Imposit. Manuum;* prohibitas *Translationes* Episcoporum ex Ecclesiâ in aliam; *Synodale* Regimen in Provinciis, Diœcesibus; *Literas* Synodicas, Communicatorias, Canonicas, Formatas, id genus alias; *Conjugium* quoque permissum adhuc Episcopis, Presbyteris, in Orbe utroque, antè legem Siricii Papæ in *Epist.* ad *Himerium* Tarraconensem, scriptâ circà A. CCCLXXXVI. &c. enarrare pluribus hæ angustiæ non permittunt. Adi Historiam nostram pleniorem, & Canones.

vi. Cæterùm quid sibi *Imperatores Christiani* vindicarint, indè à Constantino M. in *externo Regimine Ecclesiæ*, vel hujus unius Principis cùm dicta tùm facta, apud Eusebium, Socratem, Theodoretum &c. testantur.

Hinc Synodos ille convocare; iis interesse moderaturus; literas ad Episcopos dare; lites componere; reformare; appellationes admittere; judices causarum Ecclesiasticarum constituere; contumaces Clericos deponere, restituere; de Sacris leges ferre, vel ex Historicis Ecclesiasticis, & ex Codice Theodosiano &c. Constantinum imitati Constantius, & successores. Undè Constantinum M. *sibi plus justo vindicasse in negotiis Ecclesiasticis*, H. Valesius ad Eusebium, ex hypothesi Rom. Ecclesiæ; longè acerbiùs invectis Baronio, Bzovio, Allatio, similibus.

VII. *Ha-*

VII. *Hæreſes hoc Seculo in Eccleſiâ natæ.*

Celeberrima omnium fuit *Hæreſis Ariana*, de quâ hæc paulò accuratiùs obſervanda, nempè ex Euſebio, Philoſtorgio quanquàm Arianæ factionis, Sulpicio Severo, Socrate, Sozomeno, Theodoreto, Actis Conciliorum, & Athanaſio, Epiphanio, Hieronymo, &c.

1. *Nomen* fuit illi ab Ario, ſcribunt alii Arrio, Alexandrinæ Eccleſiæ Presbytero, natione Lybe, ingenio acri & callido, ſed & ambitioſo.

2. Cauſa *impulſiva*; ambitio ſcilicet & æmulatio, dùm invideret Arius Epiſcopatum Alexandro ſui aliàs fautori; undè nullas non occaſiones captavit excitandi in Alexandrum motus.

3. *Occaſio* proxima, fuit Alexandri Epiſcopi ut ferunt, de SS. Trinitate curioſior diſquiſitio; Unde hanc ſugillare Arius, Alexander eam defendere, hominem in ordinem cogere, ac pertinacem tandem & turbulentum Eccleſiâ ejicere, habitâ Alexandriæ Synodo, A. CCCXXII.

4. *Capita* Arianæ Hæreſeos, referentibus Athanaſio, Hilario, Baſilio, Gelaſio Cyziceno, Hieronymo, Auguſtino, Socrate, Theodoreto &c. ſequentia potiſſimùm fuêre;

Chriſtum *Deum* dici, ſed titulo tenùs, *minorem* Patre, etiam ratione Deitatis, nec Patri *conſubſtantialem*, ſoli æterno, ἀνάρχῳ &c.

Eundem eſſe *Creaturam*, principium habens exiſtentiæ, creatum ἐκ μὴ ὄντων, antè rerum omnium primordia, hinc Deum *factum*, nec

naturâ sed *adoptionis gratiâ* Dei Filium, *Verbum* etiam *mutabilitati* obnoxium &c.

Per eum, ut *instrumentum*, Patrem omnia condidisse, hinc præstantiorem omnibus Creaturis esse.

Aliam igitur esse essentiam *Filii* ab essentiâ *Patris*, neque esse illum coæternum Patri, vel coæqualem, & consubstantialem.

Spiritum S. ne Deum quidem esse, sed *Creaturam Filii*, ab eo genitam & creatam, dignitate inferiorem Patre, & Filio, cooperantem in Creatione.

5. *Fautores* Arianæ Hæreseos, iique non infimæ notæ:

Ex Imperatoribus, fertur *Constantinus* in *Arianum* dogma declinasse, extremâ ætate, post Concilii Nicæni tempora, impulsus à Constantiâ sorore suâ Arianâ, negantibus meritò aliis, quicquid Hieronymus in Chronico, aut Philostorgius. Successit Fautor Hæreseos *Constantius* Imperator, minùs sententiâ Arianus, quàm patrocinio, inprimis postquàm ab Arianis circumventus est, ex historiâ Ariminensis Synodi. Fautor verò summus *Valens* Imperator, excitatus partim ab uxore Arianâ, partim ab Eudoxio Episcopo, undè Orthodoxorum, ab Anno CCCLXX. gravissimus persecutor fuit, ut infrà.

Ex Episcopis Fautores Arianæ hæreseos fuère præcipui, *Eusebius* Nicomediæ in Bithyniâ, *Theognis* Nicææ in Thraciâ, *Maris* Chalcedonis in Bithyniâ; *Secundus* Ptolemaidis in Pentapoli Libyæ regione, *Theonas* Marmaricæ in Africâ, Episcopi, &c. ac *Meletianæ* factionis illi in Ægypto, odio Alexandri.

6. *Artes* Arianorum & ingenium, siquidem nota-

notata in Arianis *diſſimulatio* & *dolus*, fictis ſuis Formulis, & ſimulato in re conſenſu cum Orthodoxis, quaſi de vocibus litigium eſſet. Item notata in illis, in multis *perfidia*, in fide *inconſtantia*, in Orthodoxos *calumniæ*, in Aulis *adulatio*, in præcipuis Epiſcopatibus invadendis *ambitio* &c. apud Sulpicium Severum, Socratem, alios, & ex Actis Conciliorum.

7. *Furor* Arianorum ſpeciatim in B. *Athanaſium*, qui cùm unus ferè ipſorum rebus primò obeſſet, furorem etiam illorum ferè unus ſuſtinuit, niſi addimus *Euſtathium* Antiochenum; & pulſos poſteà ſub Conſtantio & Valente Epiſcopos. Undè immanes in *Athanaſium* calumniæ, ſtupri, adulterii, cædis, aliorum criminum poſtulatum; hinc iterata exilia ſub Conſtantino, & Conſtantio Imperatoribus; hinc damnationes, depoſitio, fuga, Apologiæ, Romanum iter, reſtitutio poſt mortem Gregorii Ariani; nova exauthoratio ſub Conſtantio, ſubſtituto Georgio; & hoc occiſo reditus Alexandriam, ſub Juliano &c. Negat autem Valeſius *Notis* ad Socrat. Athanaſium *bis* Romam profectum, multaque de Athanaſio falſa in Socrate legi contendit.

8. *Factiones* & *Schiſmata* ipſos inter Arianos, qui in diverſas mox familias abierunt. Prima fuit Α'νομοίων *Anomœorum*, Fautoribus Aëtio, & Eunomio, qui propriam Sectam condiderunt, editâ hujus poſteà formulâ in Synodo Antiochenâ, A. CCCLXI. in quâ depoſitus Meletius Antiochenus. Altera Ο'μοιουσίων ſeu *ſemi-Arianorum*, editâ fidei Formulâ, in Synodo Ancyranâ, A. CCCLVIII. principibus Baſilio Ancyrano, Georgio Laodiceno, aliis; ipſoque Ma-

cedonio, posteà Pneumatomacho. Tertia fuit τῶ ὁμοίων, seu *Acacianorum*, rejectâ similitudine οὐσίας *substantiæ*; ut etiam in III. Formulâ Sirmiensi, ubi Filius ὅμοιος κατὰ πάντα, in Ariminensi verò, ὅμοιος simpliciter, ex Socrate, Sozomeno, probante & Synodo Seleuciensi, A. 359. Quarta, eorum qui rejectis omnibus istis vocibus, æquè ac τῷ ὁμοουσίῳ, statuerent *Patrem majorem Filio, honore, dignitate, Deitate*, qui purus putus Arianismus, in secundâ Formulâ Sirmiensi, Potamio, & Osio subscribentibus. Alii *Arianæ factionis* homines, doctrinâ autem in speciem *Catholici*, solam vocem ὁμοούσιον expunctam voluerunt, cætera professi fidem Nicænam, ità in Synodis Antiochenâ, A. CCCXLI. & CCCXLV. Sardicensi Orientalium, A. CCCXLVII. Sirmiensi secundâ, A. CCCLI; in Cariâ, A. CCCLXVI. Sed & fuerunt qui *Formulas omnes* conjungerent, exceptâ Nicænâ, Antiochenas, primam Sirmiensem, Sardicensem, Ancyranam, collectionem illam adornante Eustathio Sebastiensi, quem Basilius primò pro Orthodoxo habuerat, idque in Synodo Sirmiensi, quam alii *quartam* faciunt, secuturâ sic v. anno sequente CCCLIX.

II. Ad Arianam Hæresim accessit illa *Photini* Sirmiensis in Illyrico Episcopi, hinc *Scotini* per derisionem appellandi posteà, Viri aliàs & *ingenii viribus, & eloquio præpotentis*, apud Lirinensem. Hæreseôs capita fuêre: Christum *Filium Dei non extitisse, antè nativitatem* ex Virgine; undè cum Ebione & Samosateno Veteres componunt; *Patris, Filii, & Spiritûs S.* personam, seu operationem unam esse, undè cum Sabellio senserit. Pluribus Epiphanius *Hær.* LXXI.

Theo-

Theodoretus, Philaſtrius, Auguſtinus, Vincentius Lirin. &c.

III. Hæreſis *Apollinaris*, Ἀπολιναρίυ, Filii præcipuè, Laodiceni Epiſcopi, Viri in profanis Literis exercitatiſſimi, Athanaſio amati, laudati Epiphanio, Hieronymo, aliis, cumprimis ob præclarum opus adversùs Porphyrium, & aliud contrà Julianum. Porrò Hæreſis ejuſdem fuit, 1. Chriſtum aſſumpſiſſe *Corpus* ut amictum quendam, ſine *Animâ rationali*, ſed Animæ loco fuiſſe Divinitatem τȢ Λόγυ.

2. *Carnem* Chriſti conſubſtantialem eſſe *Divinitati*, ſeu permixtas Naturas poſt Unionem; à quo tamen errore, ut & ab impacto illo *Sabellianiſmi*, Theodoretus & alii Apollinarem liberant.

IV. Hæreſis *Macedonii*, nuper Patriarchæ Conſtantinopolit. ſed abdicati ſub *Conſtantio* A. CCCLIX. Negavit ille non diu poſteà, *Spiritûs S. Divinitatem*, aſſeruitque vim tantùm eſſe creatam, in creaturas effuſam. Undè dicti Macedoniani, aliàs Pneumatomachi, damnati ut in Synodis variis, poſt *annum* CCCLX. ità deinceps in Concilio Conſtantin. 1. Negabant & ὁμοούσιον Filii, ſubſtituto ὁμοιουσίῳ, ſemi-Ariani.

V. Hæreſis *Audii* vel *Audæi* cujuſdam Syri, è Meſopotamià oriundi, viri boni, adſcribentis *Deo humanam formam*, membra, affectuſque humanos, undè Sectatores Audiani, vel Audæani, aliàs Anthropomorphitæ. De his Epiphanius *Hær.* LXX. quibus aliàs fidei integritatem morumque âdſcribit.

VI. Hæreſis *Priſcilliani* Hiſpani, Laïci primùm

mùm & nobilis opulentique, posteà Episcopi Abulensis, impias Gnosticorum, Manichæorum, Valentinianorum, & Sabellii hæreses recoquentis, referente Sulpicio Severo. Magistri Priscilliani fuêre, *Marcus* quidam Ægyptius, & *Elpidius*, Sectatores plurimi per Hispaniam, cumprimis fœminæ, studiosæ rerum novarum. Probabat prætereà *mendacium & perjurium* tempore persecutionis, *Fatum* Astrologicum, *Divortia* conjugum, *Abstinentiam* à carnibus &c. Alii tamen, referente Hieronymo, Priscillianum à factione oppressum, tradiderunt.

VII. Denique huc spectant *Schismata* varia, V. gr. in causis *Melitii* Alexandrini, à Petro Alexandr. depositi; *Aërii*, inprimis in Episcopatum, in Orationes pro mortuis, in Jejuniorum leges invecti; *Eustathii* Sebastiensis, Nuptias, Carnium esum, id genus alia damnantis &c. Omnium verò gravissimum fuit, initio ferè Seculi IV. Schisma *Donatistarum*, authore Donato à Casis Nigris, in Numidiâ Africæ Provinciâ Episcopo, Constantino M. Imperatore. Hic æmulatione in Cæcilianum Episcopum Carthaginensem, à cujus sese communione cum suis subtraxit, *Schisma* primum fecit, intruso Majorino Episcopo, tandemque desiturum in Hæresim Schisma fuit.

Hæreseôs prima *capita:* Ecclesiam constare ex solis perfectis; Nullibi in Orbe terrarum deinceps esse præterquàm in Africâ, apud Donatistas; Rebaptizandos esse qui ad se transirent à Catholicis &c. Superba eorum effata, sed & crimina, Optatus & Augustinus memorant, flagella Donatistarum. Plura de Donatistis posteà.

VIII. *Con-*

VIII. *Concilia hoc Seculo illustriora, tùm Oecumenica, tùm alia, Generalia, Particularia.*

I. Conciliorum feracissimum hoc Seculum fuit, uti contentionum, hæresium. Quamvis prudentissimus Gregorius Nazianzenus de Conciliis pronunciarit, *Epist.* LV. ad Procopium, *Nullum se Conciliorum exitum* χρηστὸν *felicem deprehendisse*, & *malum potiùs indè exasperatum, quàm imminutum*, seu *habuisse* προσθήκην κακῶν *potiùs quàm* λύσιν. Duo autem fuêre *Oecumenica*, Nicænum I. & Constantinopolitanum I. quicquid de *Sardicensi* Romæ senserint.

II. De *Nicæno*, (cujus nulla mentio in Historiâ Ecclesiast. nec in Chronico authentico ipsius Eusebii) rursus observanda veniunt:

1. *Locus* convocationis, scil. *Nicæa* metropolis *Bithyniæ*; *Tempus* verò communi sententiâ annus Christi CCCXXV. Constantini Imperat. labens XX. mox à Synodo *vicennalia* celebraturi.

2. *Author* convocationis ipse Constantinus Imperator, ex Eusebio, de Vitâ Constantini M. *L.* III. *C.* VI. & Veteribus omnibus, Episcoporum suasu, seu *ex Sacerdotum sententiâ*, ut Ruffinus, id est, ex sententiâ *Alexandri*, Alexandrini Episcopi, hujus *studio & hortatu*, ut Epiphanius *Hær.* LXVIII. Sylvestro nullæ hic partes convocandi, nullus expectatus assensus, quicquid Constantino M. Sylvestrum adjunxerit sequior ætas, ex suorum temporum moribus, ut in *Actione* XVIII. Synodi sextæ.

3. *Causæ impulsivæ*, præ reliquis fuerunt,

tum crescens *Arii* hæresis, & ex eâ contentiones; tum controversia de die Paschali dividens Ecclesias; tum denique *Melitianum* in Ægypto schisma.

4. *Membra* Concilii, à plerisque si non omnibus, uno ferè Eusebio excepto, CCCXVIII. memorantur, ex Episcopis toto Imperio Romano, & ultimâ etiam Britanniâ, sed & ultimo Oriente, convocatis.

5. *Præses* Synodi, summus quidem & *Politicus*, ipse Constantinus Imperat. *Ecclesiasticus* verò, (ex Athanasio, Eusebio, aliis,) ut plurimùm Osius Cordubensis Episcopus, secundùm alios & Eustathius Antiochenus: Frustrà Osium *legatum* Romanæ sedis, Baronio, Perronio, & nuper quoque Valesio, Notis *ad Socrat.* de suo fingentibus. *Adfuisse* verò Sylvestri nomine *Vitum* & *Vincentium* omnes referunt, *præfuisse* nemo; quod & Launoius Sorbonicus rectè asseruit, *Epist.* ad Raymundum Formentinum: Et nuper quoque Du-Pinus, Bibl. Novæ T. II. explodit *Vicariatum* illum Osii Cordubensis.

6. Succedunt *Acta* præcipua hujus Synodi, qualia fuêre: Damnatio *Arianæ* hæreseôs & anathema illi dictum, ad finem Symboli, recitati Socrati, Theodoreto, Ruffino. Symbolo inserta vox efficacissima ὁμοούσιος *consubstantialis*, de quâ tot deinceps litigia. *Subscripsisse* non modò Eusebium Cæsariensem, sed etiam plerosque Arianos, & ipsum factionis caput Eusebium Nicomediensem, exceptis tamen *Ario* ipso, & *Secundo* Ptolemaidis, ac *Theonâ* Marmaricæ Episcopis, ex Epistolâ Synodicâ Nicænorum, & ex Athanasio non semel, abundè liquet.

Tùm

Tùm Controversiæ *Paschalis* compositio, & decretum Synodi adversùs praxim Asianorum. Undè nati mox *Cycli* Paschales, Noviluniorum & Pleniluniorum indices.

Hinc compositio schismatis *Novatiani*, de quo ad superius Seculum; memorabilibus & Constantini vocibus ad Acesium Novatianum.

Censura quoque in *Melitium* in Ægypto Episcopum lata, invadentem in jura Alexandrini; undè *honor* solummodò Episcopatûs illi relictus fuit, *ordinationibus* interdictis.

7. Inclytum est Decretum Concilii, de sedibus *Metropolitanis*, quibus esset suprema & æqualis potestas in Provincias sibi obnoxias, aut in *Suburbicarias* Regiones vel Ecclesias, quæ scilicet sub Urbe matrice, ut reddidit Ruffinus. Et inter eas sedes nominatim recensentur *Alexandrina*, planè ad exemplum *Romanæ*, & *Antiochenæ*, honore Metropolitani adscripto etiam *Hierosolymitanæ* sedis Episcopo. Occurrunt ista Canone VI. & VII. De quibus miserè vexatis, *sexto* maximè, extat quoque prolixior nostra Dissertatio, adversus Leonem Allatium, & recentiores. Versiones omnes Canonis VI. contulit Doctiss. Beveregius in *Notis* suis ad hos Canones.

8. De *Cœlibatu Clericorum* disceptatio fuit, prudenter faciente Paphnutio, Thebaidis superioris Episcopo, cœlibe & ipso, ne lege sanciretur, apud Socratem, Sozomenum.

9. *Canones* cusi in Synodo, juxtà Codicem antiquissimum Ecclesiæ Universæ, Concil. Carthaginense, Theodoretum, Veteres omnes, numero XX. juxtà Ruffinum XXII. In his constitutiones variæ circà *Ordinem* & *Disciplinam*

Ecclesiæ, *Episcopos*, *Clericos*, *Diaconos*, *Catechumenos*, *Novatianos* ad Ecclesiam redituros, *Lapsos* in persecutione &c. Canon verò XII. non *militiæ cingulum* simpliciter damnavit, sed conjunctum cum thurificatione & apostasiâ. Porrò explosi cordatioribus etiam Latinorum Canones Nicæni *Arabici* LXXX. superiori Seculo à Pisano & Turriano propinati: Æquè ac suppositititiæ sunt, *Synodica Epistola* ad Sylvestrum Papam, & responsoria *Sylvestri*, barbarismis, anachronismis, argumento ipso prodentes fraudem, & crassam illam quidem.

10. *Duratio* hujus Synodi, non ità certa est, aliis circiter *triennio*, probante Scaligero, aliis vix ultra *bimestre* spatium, ex Cresconii Collectione Can.

11. *Confirmatio* ejusdem facta per Constantinum, in Actis Gelasii Cyzic. & per Synodos sequentes, Universales & Particulares; Gratis supponente cum suis Baronio, Binio, petitam *confirmationem* à Sylvestro Papâ, & Synodum in hunc finem Romæ habitam, planè fictitiam, nulli Veterum memoratam, & *Constantini* præsentiam in Urbe Româ mentientem. *Canones* ejusdem Romanæ Synodi barbari simul sunt & absurdissimi, quos vide Tomo Conc. II. *col.* 411.

12. *Exitus* denique, primò lætus fuit, pulso in exilium Ario cum asseclis subscribere detrectantibus, & pace in speciem Ecclesiis datâ. At posteà luctuosus idem, dolosâ quorundam subscriptione, Eusebii Nicomed. & Theognidis artibus, Arii simulatâ palinodiâ & libello satisfactionis, Constantini credulitate, Athanasii exilio, Orientalium Pseudo-Synodis, Formulis variis &c.

Ne-

Negantem *Arii* exilium Baronium rectissimè arguit H. Valesius, Notis ad Sozom. L. II. Cap. XVI. aliique. *Duos Arios* benè distinguit idem Valesius, ejusdem & nominis & factionis, alterum Hæresiarchæ superstitem.

II. Alterum Oecumenicum fuit, *Constantinopolitanum* I. cujus observantur,

1. *Tempus*; quod incidit in annum Æræ Christianæ CCCLXXXI. Majo mense, Theodosii Magni III. Damaso Episcopo Romano, *Gregorio* autem *Nazianzeno* designato ad Episcopatum Constantinopol. sed cessuro posteà locum *Nectario*. Undè plures hujus Concilii Sessiones vel periodi assignantur, quarum altera fuit, post mortem Meletii Antiocheni, quando abdicante Nazianzeno substitutus Nectarius est, Vir Senatorius, sub finem Anni ejusdem, aliis initio Anni CCCLXXXII.

2. *Author* convocationis; qualis constanter fertur Theodosius M. uti disertè referunt Socrates, Sozomenus, Theodoretus; frustrà Baronio, ex *Actis* VI. Synodi, pro Damaso opinante, planè ut pro Sylvestro nuper.

3. *Causa* habiti Concilii; quæ duæ potissimùm, iisdem testibus: Prima, Hæresis *Macedonii*, antè Episcopi Constantinopolit. negantis divinitatem Spiritûs S. Altera, *Gregorii Nazianzeni* causa, designati à Theodosio ad Episcopatum Constantinopolit. Ægyptiis autem Episcopis *Maximum* quendam Cynicum ejus loco intrudentibus, damnatum *Canone* IV.

4. *Numerus* coactorum Episcoporum, quales fuêre CL. nullo in iis Episcopo Romano, nec per se nec per Legatos; Undè nec *Universale* fuisse magnoperè vellent, sed tantùm Orientalis;

talis Ecclesiæ Concilium, quod tamen ex post facto Occidentales approbaverint.

5. *Præses* Synodi non ūnus fuit. Nam primò Meletius Antiochenus præsedit, ordinaturus Nazianzenum in Sede Constantinopolit. Posteà substituto Nectario Constantinopolit. instar Præsidum primi subscripserunt, Nectarius Constantinopolitanus, tum Timotheus Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus, hinc reliqui.

6. *Acta* præcipua in hoc Concilio; qualia fuêre, primò *Confirmatio fidei* Nicænæ, & damnatio variarum Hæresium, ac in specie illius *Macedonii*, Pneumatomachi, &c.

Hinc assignati limites singulis *Diœcesibus*, Alexandrinæ, Antiochenæ, Asianæ, Thracicæ, Ponticæ, & confirmata singulis Privilegia. *Patriarchas* tum *constitutos* habet Socrates *Lib.* v. *C.* VIII. sed malè, nisi significatu laxiore.

Secundus à Romano honoris locus (τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον,) *Canone* III. assignatus Episcopo Constantinopolitano, hac ratione, quod esset urbs Constantinopolis *Nova Roma*, paribus cum Vetere Privilegiis; Undè hunc Canonem vellent Baronius, Binius, Sequaces, dispunctum, aliis alia hariolantibus. Certum tamen approbatum confirmatumque à *Chalcedonensibus* Seculo seq. & ab *Oriente* toto, insertumque *Canonibus* Ecclesiæ Universæ fuisse, ab ipso Dionysio Exiguo. At indignatos in hunc Canonem fuisse Romanos Pontifices, ex quo cristas erexerunt, primumque omnium Leonem, hinc Gelasium, Gregorios &c. nihil sanè mirum. Repugnasse *Damasum* tùm Urbis Episcopum, nullo teste asseritur.

Deni-

Deniquè ut mittamus alia, adornatum in hoc Concilio *Symbolum fidei*, additis ad Symbolum Nicænum quibusdam vocibus, explicantibus fidem Orthodoxam de *Spiritu S.* tanquàm qui ὁ Κύριος, ὁ Ζωοποιὸς, ὁ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενος &c. contrà Macedonium: Quâ de *additione*, non par omnium in Ecclesiis sententia fuit; daturâ originem assertioni Græcorum de Processione Spiritùs S. *ex Patre* solo. Symbolum modò *Nicæni*, modò *Constantinopolitani* nomine venit, non recitatum quidem in Synodo Ephesinâ, benè in Chalcedonensi.

III. Præter hæc Concilia Universalia, fuêre *Particularia*, feracissimo hoc Conciliorum ævo propè innumera. Illaque iterùm vel *legitima* & *Orthodoxa*, vel *spuria* & *Hæretica*, Arianæ potissimùm factionis, ac Donatisticæ.

Orthodoxa celebrantur, seu antè seu post Concilium Nicænum, præ cæteris sequentia:

Eliberinum vel *Eliberitanum* in Hispaniâ, primum pro *Cœlibatu*, vide *Can.* XXXIII. Constantino Imper. celebre cumprimis Canonibus LXXXI. ex quibus Ecclesiastica ejus ævi Disciplina mirè illustratur. Tempus Concilii plerisque A. CCCV. flagrante adhuc persecutione, undè rigor Canonum in lapsos, & in omni Ecclesiæ Disciplinâ. Quo factum, ut *Canone* XXXIII. *prohibeant Episcopis*, *Presbyteris*, *Diaconibus*, *Subdiaconibus*, *positis in ministerio*, (tempore ministerii) *abstinere à conjugibus suis*, sic illi, contrariâ praxi prioris ævi, & Canonibus Ancyranis, aliisque. De Canone XXXVI. de *Picturis in Ecclesiâ non habendis*, prolixè nos *Hist. Imag. Sect.* I.

Arelatense I. authoritate Const. M. præcipuè

paè contrà Donatiſtas, A. CCCXIV. Præceſſerat Synodus Romana, in eadem cauſâ, Miltiade Romano cum aliis judice conſtituto, A. CCCCXIII. juſſu Conſtantini. Inter *Canones*, de Eccleſiæ Diſciplinâ, fruſtrà *octavus*, quî de Impoſitione Manuum eſt, trahitur ad Sacram. Confirmationis.

Ancyrana Synodus Galatiæ, circa A. Chr. CCCXV. *Neo-Cæſarienſis* Ponti Polemoniaci, eodem circiter tempore; *Gangrenſis* Paphlagoniæ, Nicænâ multo poſterior; *Antiochena* Syriæ, mox ab obitu Conſtantini, A. CCCXLI. malè Arianis ſimpliciter accenſita à Baronio, Perronio &c. *Laodicena*, Phrygiæ Pacatianæ; intrà A. C. CCCLX. & CCCLXX. fruſtrà hanc Nicænâ vetuſtiorem ſtatuentibus Baronio, Binio, gregalibus, maximè ob cauſam *Quadrageſimalem*. Et harum Synodorum Canones, plurimi digniſſimi obſervatu, undè omnis Eccleſiæ diſciplina conſtat, collecti pridem fuêre in Codice *Eccleſiæ Univerſæ*, vertente Dionyſio Exiguo.

Sardicenſis quoque Synodus digna memoratu, Athanaſio favens, circà A. C. CCCXLVII. Sardicæ Illyrici; minimè autem *Oecumenica*, imò ex ſolis Occidentalibus congregata. *Præſes* hujus *Oſius* Cordubenſis, ex ſubſcriptionibus; nec profectò ut locum tenens Romani, imò hujus locum tenuerunt, id eſt, Julii tùm ſedentis, Archidamus & Philoxenus. Hujus autem Synodi Canones perperàm confuſi cum Nicænis, ac pro Nicænis obtruſi à Papâ Zoſimo, maximè ob *Canonem* IV. de quo fusè nos *Tomo* I. plenioris Introd. ad Sec. IV. C. VII.

Concilia hujus Seculi plura, ut *Africana* in cau-

causâ Donatisticâ, *Sirmiense* Orthodoxum A. CCCXLIX. contrà Photinum, *Ariminense* Orthodoxum in Arianos, Constantio Imper. confirmans τὸ ὁμοούσιον, *Romana varia*, *Italica* alia, *Gallica*, *Hispanica*, *Alexandrina* &c. (de quibus Tomi Conciliorum Edit: nuperæ I. & II.) silentio transmittimus, quia eorum historiam hæc Epitome non capit. Minùs hîc dicimus Synodos suppositititias, qualis *Sinuessensis* illa, in causâ dispositionis Marcellini, A. CCCIII. ab omnibus explosa, præterquàm Baroniis, Biniis, &c.

IV. *Spuria* Concilia, alia cumprimis fuêre *Donatistarum*, quorum meminit passim Augustinus, in Epistolis, in Breviculo Collat: in Libris contrà Petilianum, Cresconium, Parmenianum; & adversùs hunc postremum Optatus Milevitanus. Cœperunt Schismaticæ Synodi ab A. CCCXI. quando in *Cæcilianum*, nuper creatum Carthaginensem Episcopum, *Traditionis* falsò accusandum, & qui eum ordinassent, insurrexerunt factiosi, creato Majorino, Pseudo-Episcopo, in Synodo ex *Numidiæ* Episcopis Carthagine congregatâ. Quod verò factiosos coarguit, est illud ipsum *Traditionis* crimen, quo adversarii hi Cæciliani erant obstricti, vel ex historiâ *Cirtensis* Synodi, paucis antè annis habitæ in Numidiâ, apud Augustinum contrà Cresconium, L. II. C. XXVII. Undè Donatistæ apud Optatum Milevit. probati primò fuisse *Traditores*, deindè *Schismatici*.

Arianæ Synodi fuêre quammultæ, nec Catholicis tantùm, sed & sibi invicem adversæ; undè tot Arianorum *Formulæ*, de quibus suprà Lem-

Lemmate de *Hæresibus*. In celebrioribus hic memorentur:

Synodus *Tyria*, seu *Cæsariensis*, A. CCCXXXV. convocante Constantino M. infesta optimo Athanasio, præsidibus Eusebio utroque *Cæsariensi* & *Nicomediensi*, in Athanasium conspirantibus Melitianis, Arianis, Eusebianis.

Synodus *Antiochena*, sub Constantino M. in quâ depositus Eustathius, factione Eusebianorum. *Antiochena* altera, sub Constantio & Constante, A. CCCXLI. factione magis Ariana, odio Athanasii, quàm doctrinâ, ut patet ex tertiâ & quartâ Fidei Formulâ, in eâ Synodo approbatis. *Pseudo-Sardicensis*, A. CCCXLVII. post factum divortium Orientalium, qui Sardicâ in vicinam Philippopolim secesserunt, odio præcipuè Athanasii, & Marcelli Ancyrani, ac fautorum; *Sirmienses* Synodi Arianæ factionis, sub Constantio Imperatore; Annis CCCLI: CCCLVII. CCCLVIII. CCCLIX. in quibus *tres* Fidei Formulæ scriptæ, quarum *prima* habita Catholica fuit Hilario, Libro de Synodis; *Secunda* purè Ariana fuit, A. CCCLVII. *Tertia*, Semi-Ariana, Filium esse ὅμοιον Patri, addente Basilio Ancyrano, κατὰ πάντα, A. CCCLIX. Cuinam harum *Liberius* Romanus subscripserit, non par omnium judicium est, *Baronio* falsò asserente quod *prima* tantùm, quæ quoad rem Orthodoxa fuit, veriùs secundæ, ac posteà tertiæ.

Nec omitti debent *Antiochena* altera, A. CCCXLV. ambiguæ Fidei; *Mediolanensis* Ariana, sub Constantio, A. CCCLV. *Ancyrana* Semi-Ariana, A. CCCLVIII. *Pseudo-Nicæna* Thraciæ, post Ariminensem cogenda fraude Ursacii

cii & Valentis, aç sancitura Fidei formulam *tertiæ* Sirmiensi haud absimilem, cui subscribere coacti Orthodoxi, undè *totus Orbis Arianus* quasi factus est.

IX. *Patres & Doctores hoc Seculo Illustriores, in Ecclesiâ utrâque.*

1. In *Græcis* & *Orientalibus* eminent præ cæteris:

Eusebius Cæsariensis, hoc ipso à Nicomediensi, Emeseno, Vercellensi, Samosateno, qui hujus omnes Seculi, distinctus; de cujus non eruditione, sed fide Catholicâ, & constantiâ, iniquius jam olim fuit judicium Hieronymi, & Photii, iniquissimum passim Baronii, æquius illud Usuardi, & Gallicanæ Ecclesiæ, qui *Sanctis* adscripserunt. Eâ modestiâ fuit, ut oblatum sibi Episcopatum Antiochenum recusaret. Mortuus verò Eusebius est, sub initia Constantii Imperat. circà A. CCCXXXVIII. *Chronicon* primò, dein explanatiùs *Historiam* scripsit, ipsomet teste.

Athanasius Alexandrinus, flagellum simul & odium Arianorum, ordinatus Alexandriæ Episcopus, A. CCCXXVI. sæpiùs expulsus, toties restitutus, ac mortuus tandem sub Valente, A. CCCLXXIII. Opuscula illi per fraudem afficta sunt benè multa.

Basilius Cæsareæ in Cappadociâ Episcopus, cognomento Magnus, Ascetarum in Oriente pater, mortuus sub Gratiano. *Basilii* eloquentiam Photius æquiparavit illi Demosthenis, Erasmus etiam ante-habuit. Vide Gregorium Nazianzenum, de laudibus Basilii, *Orat.* XX. T. 1.

Grego-

Gregorii duo in Oriente, *Nazianzenus* scil. ille *Theologus*, Orator, Poëta eximius, Patri in Episcopatu successor, magnus Catholicismi vindex, Sedi Constantinopolitanæ præficiendus sub Theodosio M. sed spontè abdicaturus, denatus A. CCCLXXXIX. Gregorius alter *Nyssenus*, Basilii Magni frater, vir credulus nimiùm ac superstitiosus, sectator Origenis, sed & nimiùm Philosophus, dicendi genere Nysseni quòque declamatorio, ut ab Eruditis observatum est.

Cyrillus Hierosolymitanus, author adhuc juvenis *Catecheseôn*, sede motus sub Constantio, factione Acacii Cæsariensis, sed interpositâ appellatione posteà restitutus, ac mortuus sub Theodosio M. Vide Hieronymum, Socratem, Sozomenum &c.

Epiphanius Palæstinus, Constantiæ in Cypro Episcopus, ab A. CCCLXVI. olim μονάζων, Vir oppidò eruditus, nec pari tamen judicio, aut facundiâ, hinc & credulus quandoque nimis, turpissimè etiam in historiam impingens, & tempora, exemplis in pleniori nostrâ *Introduct.* Fuit penè ad furorem adversarius Origenis, hinc & Chrysostomi, & Joh. Hierosolymitani, socius hac parte Theophili Alex. & Hieronymi. Moriturus sub Arcadio, extremo senio, ac relicturus utilissima scripta, nec tamen quæcunque sub ejus nomine vulgata, inter quæ Liber fabulosissimus *de Vitâ & Morte Prophetarum.* Imaginum, Virginis, Sanctorumve cultui religioso, Voto Cœlibatûs, Sacrificio Missatico, Purgatorio, &c. parùm favens est Epiphanius.

Joh. Chrysostomus, facundissimus Patrum, ordinatus

dinatus à Flaviano Antiocheno A. CCCLXXXV. Archiep. Constantinopolitanus ab A. CCCXCVIII. impetitus calumniis & factione Theophili Alex. expositus odio Eudoxiæ Imperatr. quam liberiùs castigaret, in exilium tandem agendus ab Arcadio Imperat. A. CCCCIII. in regionem Ponticam. Viri dotes, labores, scripta genuina, afficta alia, quædam dubia, recensere non hujus est Compendii. Mentitus nuper Natalis Alexander, T. VII. p. 647. *Epist.* Chrysostomi *ad Cæsarium*, quâ jugulatur Transsubstantiatio, citatam P. Martyri, & Plessæo pridem, *non esse Chrysostomi, nullis in Mss. haberi, nullis in Bibliothecis extare.* Vide Edit. nuperas, Oxoniensem, & Banagii alteram.

Adde, quorum supersunt non ità multa, *Macarios* Ægyptios sæpè confusos; *Ephremum* Syrum Diaconum; *Amphilochium* Lycaonii Episc. *Didymum* Alex. cœcum à pueritiâ; *Asterium* Amaseæ in Ponto Episc. diversum ab Asterio Ariano; *Apollinarem* de quo suprà in Cap. de Hæresibus &c.

II. In *Latinis* & *Occidentalibus*, claruerunt, præ cæteris multis;

Cœlius Firmianus, cognomento *Lactantius*, Cicero Christianus, mortuus sub Constantino M. in re angustissimâ, ex Eusebii *Chronico*. Errores Lactantii, Theologicos, Historicos, alii subnotarunt, in utroque ordine Reformato & Pontificio.

Hilarius Pictaviensis Episcopus, dictione sublimis, flagellum Arianorum, scriptis Libris XIII. de Trinitate, hinc agendus in exilium sub Constantio, revocandus posteà, ac moriturus sub Valentiniano seniore, A. CCCLXVII.

Mira

Mira nuper aſſerendi fiducia Natalis Alex. qui errorem Hilarii, (Chriſtum nullum *ſenſiſſe dolorem paſſionis*, *non habuiſſe naturam ad dolendum*, *Lib.* x. de Trinit.) ab omnibus penè agnitum, præterquàm à Scholaſticis, dicit illi *perperam affictum à Dallæo*, *Riveto* &c.

Optatus Milevitanus Epiſc. adverſarius Donatiſtarum, *Libris* VI. contrà Parmenian. clarus ſub Valentiniano & Valente; cæteroquin de ejus Vitâ obſcura omnia.

Ambroſius Mediolanenſis, à civili Præfecturâ traductus ad Eccleſiaſticam, animo magnus, dictione mellifluus, ſtudioſior tamen Origenis, & Græcorum Patrum; hinc minùs probandùs Hieronymo, in *Catalogo.* De ejus ſcriptis genuinis, afflictis, vide Criticos, & nuperos Editores. Mortuus ſub finem ſeculi, A. 397.

Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus, Scriptor de Hæreſibus, mortuus ſub Theodoſio M. antè Ambroſium Mediolan. Sed vitio illi datum, quod inter *Hæreſes* referat quas antè ipſum nemo, nec Epiphanius; aut quæ ne Hæreſes quidem, niſi abuſivo ſignificatu; totidem etiam *Sectas* faciens, quot *Dogmata* erronea.

Paulinus Nolæ in Campaniâ Epiſcopus, natione Aquitanus, alius à Paulino Diacono, clarus jam ſub finem Sec. Cujus extant Epiſtolæ & Poëmata, de quibus aliàs.

Hieronymus Stridonienſis, Presbyter, eruditione ſeculari, literarum Hebraicarum peritiâ, Tranſlatione Scripturarum, ingenio, eloquentia, ſanctimoniâ, primus Latinorum Eraſmo; aſt odio cum primis acerbiore in Origenem, aculeis in adverſarios, affectuum vehementiâ, ſolitudinis Monaſticæ, aliorumque in Vigilantium,

tium, etiam in Augustinum, nimio studio, culpandus, vitâ sub Theodosio Juniore functus, A. ccccxx.

Augustinus Hipponensis in Africâ, hoc jam Seculo, Episcopus, Hieronymo linguarum peritiâ, profanis literis, ac Romanâ dictione inferior, ast sacrâ eruditione, & docendi vi, & in solvendis nodis argutiâ, & in disputando promptitudine, & in Hæresibus profligandis, cumprimis in Gratiâ asserendâ, felicitate, virtute etiam moderationis ac prudentiæ, major; denatus A. Christ. ccccxxx. De Hieronymi simul & Augustini *Scriptis*, quà genuinis, quà utrique suppositis, deque *erroribus* & *nævis* utriusque Patris, non est hîc dissertandi locus. *Marium Victorinum*; *Damasum*, *Siricium*, *Juvencum*, *Prudentium*, *Sulpicium Sever.* alios, compendii causâ mittimus, de quibus qui de Ecclesiasticis Scriptoribus, & de Historicis Latinis, commentati sunt.

X. *Persecutiones hoc Seculo in Ecclesiam excitatæ.*

1. In his gravissima omnium est illa, quæ cœpit per *Diocletianum* Imperat. & *Maximianum Herculium* ejus Collegam, continuanda per creatos dein *Cæsares*, & *Augustos*, postquàm illi duo abdicassent; & hæc inter Generales vulgò *Decima*.

Ejus initium malè à Baronio & aliis refertur ad A. ccci. & ab Eusebio ad A. cccv. veriùs referendum ad A. ccciii. Diocletiano viii. Maximiano vii. Coss. à vii. Kal. Mart. apud Lactantium.

Author

Author *Diocletianus*, superbissimus Princeps, sæviturus magis in Oriente, Maximianus in Occidente, & Africâ. Et *Occasio* quidem proxima, memoratur Eusebio, *Lib.* VIII. C. VI. incendium domûs cujusdam regiæ Nicomediensis, præsente Imperatore. Undè & *Nicomediæ* primùm cœpit persecutio, grassatura deinceps Edictis in Syriam, Africam &c. Posteà quum purpuram deponerent Imperator uterque, recruduit persecutio per *Galerium Maximianum* à Diocletiano Nicomediæ adoptatum, A. CCCV. tùm per *Maximinum* ab eodem Cæsarem factum, quo tempore *Severus* Cæsar constitutus ab Herculio est; hinc per *Maxentium* filium Herculii, *Galerii* generum, Imperatorem proclamatum A. CCCVI. sublatum A. CCCXII. paulo antè Diocletianum.

Modus persecutionis, omnium qui fuêre atrocissimus, sed successivis gradibus. Hinc sævitum primò in Templa, in Libros sacros, in Christianos προέδρους, seu in Doctores Ecclesiarum, dein per Præsides passim & Judices, in privatos, in sexum omnem & ætatem, nullo non genere suppliciorum excogitato; prolixè apud Lactantium, Eusebium, Socratem, Sulpicium Severum, & qui hos secuti, Bedam, Zonaram &c. *Viginti millia* in Templo Nicomediæ uno die concremata refert Nicephorus, *Lib.* VII.

Loca fuêre in Asiâ, Phrygiâ, Palæstinâ, Arabiâ, Africâ, Mauritaniâ, Hispaniâ, Illyrico, Italiâ, Galliâ, Britanniâ, quatenus hæc erat Romano Imperio subjecta, *Albano* Verulamio Britanniæ tùm Protomartyre, uti ferunt, A. CCCV. Ex quo tamen *Constantio Chloro* cesserunt

Gallia,

Gallia, *Hispania*, *Britannia*, ab Anno CCCV. quo cum Galerio, *Augustus* appellatus est, hæ regionis expertes persecutionis omninò fuerunt, ex Lactantio, & Eusebio.

Effectus fuerunt, uti quorundam sanè *Apostasia* & abnegatio (inter quos referuntur *Marcellinus* Episcopus Romanus, & (quanquàm fide dubiâ) *Eusebius* ipse Cæsariensis, apud Epiphanium) ità quoque *Martyrum* sine numero incredibilis constantia, in specie *Virginum*, *Matronarum*, exemplis frequentibus apud Eusebium, *Lib.* VIII. Ambrosium *de Virginibus* &c. Quorum tum nomina, tum supplicia, tum victorias & triumphos, prolixè memorati Scriptores exponunt, & ex iis Magdeburgenses, Cap. III. & XII. Quanquàm *veris fabulosa* sine fine adjecerint Martyrologia, & Legendarii Scriptores, nec dubium sit, quin auxerit in immensum *Martyrum* numerum sequior ætas, quem non ità magnum fuisse contendit Doctiss. Dodwellus, in *Dissertationibus* Cyprianeis. Fabulas qui volet de S. *Dorotheâ*, S. *Agnete*, S. *Catharinâ*, S. *Georgio*, S. *Christophoro*, &c. explosas cordatioribus, vel Baronium adeat; quomodò de fabulâ *Catharinæ* prolixè G. Cassander, in ejus Hymnum. Inter Illustres verò Martyres non reticendus *Lucianus*, Presbyter Antiochenus, Martyr Nicomediæ sub Maximino, animi invictâ fortitudine, inter diros cruciatus, & inediam dùm *Idolothyta* comedere juberetur, apud Eusebium *Lib.* IX. C. VI. Hieronymum in *Catal.* alios. Et hic *Lucianus* Martyr est, cui tribuitur Editio Versionis Græcæ τῶν LXX. distincta ab illâ *Eusebii* & *Pamphili* ex Origenis Hexaplis, & à tertiâ quæ fuit *Hesychii* Alexandr.

Duratio per totos annos continuos x. testibus Lactantio, Eusebio, Sulpicio. Nam continuata etiam post abdicatum à Tyrannis imperium, à Galerio in Oriente, Maximino in Africâ & passim, & Maxentio in Occidente, potissimùm. Putandi anni illi ab A. Ch. CCCIII. VII. Kal. Mart. ad Annum CCCXIII. quando Edicto Constantini & Licinii reddita pax quaquaversùm. Tyrannis igitur Deo vindice extinctis, Ecclesia lætior & splendidior sub Constantino M. apparuit, & *post tenebras lux*. Ab hac Persecutione Æra Diocletianea, de quâ suprà, dicta fuit *Æra Martyrum*, quanquàm ex alio capite instituta A. C. CCLXXXIV.

II. Decimam generalem Persecutionem excepit in Oriente A. C. CCCXX. *Licinii* illa, abalienati à Constantino affine, de qua Eusebius, *Lib.* x. C. VIII. & de Vitâ Constantini *Lib.* I. C. XLIX. & *seq.* ubi iniquissimæ Licinii constitutiones in Episcopos, in Synodos, in Christianos. Sed maximè *Episcopos* hac Persecutione sublatos fuisse, ex Eusebio colligitur, duraturâ ad deditionem Licinii, A. CCCXXIV.

III. Persecutio *Constantii* Imperat. in Orthodoxos, ex Historiâ Arianâ, ex Athanasio ad Solitarios, ex Hilario in Constantium, aliisque hujus & sequentis ævi Scriptoribus, satis intelligitur. Certum autem, circumventum fuisse fraudibus *Arianorum* Constantium, nec tam mortes quàm exilia, & probra, passos Orthodoxos: Ipseque Nazianzenus *Orat.* III. & IV. contrà Julian. excusat in multis Constantium, cujus facilitate abusi sint Julianus, & Aulici.

IV. Gravissima deinceps fuit in Christianos

illa *Juliani* vulgò *Apoſtatæ*, ſi tamen unquam *fide* Chriſtiani, quanquàm talis *profeſſione* à primâ infantiâ, etiam aliquando *Lectoris*, & in *Clerum* adlecti, cum fratre Gallo, ut Nazianzenus *Orat.* III. & Theodoretus, referunt. Quâ de Perſecutione Ruffinus, Nazianzenus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, &c. Cœpit hæc ferè à morte Conſtantii Imperat. A. CCCLXI. ſed obfirmato primùm Imperio, quouſque Chriſtianam fidem aliquantiſper ſimulavit; Ammiano teſte.

Modus dignus callidiſſimo Principe, nec ſuppliciis primò, ſed malis artibus: Hinc præmiis, blanditiis, cavillis, ſubtilitate; illinc minis, mulctis, depoſitionibus, exiliis, ſollicitaturo ad defectionem Chriſtianos.

Tum Templa Chriſtianorum clauſa; Scholæ interdictæ; Delubra aperta; Idoleia reædificata; Gentiliſmus Chriſtianorum ritibus veſtitus; omnia Ethnicis luſtrationibus polluta; Libri etiam ab Imperatore in Chriſtianos ſcripti; blaſphemiæ in Chriſtum *Fabri filium*, *Galilæum* &c. eructatæ; Chriſtiani deturbati, oneribus, oppreſſionibus exhauſti &c.

Exceperunt tandem quoque carceres, exactiones, flagra, tormenta, & atrocia ſuppliciorum, cumprimis, in Palæſtinâ, in Syriâ, in Ægypto; exemplis apud Theodoretum paſſim *Lib.* III. Multa in ſpeciem improbante, ad factas accuſationes, Juliano, ſed nuſquam ferente opem; graviora etiam molito in Chriſtianos, ſi Perſicum bellùm confeciſſet ex voto, apud Ruffinum, Theodoretum. Chriſtianos mirè ad conſtantiam animarunt *Athanaſius*, *Baſilius*, *Nazianzenus*, eluſis artibus Juliani.

Juliani verò (ſublati anno II. Imperii, Chriſti vulg. CCCLXIII. lethali ſibi vulnere, ſalutari Eccleſiæ) ultimas & blaſphemas in Chriſtum voces, *Viciſti Galilæe*, refert Theodoretus *Lib.* III. C. XX. ut ex quorundam *relatione*; Aliis alias ejus ad *Solem* voces extremas, & quaſi exprobratorias, referentibus; graviſſimam autem orationem memorante Ammiano Marcellino *Lib.* XXV. & Libanio in ejus *Orat. Funebri*, Ethnicis Scriptoribus. Plura nos in pleniori Introductione. Cæterùm Principis hujus ingenium, eruditionem, temperantiam, comitatem, virtutes admirandas, fœdavit unum Chriſtianiſmi odium.

V. Referenda huc & Perſecutio *Valentis* Imperat. gravior illâ Conſtantii, in Chriſtianos Catholicos, ſeu *Homoouſianos*, impulſu Juſtinæ, Uxoris Arianæ, & Eudoxii Conſtantinopolit. à quo baptizatus Valens, ſub exordia Imperii. Anteà habitus Catholicus Valens, qualis Valentinianus frater; uterque etiam Confeſſor, ſub Juliano, parati pro fide τὰς ζώνας ἀφεῖναι, *militiæ cingulum abjicere*, apud Socratem, & Theodoretum.

Tempus Perſecut. fuit ſtatim ab exordio Imperii, mox à Synodo *Lampſacenâ*, Eudoxio & Acacio adversâ, A. CCCLXV. Undè nata illa *legatio* Lampſacenorum ad Valentinianum, ad Liberium, & Occidentales Epiſcopos, ut horum ſe patrocinio & communione tuerentur, apud Sozomenum, *Lib.* VI. C. X. Exarſit perſecutio, A. CCCLXX. *Edicto* promulgato.

Loca Perſecutionis fuêre *Oriente* toto, qui Valenti ceſſerat, aſſumpto à Fratre in ſocietatem Imperii; In *Scythiam* uſque ſæviit & Bre-

Bretannium, earum Ecclesiarum Episcopum. Atrocissima in *Ægypto* fuit, *Lucio* Alexandrino Ariano.

Modus atrocissimus fuit, & cruentus longè magis quàm ille persecutionis Julianeæ. Hinc sævitum passim in Episcopos, in Ecclesias integras, in ordinem omnem, & sexum, & ætatem, miris ut constantiæ exemplis in Martyribus, sic crudelitatis in Principe, apud Socratem, Theodoretum, Sozomenum, &c.

Pepercit tamen *Athanasio* Alexandrino, ob prævalentes ibi Orthodoxos; ut & *Basilio* Cæsariensi, adversùs eum licet decrevisset exilium; sed & *Gregorio* Nazianzeno, & *Epiphanio* Salaminio, maximæ authoritatis viris. Rigidiùs habiti, Meletius Antiochenus, Gregorius Nyssenus, Eusebius Samosatenus, Pelagius Laodicenus, complures alii Antistites, apud præfatos *Historicos*, & in *Epistolis* Gregorii Nazianzeni. *Monachos* autem partim tributis, partim lege latâ ut in militiam proficiscerentur, mirè vexavit.

Duravit persecutio usque ad mortem Imperatoris, in expeditione Gothicâ à Barbaris divinâ ultione interempti; Prædicente illi fatum *Isaace* quodam Monacho, memorabili vaticinio, cujus ad Valentem voces, ut & pias illas Trajani, Valentis Præfecti, post acceptam à Barbaris cladem, refert Theodoretus, *Lib.* IV. C. XXXIII. XXXIV. quem vide.

XI. *Monastica vita hoc Seculo ratio, incrementa.*

I. *Monachorum* familiare hoc ſeculo à *ſolitudine* nomen, quales & dicti Ἀσκηταὶ, Θεραπευταὶ, poſteà *Cœnobitæ* &c. Utriuſque mox ſexûs inſtitutum.

II. *Monaſticæ* vitæ originem dedit *Antonius* ille Ægyptius, alter Eremita, homo illiteratus, de quo fabuloſa multa, in ejus *Vita* Athanaſio tributâ, & ad quem in Eremo multi confluxêre: Succeſſit *Hilarion* Palæſtinus, qui ab Eremo ſolitarios illos in Monaſteria traxit, & cui Epiphanius juvenis, ipſe quoque Palæſtinus, ſe ſocium adjunxit. Tùm *Pachomius* ex Thebaide Ægypti, Cœnobiorum, itidem complurium, in ſuperiori Thebaide, conditor & pater fuit; Cui & *Regula* tribuitur, ab *Angelis* ſcilicet accepta, & donum καρδιογνωσίας, pro ingenio Monachorum, à quibus quicquid penè fabellarum eſt, viſionum, apparitionum, miraculorum id genus, originem traxit, quæ hauriunt Legendarii avidiſſimè, & Surius, Bollandus, Papebrochius &c. Antonii & Pachomii diſcipuli, in Thebaide, *Macarius* uterque; ſenior qui παιδαριογέρων, mortuus A. CCCXC. & junior alter, de quibus ad XII. & XV. Januarii Martyrologia. Hinc ex *Ægypto* & *Palæſtinâ* mox latè per Orientem hoc inſtitutum diſperſum, tandem & in Occidentem; ſummis admiratoribus Baſilio, Nazianzeno, Ambroſio, Hieronymo, Epiphanio, Ruffino, Siricio Rom. Paulino, Sulpicio Severo &c. deſituro in nefandas ſuperſtitiones inſtituto.

III. De

III. De *Monachis* hujus seculi vera alia, alia commentitia. *Vera* sunt, solitaria habitatio, unde vox *Monasterii*; victus parcus; vestes sordidæ; tonsura capillorum; preces assiduæ; jejunium frequens; vita cœlebs; disciplina austerior; communes vivendi regulæ, procul hodiernis votis; sollicita institutio in literis, in doctrinâ, in pietate, hinc & scholæ publicæ Monasteria. Et eò tendunt Regulæ *Basilii*, Cappadociæ Episcopi, quæ ferè solæ ab eo tempore in Oriente obtinuerunt. Et hinc vitæ illius tunc admiratio, sed & laudes, apud ipsum Nazianzenum, *Orat.* IX. Athanasius cæteroquin Basilio haud paulo senior, *Epist.* ad Ammonem Monachum, perstringit hos solitarios ab damnatum usum matrimonii.

Virgines Deo tum quidem devotæ, minimè reclusæ intrà *Claustra* fuerunt, aut *voto* insolubili obstrictæ.

IV. *Commentitia* sunt, quæ finguntur de Cucullis, habitu, rasurâ, votis, mendicitate, superstitionibus variis, miraculis, exemptione Episcopali, & id genus alia tanquam quæ fuerint hujus ævi. Quæ item de speciali familiâ ab *Hieronymo* institutâ, à quo *Hieronymiani* hodiéque dicantur, *Monachi* alii, alii *Eremitæ*; nempe imitatores Hieronymi præposteri, & authorem eum falsò commenti; Quemadmodùm fecère alii qui *Augustiniani* dicuntur, tùm *Eremitæ*; tum *Regulares*, filii Patribus ignoti, nullis suæ hujus institutionis probatis documentis instructi.

Undè Baronii iniquitas intelligitur Tomo IV. *Annal.* mirè passim invecti in eos quos dicit *Novatores*, ob reprobatum Monachorum

institutum; nempè supponentis falsa multa & apocrypha, & institutum illud Seculi IV. ex hodierno Latinorum æstimantis. Ita Natalis Alexander, T. VII. Valentem Imperat. *Monachos* insectatum esse, *quod ipsi cum omnibus fermè Hæreticis commune fuit*. Nec tùm fuêre Monachi in Asceteriis, quod posteà fuêre in Cœnobiis, χαρίεις ἀργαὶ, & fontes omnis Idololatriæ & superstitionis, ut sequens Historia probabit.

XII. *Apocrypha quædam & Fabulosa huic Ætati afficta.*

1. Innumera ad hanc Ætatem referuntur, tanquàm *facta*, & *historiæ*, quibus nulla fides est, credulis quandoque nimis nonnullis Patribus, & Historicis.

Talis narratio, de Inventione & exaltatione *Dominicæ Crucis*, studio Helenæ matris Constantini, purgato Golgothæ loco, & *tribus* ibi Crucibus repertis, illàque Christi Servatoris *miraculo* discernendâ, &c. ex Ambrosio, Ruffino, Sulpicio, Theodoreto, Socrate, aliis. Tacuit rem ocularis omnium testis Eusebius, in Historiâ, in Vitâ Constantini M. & in Chronico authentico; Undè haud obscurè nuper fabulam explosit Ellias Du Pin, Doctor Sorbonius, in Constantino M. T. II. Vide Introd. nostram pleniorem, hoc *Titulo*. Hujusmodi fabula est, de *Vestigiis pedum* Christi repertis in monte Oliveti, apud Sulpicium Severum, tacentibus antè eum Eusebio, & omnibus reliquis, sed & Socrate, Theodoreto, &c.

Sic fabula de *apparitione* Petri & Pauli ad Con-

Constantinum M. item de *Baptismo Constantini M.* per Sylvestrum Papam; probanda Baronio ad A. C. CCCXXIV. ex Actis Sylvestri Apocryphis, Nicephoro. &c. explosa autem cordatioribus. Ellias Du Pin, novissimè *Biblioth.* T. II. in Constantino M. *Quot fictiones! quot fabulæ! quot somnia, quæ se ipsa evertunt!*

Adde fabellas de *Imaginibus* Petri & Pauli per Sylvestrum Constantino ostensis; deque hujus in *Imagines* studio, earum erectione publicâ &c. ex iisdem Actis Sylvestri. Quo loco tùm fuerint Imagines apud Christianos, docet nostra Historia *Imag. Sect.* I. *Num.* IV. V. VI.

Obvia illa de *Donatione Constantini M.* factâ Sylvestro, ob beneficium miraculosæ sanationis, deque cessione Urbis Romæ, Italiæ, & totius Occidentis, famoso commento, toti Antiquitati ignorato. De cujus origine nos ad Seculi IX. p. 819. Vide prolixam fabulæ confutationem apud laudatum modò Du Pin, in Constantino M. à *pag.* 59.

Adde fictas *Historias*, ficta *Miracula*, (neque omnia rejicimus) fictos *Martyres*, quandoque apud Philostorgium, Sulpicium, Sozomenum, Theodoretum, &c. maximè autem ex Actis Apocryphis, apud Gregorium Turonensem, Metaphrastem, Nicephorum, Menologos, & Legendarios. In tantâ copiâ eminent narrationes, v. gr. de *S. Catharinâ* Virgine Alexandrinâ, & Martyre, cujus corpus ab Angelis in montem Sinai mirabiliter translatum, ibi fœdâ religione colitur; sub Maximino quidam factum referunt; Acta autem Leoni Allatio relata, sub Maxentio: De *S. Ursulâ*, quam alii sub Gratiani demùm imperio ad Rheni litora

delatam, cum sociis Virginibus martyrium passam esse volunt, a. d. XXI. Oct. ex putidis Actis; fasso nuper Natali Alexandro, T. VII. *Nullam fabulam pluribus ab Authoribus, ceu veram Historiam referri:* De *S. Nicolao* Myræ in Lyciâ Episcopo, & Confessore sub Licinio, inter alia, apparente in somniis Constantino Imp. & Ablavio Præfecto Prætorio, ac liberante tres Tribunos jam mortis damnates, fusè apud Baronium A. CCCXXVI.: De *S. Georgio Cappadoce*, & *Martyre* scilicet, invocato a. d. XXIII. April. sub imagine Equitis cataphracti Draconem conficientis &c. Qui Georgius reverâ Episcopus Arianus fuit, à *Paganis* Alexandriæ per seditionem occisus, A. CCCLXII. Plura qui volet, vel adeat Baronium, *Tomo* III. & IV. Annal. & ad Martyrologium Romanum; In quo postremo lege, de multiplici inventione *Capitis S. Joh. Baptistæ* sub Valente, & aliàs, ad 24. Febr. & 29. Augusti.

Magna jam cœpit hoc ævo esse, circà *Miracula*, credulitas, ex nimiâ veneratione Martyrum, Reliquiarum, & admiratione Vitæ Monachalis. Major ævi sequioris impudentia fuit, in fabulis sine fine augendis.

XIII. *Memorabilia quædam alia hujus Ævi Miscellanea.*

Speciminis loco, sequentia sunto:

1. Factum *Constantini Chlori* Patris Constantini M. Nempè exploraturi animos Aulicorum, hinc simulantis affectum ergà simulachra, & sacrificaturis gratiam polliciti, recusantibus verò indignationem interminati; apud Eusebium

de Vitâ Constant. Lib. I. C. XVI. apud Sozomenum, *Lib.* I. &c.

II. *Constantinopolitanæ* Urbis, ut *Novæ Romæ*, per Constantinum extructio, dedicatio, erectio in sedem Imperii, Æterno Urbis nomine. Vulgò in A.Ch. CCCXXX. relata Encænia, & anniversario ritû celebranda. Vide Historiam Constantinopoleôs Christianæ, Caroli Cangii. Divino Oraculo admonitum fuisse Constantinum, tùm de transferendâ sede Imperii, tùm de condenda Urbe, eo in loco, referunt Sozomenus, Chronici Alex. Auctor, Cedrenus, alii: Sed nihil opus fuit miraculo, ipso loci situ, planè admirando, Constantinum invitante, ad Byzantii instaurationem, quò frequenter divertebat.

Nec locus est Cedreni, Nicephori, aliorumque, sed. & Baronii narrationi, de *Dedicationis* ritibus à Constantino adhibitis; & cultu *Deiparæ* Virginis, cui fuisset Urbs ædificata; & structis Templis in honorem S. *Michaëlis* Archangeli, &c. Certè dicatam fuisse solemni ritu *Deiparæ* Virgini, undè Deiparæ οἰκεῖα πόλις, nonnisi posteriores Græci retulerunt.

III. *Pœnæ divinitùs* de Tyrannis ac Persecutoribus sumptæ. Hujusmodi sunt quæ de *Diocletiano*, *Maximiano Herculio*, *Galerio*, *Maximino*, *Maxentio* Tyranno, *Licinio*, *Juliano*, *Valente* Principibus, eorumque extremis planè tragicis, Deo sanguinis ac scelerum vindice, à Lactantio, insigni Libello, ab Eusebio, ac deinceps Ruffino, Socrate, Sozomeno, Theodoreto, Cedreno &c. memorantur. Ab iisdem & fœda mors *Arii* Hæresiarchæ, jam jam introducendi in Constantinopolitanam Eccle-

ſiam, ex Athanaſii quâdam Epiſt. narratur. De cujus morte varia judicia habes apud Sozomenum, *Lib.* II. C. XXIX.

IV. *Converſiones* memorabiles; præter ſuprà dictas Conſtantini M. aut Indorum per adoleſcentes, &c. *Cap.* II. Talis illa *Philoſophi* cujuſdam Ethnici, præ cæteris arroganter cum Patribus Nicænis congreſſi, mox ad ſimpliciſſimas voces boni ſenis (Spiridionem fuiſſe dicunt) quibus ſummam Chriſtianæ fidei *in nomine Jeſu Chriſti audire* Philoſophum juſſit, extemplo converſi, referentibus Ruffino, Sozomeno &c.

Accedat, ex fide Epiphanii, *Hær. Lib.* I. Converſio *Hillelis*, *Judæorum* in Palæſtinâ *Patriarchæ*, ex genere Gamalielis, antè exceſſum ſacro lavacro Tiberiade tincti; addente ibidem Epiphanio converſiones alias Judæorum.

V. *Miracula* quædam inſignia, omnium fide probata.

Sic de *Crucis* ſigno à Conſtantino in nubibus conſpecto, cum inſcriptione *In hoc vince:* Conſentiunt Euſebius, Philoſtorgius, Socrates, Sozomenus &c. Adde *ſignum* idem conſpectum in Cœlo, quo tempore Judæi novum Templum extruere fruſtrà tentarent, apud Nazianzenum *Orat.* IV. contrà Julianum. Refert & inſignem apparitionem Crucis rutilantis, Cyrillus Hieroſolymit. *Epiſt.* ad Conſtantium, & Sozomenus, *Lib.* IV. C. V.

Sic digniſſimum illud omni memoriâ, de irritis Judæorum molitionibus in reſtaurando *Templo Hieroſolymitano*, factâ à Juliano poteſtate, in odium Chriſtianorum. Fruſtrà opus iteratò aggreſſis, *metuendi* (inquit Marcellinus, initio *Lib.* XXIII.)

XXIII.) *globi flammarum propè fundamenta crebris assultibus erumpentes, (qui fecêre locum exustis aliquoties operantibus inaccessum* &c. Testantur, ipse Julianus in fragmento Epistol. Ambrosius, Nazianzenus, Ruffinus, Philostorgius, Socrates &c.

Sic *Theodosii* Imperatoris, de Eugenio Tyranno, Ethnicismum reducturo, mirabilis victoria, post noctem totam inter preces exactam, de quâ ipse Claudianus, citatus etiam hoc nomine ab Augustino *Lib.* v. de *Civitat. Dei*, C. XXVI.

O nimiùm dilecte Deo cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad Classica Venti!

Terræ-motus, alia naturæ *portenta*, quæ studiosè Veteres observarunt, nulli referimus.

VI. *Facta* quædam alia, memorata Sacris Annalibus.

Hujusmodi fuit *publica* Theodosii Imper. *Pœnitentia*, ab aditu Ecclesiæ repulsi, & communione prohibiti, faciente Ambrosio Mediolanensi, post cædem Thessalonicensem; Undè Imperatoris humiliatio, & *lex* de non præcipitandis suppliciis, quæ tamen hodiè non extat. Referunt Paulinus, Sozomenus, Theodoretus &c.

Hujusmodi & facta alia ac dicta *Ambrosii* v. gr. jubentis *Theodosium*, jam conciliatum Ecclesiæ, consistere extrà cancellos Altaris; sic *Valentiniano* Juniori, & *Justinæ* matri, faventibus Arianæ hæresi, masculè resistentis, factis & verbis, in Ambrosii *Vitâ*, & *Epistolis*.

Memorabile & factum *Amphilochii* Episcopi, inducturi tandem ingenioso commento

Theodosium Imper. ut Arianis publicis conventibus interdiceret, relatum Sozomeno *Hist. Lib.* VII. *C.* VI.

Mira & placatio *Theodosii* Imperatoris, ergà *Antiochenos*, læsæ Majestatis reos; Nempè Flaviãni Episcopi patheticâ Oratione, & adolescentum quorundam cantilenis, subitâ commoti misericordiâ, ex Chrysostomo, & Sozomeno.

Referuntur & fatidicæ voces *Epiphanii* ac *Chrysostomi*, post mutuum Constantinopoli conflictum, quibus alter alteri prædixerit imminentem exitum; Sed neque pro certis hæc se memorare ausum refert Socrates, *Lib.* VI. Cap. XIV. Nec certò constat, Epiphanium *in itinere* mortuum, nec in Cyprum reversum, nisi Metaphrastem audis. Hæc de innumeris pauca.

XIV. *Status Ethnicismi, & Judaismi.*

I. Statum *Ethnicismi* hac ætate, inde à Constantino M. ejusque reliquias varias in Christiano Imperio, suprà descripsimus, *Cap.* II. Cumprimis post Julianum Cæsarem, Successores ejus, Christiani licet, superstitionibus variis nimis conniverunt; usque ad saluberrimas Constitutiones *Theodosii* Magni, ab A. CCCCLXXXI. De quibus multis Jacobus Godofredus ad Codicem Theodos. Tit. *de Paganis* &c. Hinc sensim eversa omnia Paganorum Templa, ac sublata impia sacra, in specie spectaculum *Majumæ*, de quo aliàs.

II. Utilem Ethnicis operam navarunt *Symmachus* Præfectus Romanus, *Libanius* Sophista

&

& Orator, *Themistius*, & *Maximus* Philosophi &c. ad honores & præfecturas sub Juliano evecti. De *Juliani* factis suprà dictum. Sed & toto hoc Seculo, sub Imperatoribus Christianis, Ethnicos ad summas adhuc *Dignitates* & *Præfecturas* admotos fuisse, pluribus monemus, plenioris Introduct. T. I. p. 456.

III. Extrà Romanum Imperium animati quoque fuerunt *Gentiles* in Christianam Gentem; Undè Persecutio *Saporis*, Persarum Regis, Magorum impulsu; post illa *Isdigerdis*, occasione hujus memoratâ Theodoreto *Lib.* V. *Cap.* XXXIX. tùm *Varananis*, apud Socratem, *Lib.* VII.

IV. De *Judæorum* rebus nihil est admodùm dignum memoratu, præterquàm irritum studium instaurandi Templi Hierosolym. sub Constantino primùm, dein sub Juliano Imper. Vide de eo conatu Juliani, Nazianzenum *Orat.* IV. contrà Julianum, & miraculum *Crucis* tùm in Cœlo apparentis, in victoriæ Christianæ signum. Hujus etiam indulgentiâ sævierunt Judæi in Christianos Orientales passim, horumque Basilicas; quin & aliorum conniventiâ Principum quandoque insolentiores facti. Sic relicta illis fuerunt ab Christianis Principibus sua adhuc Sacra, Festa, Sabbatha, Conventus, Presbyteria, Synedria, Synagogæ, Scholæ, &c. quin variæ immunitates. Sed quoque extant in *Judæos* variæ constitutiones Constantini, Gratiani, Valentiniani, Theodosii Imperatorum, Cod. *de Judæis* &c. Vide Introd. Plenioris, ad Secul. IV. Caput postremum.

Finis Rerum Quarti Seculi.

SECULUM QUINTUM.

INcidunt Seculi quinti primordia in annum vulg. Christi cccci. Septimum ab obitu Theodosii Imperatoris, Arcadio & Honorio Principibus, Anastasio Romano Episcopo.

Capita potissimùm observanda, pro hujus Epitomes modo, sunt:

I. *Status Ecclesiæ circà illius Primordia.*

Nempè 1. Quoad *Imperatores*, imperabant in Oriente quidem *Arcadius*, in Occidente *Honorius*, ambo filii Theodosii imperatoris; ambo relicti à Patre penè Impuberes, certè Honorius nondùm decennis; Arcadius patre vivo jam assumptus in societatem Imperii, decennio major Honorio; & cui *Theodosius* Junior natus ex Eudoxiâ est, hoc ineunte Seculo, faustis ominibus. Theodosii fatum excepit mox afflictus status cùm Reipublicæ tum Ecclesiæ. Nempè dum Ruffinus primùm in Oriente, Præfectus Prætorio, ac posteà Stilichon in Occidente, Tutor Honorii, abusi sunt uterque & fide Theodosii, & ætate horum Principum; *Gothis* etiam & *Hunnis* in subsidium vocatis, qui pessumdedêre Rempublicam. Undè hoc Anno cccci. *Alaricus* Gothorum Dux ex Pannoniis in Rhætias primò irruptionem fecit, ad quem Inalpinæ Gentes à Romanis defecerunt, mox in Liguriam penetraturus. Arcadii etiam facilitate in Oriente abusi sunt, præter *Ruffinum*, à militibus obtruncatum, A. cccxcv.

Gainus

Gainus Dux exercitûs Gothici, Arianus, & *Eutropius* Eunuchus, daturus pœnas superbiæ ac perfidiæ, A. CCCXCIX. frustrà pro ejus vitâ supplice Chrysostomo, ob Asyli sanctitatem. Hæc pluribus apud Zosimum, Socratem, Claudianum, alios.

II. Quoad *Doctores* Ecclesiæ, præerat Romæ *Anastasius* Episcopus, successor Siricii: Constantinopoli Johannes *Chrysostomus*, successor Nectarii Episcopi: Alexandrinæ Ecclesiæ præerat *Theophilus*; Antiochenæ *Euagrius*; Carthaginensi *Aurelius*; Hipponensi B. *Augustinus*; Salaminensi *Epiphanius*; Turonensi Galliæ *Martinus*, ille de quo tot pertentosa *creduli* nimis Sulpicius Severus, Gregorius Turonensis & Legendarii.

III. Quoad *Doctrinam* Catholicam, talis erat, qualem exhibet Symbolum Constantinopolitanum, paulo antè recensitum ad Concilium Oecumenicum II. & qualis superiori Seculo repræsentata fuit, *Capite* III. IV. V. VII, &c.

IV. Denique quoad *Statum externum* Ecclesiæ, affligebant externa *bella* tùm in Oriente, tum in Occidente, excitata primùm ambitione Ruffini præfecti Prætorio, tùm & æmulatione Stilichonis, cujus fidei utrumque Principem commisit Theodosius moriturus. Præterea intestino bello laborabat in causâ *Origenis* Adamantii; Cujus odium excitatum nuper fuerat in animis Theophili Alex. Epiphanii, Hieronymi, Anastasii Romani, ex æmulatione præcipuè in Johannem Hierosolymitanum, Ruffinum, Nitrienses Monachos Ægyptios, qui *Origenis* errores revocarent, & cujus se authoritate

tate tuebantur *Ariani*: Mox *Pelagio* & *Pelagianis* auctoris invidiam adversùs præcursorem horum Origenem, posteà etiam *Eutychete* hæresiarchâ, hujus fautore: Quanquam & faverint Origeni hoc seculo Synesius, Isidorus Pelusiota, Theodoretus, Socrates, Sozomenus, alii, quâ de re in *Origenianis*, Eruditissimus Huëtius. Denique, mirum in modum turbabant Ecclesiam *Donatistæ* Schismatici, & ex Schismaticis Hæretici, ut suo loco, sed authoritate Honorii, & Augustini laboribus, coërcendi.

II. *Propagatio Ecclesiæ hoc Seculo.*

Ad quam referenda primo loco est,

1. Integrarum *Nationum* ad fidem Christianam conversio, quas inter memorantur;

1. Insula *Hiberniæ* (Scotia Veteribus) Theodosio Juniore imperante, secundùm alios primò conversa, secundùm alios confirmata demùm à *Palladio*, tum *Patricio*, primis Scotorum Episcopis, de quibus vide Usserium *Antiq. Britann.* p. 800. 842. & seq. Sed ex opposito, oppressa hoc seculo Christiana Religio in *Britanniâ*, & Paganismus in eam reductus est per *Pictos*, *Scotos*, factâ ultrà Vallum irruptione; tùm per *Anglo-Saxones* in auxilium vocatos, ex ulteriore ripâ Oceani, ac fixuros in Britanniâ sedes, daturosque illi *Angliæ* nomen, pulsis Britannis Christianis; ex Gildæ, Bedæ, aliisque Britannorum Historiis, & Chronicis.

2. *Burgundiones*, Germaniæ quondam populi, intrà Suevum seu Viadrum & Vistulam Fluvios, medii inter Suevos & Vandalos, posteà ultrà Rhenum effusi in Galliam, ubi nomen adhæsit.

hæsit. Conversi hi sub eodem Theodosio ad fidem Christianam, teste Socrate, sed Arianam; Et ab iis præsidium quærendum Theodosio fuit, contrà infestationes Hunnorum.

3. *Franci* ad Christum conversi; fidemque Catholicam Arianæ oppositam, sub seculi finem, cum Rege suo *Clodovæo*, cui erat uxor *Clotildis* Christiana. Postquam nempè Rex iste votum nuncupasset, se victoriâ de Alemannis reportatâ Christo daturum esse nomen; de quo fusè Gregorius Turonensis, *Lib.* II. non sine admixtis fabulis, posteà etiam auctis, narratione de ampullâ Rhemensi, natâ Seculo IX.

II. Conversiones innumeræ *privatorum*. 1. Ex *Gentilismo* operâ Chrysostomi, Paulini, Augustini, aliorum Antistitum, auspiciis maximè Imperatorum Arcadii, Honorii, Theodosii Junioris, Marciani; 2. Ex *Judaismo*, in Cretâ cumprimis Insulâ, sub Theodosio; occasione Impostoris cujusdam se *Mosem* redivivum fingentis, reditumque in Palæstinam, per exsiccatum mare frustrà sollicitantis, teste Socrate *Lib.* VII. *Cap.* XXXVIII. 3. Denique ex *Arianismo*, aliisque perniciosissimis Hæresibus, recepti in Ecclesiæ Catholicæ gremium non pauci, ex Theodoreto, & Augustino; sequenti ætate *Arianismo* nuncium missuris *Burgundionibus*, *Suevis*, *Gothis*, ut suo loco memorandum.

III. Erectiones *Scholarum*, & incrementa hoc Seculo.

Quales 1. Schola *Constantinopolitana*, quæ sub Theodosio Juniore florere cœpit, post annum Christi 420. Quò faciunt Constitutiones benè multæ in Codice Theodosiano, de ejus

Scholæ

Scholæ *Professoribus*, *Studiis*, *Privilegiis*, &c.

2. Scholæ passim in Occidentali Imp. *Carthagine*, *Romæ*, *Mediolani*, *Treviris*, sed & *Bononiæ*, si apocrypho Theodosii Junioris instrumento, quale proferunt Itali, fides adhibetur.

3. Passim etiam in *Monasteriis*, quorum indies crescebat numerus, constitutæ disciplinarum & literarum sedes; sed & in *Episcopiis*, seu Episcoporum Ædibus, undè *Canonicorum* Collegia primitùs nata.

4. Speciatim erectæ vel auctæ *Bibliothecæ* tum ex Gentilium, tum ex Doctorum Ecclesiæ monumentis; quarum omnium celebratissima fuit *Constantinopolitâna*, sub eodem Theodosio Juniore, amantissimo librorum & literarum Principe, post sub Zenone flammis absumpta. Inter cujus Bibliothecæ κειμήλια, referunt Cedrenus, Zonaras, Suidas, mirum Homeri Poëmatium, descriptum in exuviis Draconis, longitudine 120 pedum. Conflagravit Bibliotheca, cum omnibus suis Cimeliis, & cxx. Librorum millibus, sub Zenone & Basilisco Tyranno, iisdem testibus.

Atque hoc tempore vulgatum jam fuit *Scholasticorum* nomen, sensu tamen ab hodierno diverso; & *Scholarium* illud pro Studiosis, discipulis.

III. *Doctrina Ecclesiæ Catholicæ.*

Colligitur rursùm, quoad Articulos Catholicos & fundamentales,

1. Ex publicis *Formulis* hujus Seculi, ut sunt Capitula Cyrilli, Symbolum Chalcedonense,

Leonis

Leonis Imperat. Encyclica, Henocitum Zenonis.

2. Ex *Actis* & *Canonibus* Conciliorum ſive Univerſalium ſive Particularium, in quibus de variis Doctrinæ Capitibus diſceptatum eſt, occaſione Hæreſium Pelagianæ, Neſtorianæ, Eutychianæ; ut infrà ſuo loco.

2. Ex Scriptis *Patrum* hujus ætatis: puta ex Ruffini expoſitione Symboli; ex Auguſtini Enchiridio, & paſſim contrà Hæreſes; ex Leonis Romani Sermonibus, Epiſtolis; ex Gennadio de Dogmatibus Eccleſiæ, Cyrillo de Rectâ ad Chriſtum fide, Theodoreto item, Socrate, Sozomeno, &c. quanquàm his faventioribus Novatianis, aut Origeniſtis.

11. Ex his omnibus conſtat eandem fuiſſe in primariis Articulis, Catholicam fidem, quæ priorum Seculorum & hodieque Proteſtantis ac Reformatæ Eccleſiæ: Nempè eundem Scripturæ Canonem; eandem ſententiam de Trinitate; de Chriſti Perſonâ; de Officiis; de Hominis corruptione; de Gratiâ; de ἀδυναμίας Liberi Arbitrii; de Juſtificatione per fidem; de Reſurrectione ejuſdem carnis; de Euchariſtiæ *typis*, *ſymbolis*, *ſignis*, *imaginibus*, retinentibus etiam à conſecratione τὴν προτέραν οὐσίαν, φύσιν &c.

Teſtimonia Patrum hujus ævi ad ſingula Capita, ſelectiora quædam produximus in pleniori Introductione, ad quam Lectorem remittimus. Adeant etiam qui voluerint, Magdeburgenſes, *Cent.* v. Flaccium Illyricum in Catalogo, Chemnitium ad Concilium Tridentinum, Chamierum in Panſtratiâ, Laurentium ad Syntagma Confeſſionum, Hottingerum ad Con-

Confessionem Cyrilli, & qui has sigillatim Controversias tractarunt, Theologos.

Ità ex uno *Augustino* dissensum ejus ætatis à doctrinâ & praxi Pontificiâ, ac Canonibus Tridentinis, prolixè est intelligere; non tantùm in argumento de Gratiâ & annexis, apud Cornelium Jansenium Yprensem, & ὁμοψήφοις, sed & in reliquis, apud dictos Authores & Theologos, vel etiam Epitomatores doctrinæ Augustini, aut referentem ex Augustino loca Clar. Hottingerum, ad *Secul.* v. *Cap.* v. Sed ex ipso *Leone* Romano, errorum ac superstitionum coarguatur hodierna Roma, fasso passim Ludov. Maimburgio, quocunque tectorio obducat, in Historiâ *Leonis* 1. Adi Petrum Molinæum in *Vitâ* Leonis Romani, & Gregorii 1. colligentem ea omnia, quæ hodiernæ seu doctrinæ seu praxi dissimillima viderentur.

IV. Speciatim quàm fuerint alieni Patres hujus Ævi à *Transsubstantiationis* fide, vel opinione *Corporalis præsentiæ*, ex professo historicè hoc nuper admodùm egêre, post Mornæum, Blondellum, Aubertinum, Vossium, Dallæum, &c. Larroquius in *Historiâ Euchar.* & Claudius Parisiensis Theologus in suis contrà *Arnaldum.*

Præterea hujus adhuc Seculi, in *Eucharistiæ* sacris, certissimâ fide fuerunt, Consecratio clarâ voce, Communio sub utrâque, Fractio panis, Distributio in manus communicantium, Statio dùm communicarent, &c. Vide de his, aliisque, Joh. Dallæum *de Cultibus Latinorum.*

IV. *Cor-*

I V. *Corruptio quædam seu in Doctrinâ, seu in Ritibus, & in Praxi, hac ætate.*

Huc spectant, exempli causâ,

I. Additamentum Librorum quorundam *Apocryphorum* ad Libros Canonicos, factum in Concilio Carthaginensi, Anno CCCCXIX. nec tamen Apocryphorum omnium, v. g. *Maccabæorum* Libris in nullo Codice Græco, seu MS. seu typis descripto, expressis.

II. Usus *Imaginum* publicus in Templis, sive *Biblicæ* illæ, sive *Ecclesiasticæ* ex Actis Martyrum, reluctante Epiphanio, post Illiberitanos Patres. Alicubi etiam, sed exeunte Seculo, irrepere cœpit *Cultus* Imaginum, non tamen introductus publicâ lege, sed privatâ quorundam superstitionē, ut ex Augustino, vehementer damnante *Picturarum adoratores*, ex Theodoreto, Evagrio, aliisque &c. colligere licet. De quibus ex professo Viri magni, & nos in *Historiâ Imag. Restitutâ*.

III. Doctrina de *Invocatione Sanctorum*, nimiaque jam veneratio τῆ Θεοτόκυ, cujus non lex quidem sed praxis cœpit, sub initia hujus seculi, occasione suprà ad *Secul.* IV. Fautores erroris maximè Orientales, nihil tamen affine habentes hodiernæ superstitioni Pontificiæ. Nondùm Canonizatio Sanctorum, nondum Festorum ille numerus, Processiones, Missæ, Litaniæ, Vota, Oblationes &c. in cultum Sanctorum, ut prolixè alias demonstratur.

IV. Doctrina de veneratione ac virtutibus *Reliquiarum*, cujus jam extitêre fautores Hierony-

ronymus, Ambrosius, Paulinus Nolanus Episcopus, sed & propensior in superstitionem Oriens. Nondùm tamen obtinuit illarum in infinitum multiplicatio, non extensio ad *caligas*, ad *pectines*, *lapides*, *carbones* &c. non adoratio religiosa, non demurmuratio precum, non hodierna oblatio munerum, exsolutio votorum &c. nullo certè ex genuinis Monumentis indicio. Videantur quæ ad superius Secul. *Cap.* v. & omnium instar Joh. Dallæus, *de Cultu Religioso*. Superstitioni magis magisque gliscenti se opposuerunt Augustinus passim, & Vigilantius Barcinonensis, acerbissimè exagitandus Hieronymo.

v. Superstitio increscens, *juvari mortuos* viventium suffragiis, & precibus; de quarum origine, & usu longè diverso à posteriori Latinorum, dictum suprà fuit. Sed nata hinc sensim opinio de *Purgatorio*, de quo dubius nonnunquam loqui videtur Augustinus, in *Enchiridio ad* Laurent. & aliàs. Quemadmodum & invaluit opinio de *Baptismi* & *Eucharistiæ* absolutâ necessitate, errante & errorem Augustino, atque Innocentio I. Romano.

VI. Doctrina de *Liberi Arbitrii* viribus, ut à Pelagio propugnata, sic nonnunquam à Græcis Patribus in speciem asserta, Chrysostomo, Theodoreto, &c. certè quoad loquendi modum, de quo videsis Gerh. J. Vossium. Undè Cassianus Chrysostomi discipulus Semi-Pelagianorum parens.

VI. Adde sancitum hoc seculo *Cœlibatum*, non modò quoad Monachos & Virgines Sacras, *Can.* XVI. Chalcedonensi; sed & quoad Episcopos, Presbyteros, Diaconos, urgentibus

bus scilicet in Occidente Romanis Episcopis, post Siricium Papam, contrariâ tamen in plerisque partibus praxi. De sensu *Canonis* Carthaginensis, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, secundùm *propria statuta*, etiam ab uxoribus contineant, controvertitur.

VII. Adde crescentem *Monachatûs* superstitionem, tum in Oriente tum in Occidente: Collapsam sensim cum luxu *disciplinam*, hinc & Confessionem publicam sub Leone I. *in privatam*, nec Auricularem tamen, commutatam: Leges de *Jejunio* Sabbathi, Quatuor Anni Temporum, Vigiliarum, Rogationum, sancientibus Innocentio I. Leone Romano, Mamerto Viennensi: *Litaniarum* usum invectum, seu supplicationum ad Deum, respondente Populo per Κύριε ἐλέησον, cui additum mox τὸ Τρισάγιον, & post à Petro Gnapheo clausula Eutychiana, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς. Hinc *Cerimoniarum* incrementum circà Eucharistiæ Sacra, Vestes Sacerdotum, Diaconorum, Ordinationes Clericorum, Consecrationes Cereorum, aliorumque, Crucium erectiones &c. Romanis Pontificibus, indies adaugentibus Cerimonias, nec parùm Gelasio I. vergente Seculo. De quarum incremento jam conquestus fuerat Augustinus Epist. CXIX. ad Januarium, seu LV. in quâ fusè de Ecclesiæ Ritibus.

VIII. At *comparatè* ad sequentia tempora, magna adhuc hoc ævo simplicitas, & *morum & rituum*. Hinc & saluberrimæ multæ Constitutiones, in Canonibus Africanis, Chalcedonensibus; major & in Conventibus S. reverentia, frequentia in Communione Eucharisticâ, in externis zelus, in disciplinâ rigor &c. Multa

etiam in glifcentem corruptionem præclarè tradita à Chryfoftomo, Hieronymo, Auguftino, Cyrillo, Theodoreto, Leone ipfo Romano, Viris aliis fanctis.

IX. Utili etiam inftituto fublatæ hoc ferè feculo *Agapæ*, jam in Concilio Carthag. Anno CCCXCVII. ob abufus varios, interdici cœptæ. Hinc & in hodiernum diem difparuerunt.

VI. *Regiminis Ecclefiaftici facies & ratio hoc Seculo. Romanorum Pontificum crefcens ambitio.*

I. Huic jam ætati, (ne reponamus quæ ad fuperius Sec.) fuam debet quandam originem dignitas fumma *Patriarcharum*; non Petro Patriarchas inftituenti, non *Marco* Alexandrino, non *Decretalibus* Pontificum fuppofitis, fed nec *Nicænis* Canone VI. affentiente Joh. Launojo, in Pontificiis Doctiffimo, *Differtat.* de hoc Canone, *Coroll.* XV. & ejus *Propugnatione* contrà H. Valefium. Retulit quidem Socrates ad Concilium Oecumenicum II. fub Theodofio I. *Can.* II. fed laxiore jam voce *Patriarcharum*, pro *Exarchis* totius Diœcefeôs. Sed hæc nomenclatio magis Seculi V. fuit, dein VI. ut *Patriarcha* diceretur *Patrum* quafi *primus*, *princeps*, quo nomine præ cæteris venerunt, in Occidente *Romanus*, ut *Leo* I. in *Epift.* Theodofii Junioris, & in Actis Chalcedonenf. in Oriente autem *Conftantinopolitanus*, & *Alexandrinus*. Senfu tamen adhuc *Primatum*, *Exarchorum*, *Archiepifcoporum*, unde conjuncta Ἀρχιεπίσκοπος καὶ Πατριάρχης. Donec fenfim reftrictum fuit nomen in Oriente, ad quinque *Thronos*

nos Patriarchales, Romanum, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & honoris causâ Hierosolymitanum, occasione natâ ex *Canone* XXVIII. Chalcedonensi. Sed Romano nomen detrectaturo, quamprimùm suprà Patriarchas in *Oecumenicum* se extulit.

II. *Primatis* nomen jam præcedente Seculo usurpatum fuit, sed pro *Metropolitano*, seu *primæ sedis* Episcopo, ex Epistolis Siricii, Innocentii, & Canonibus Africanis. Dein restrictum ad *Capita Nationum*, Primates *Galliarum, Hispaniarum, Britanniarum*; aut plurium in unâ Natione Provinciarum Exarchos, ut Primates Galliæ *Celticæ*, *Belgicæ*, *Aquitanicæ*. Et hinc de *primatu* sæpè contentiones, ut v. gr. inter Viennensem, & Arelatensem, inter Hispalensem & Toletanum, &c. Ac *Primatum* sese judices, hoc Seculo v. constituere cœperunt Romani Episcopi, sicut factum in causâ *Hilarii Arelatensis*, pessimè à Leone Romano habiti.

III. Hujus & ætatis sunt alia nomina, ut *Archiepiscopi*, *Archimandritæ*, *Archi-Presbyteri* &c. Sic illa Ἐκδίκων seu *Defensorum*, Οἰκονόμων *Administratorum*, Τοποτηρητῶν *Vicariorum*, aliaque, vel ex Canonibus Africanis, & Conciliis Oecum. Ephesino, Chalcedonensi. Priora non significatu ἀρχῆς *imperii*, sed *primitatis* quoad ordinem.

IV. *Archiepiscopi* nomen Chalcedonenses illi concedunt, cujus sedes facta esset Metropolis honoraria; *Metropolitani* nomine & potestate manente penes Episcopum Veteris Metropolis. In Occidente autem *Archiepiscopi* posteà iidem dicti, qui in Oriente *Metropolitani*.

 Sed

Sed & ipſos Patriarchas, & Leonem, Chalcedonenſes Ἀρχιεπισκόπους eminentiùs vocant, *Can.* XXVIII. XXX. &c. quod nomen hodieque retinent.

V. Mirè autem variavit ſub Imperatoribus *Diœceſeôn*, *Provinciarum* & *Metropoleôn* ratio: Unâ ſæpè *Provinciâ* in plures ſubdivisâ, undè ex unâ Metropoli plures natæ in eâdem Eparchiâ, puta Bithyniæ, Cappadociæ &c. Sic pro arbitrio Principum ampliatis, vel reſtrictis *Diœceſibus*, ut factum in favorem Conſtantinopolitani, vel Alexandrini, vel Hieroſolymitani; aut immutatis & tranſlatis *Urbium* civilibus dignitatibus, quomodò ſurrexerunt *Theſſalonicenſis*, *Arelatenſis*, *Ravennatenſis*, poſteâ *Achridenus*, innumeri alii. Nam indè mutationes in dignitatibus Eccleſiaſticis, quæ ad civilem formam, ex nutu Principum, nec invitis Chalcedonenſibus, *Canone* XVII. conſtituebantur. De quibus Notitiæ Dignitatum Orientis & Occidentis, David Blondellus de Primatu, Jacob. Godofredus ad Cod. Theodoſ. & ſi qui alii, ac nos *Introductione* ad Geograph. Sacram, *Parte* II. ſed & noſtris *Animadverſionibus* de Variâ Eccleſiarum Politiâ, *Animadv.* V. & XIV.

VI. Summum in Eccleſiaſticis *judicium*, ſumma authoritas, fuit tùm *Synodalis*, rebus omnibus gravioribus ad *Synodos* relatis, Univerſales, Nationales, Provinciales, de quibus infrà; tum & *Principalis*, in quantum Imperatores Synodos convocarent, confirmarent, Appellationes admitterent, Judices de rebus ſacris conſtituerent, Leges ſancirent, Pœnas decernerent, Dignitates diſponerent &c. Loquuntur facta & conſtitutiones hoc ipſo ævo Arcadii;

dii, Honorii, Theodosii, Marciani, Leonis, Zenonis, Anastasii. Sanè in gravioribus omnibus expetitum quoque judicium *Romani Episcopi*, v. gr. in causis Pelagii, Nestorii, Dioscori Alexandr. Timothei Æluri, Petri Moggi &c. Non verò ut *supremi Judicis*, sed ut Episcoporum in Occidente primi, dignissimique, & ob mutua communicationis jura, ac vinculum Orientis cum Occidente.

Nec hanc Principibus Ecclesiæ curam administrationemque negarunt Romani hujus ætatis Præsules Bonifacius, Cœlestinus, Leo I. &c. ut passim ex eorum ad Imperatores *Epistolis* liquet. Hinc Socrates in Procemio Libri v. *Ex quo Imperatores Christiani esse cœperunt, ex illis* τὰ τῆς Ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο *res Ecclesiæ dependerunt.* Ad quæ verba cordatior H. Valesius nihil observavit. Ac res ipsa, & facta scriptaque, testantur.

VII. Magnus tamen ac penè jam intolerabilis fuit Præsulum Romanorum, hac ætate, tum luxus, observante Ammiano Marcellino, *Lib.* XXVII. tum fastus, ipso arguente Hieronymo. Hinc *Innocentius* contendere jam pro Appellationum jure; *Zosimus* per Legatos spurium de Appellationibus Canonem, tanquàm *Nicænorum* Patrum, Africanis obtrudere; Caussam eandem agere *Bonifacius*, *Cœlestinus*, conquestis ad hunc Africanis; *Vicarios* jam, ex absentiâ longè dissiti Romani Episcopi primùm natos, nec hodierno sensu, constituere, qualis in Orientali Diœcesi *Thessalonicensis*, Bonifacio Romæ Episcopo; *Leo* I. *Petri sedem* extollere, *Universalem* se quandoque appellare, in Hilarium Arelatensem superbè agere, Valen-

tiano III. legem extorquere, quâ omnes Occidentis Ecclesiæ ejus subjicerentur judicio; *Simplicius*, *Felix*, in Acacium Constantinopolit. & Moggum Alexandrinum, ad querelas Joh. Talajæ, (quales sæpè delatæ ad Romanum, ut primum Patriarcham, ac maximæ tùm authoritatis, minimè verò in modum juridicæ *Appellationis*) satis pro imperio decernere; *Gelasius* potestatem in majus extollere, Christi voces *Tu es Petrus*, superbiùs obtendere &c.

VIII. Quàm verò, ex his Præsulum hujus Ævi seu *factis*, seu *dictis* (quandoque ex præsumptione atque ambitione Romanæ sedis, quandoque ex ejus primitate dignitateque inter Patriarchales) parùm sit hodierno Papatui, & Pontificatui Oecumenico, præsidii; Ut multa *Baronius* & sui pessimè ex suprà dictis inferant; facta aliorsùm trahant; plurima dissimulent; Imperatorum, Conciliorum in Oriente, Africâ, Patrum hujus ævi, enervando Pontificatui, seu decreta seu effata frustrà eludere gestiant; non jam hujus loci est demonstrare. Discant juniores vel ex Mornæo in *Mysterio Iniquit.* J. Capello in *Bulengerum*, Blondello *in Perronium*, Salmasio *de Primatu*, & nostrâ *Differtat.* de Canone VI. Nic.

VII. *Hæreses hoc Seculo nobiliores exortæ.*

I. Præter *Hæresium* priorum reliquias, Marcioniticæ, Manichææ, Arianæ, Donatisticæ, Pneumatomachicæ, &c. *quatuor* præ reliquis insigniores surrexêrunt hac ætate: *Pelagianorum*, illa,

illa, *Semi-Pelagianorum*, *Nestorianorum*, & *Eutychianorum*.

II. *Pelagianæ* Hæreseôs, Latinis ferè tantùm Scriptoribus memoratæ, tacente Theodoreto ubi de Hæresibus, 1. Fuit auctor primus *Pelagius*, (*Morgan* patrio nomine) natione vel Scotus, vel Anglo-Britannus, professione Monachus, Augustino non modò vir *acutissimus*, *acerrimique ingenii*; etiam *facundiæ* plurimæ, sed & vir *sanctus* ac *bonus* à multis anteà prædicatus. Eidemque mox in Africâ, discipulus & fautor hæreseôs fuit *Celestius*, pari cum Pelagio ingenio, multis Campanus, hinc *Julianus* Apulius.

2. *Tempus* ortæ Hæreseôs, & in Italiâ primum, fuit circiter Annus CCCCV. certè cum Seculi fère natalibus pullulavit.

3. *Capita* Hæreseôs, cui prælusit Origenes posteà Rufinus, superba autem Philosophia, in quâ subactus Pelagius, originem dedit, fuêre alia *principalia*, alia magis *accessoria*. In priori ordine, alia rursùm circà *Hominis* status & vires; alia circà *Dei* Gratiam & Decretum; colligenda ex Hieronymo, Augustino, & huic coævo Mario Mercatore, qui adversùs Pelagianos errores *Commonitorium* obtulit Theodosio Juniori; antè Synodum Ephesinam, recensente istud Baluzio.

Ad *Hominem* pertinuêre, assertiones: Nec dari *Imputationem* (benè imitationem) Peccati primi, personalis tantùm in Adâmo & Evâ, nec *Labem* aliquam originalem, quâ infecti nascamur. Adamum fuisse naturâ & conditione *mortalem*, etiam antè Lapsum; undè nec *mortem* ex peccato derivari.

Integras esse *Lib. Arbitrii* vires ad principium boni ac salutaris operis, ad progressum, & ad perseverantiam in eo, & quoad *velle* bonum, & quoad *perficere*.

Hinc à Deo esse quod *homines* simus, à nobis quod *justi*.

Tres fuisse salutis *vias*, per Legem Naturæ, per Legem Mosis, & per Legem Christi: *Gentilium* opera fuisse verè bona, & Deo accepta, edita licet sine Gratiæ adjutorio; Dari *perfectionem* justorum in hac vitâ, vel *actualem*, ut non peccent, vel *possibilem* ut sine peccato esse possint.

Ad *Gratiæ* eversionem spectarunt assertiones sequentes: *Gratiam*, quam primò cum *Naturæ* viribus confundebat omninò Pelagius, deinceps extendit ad revelatam externè *Legem* Dei, ejusque *doctrinam* in Evangelio, cum *Illuminatione* quadam internâ mentis, dari tanquàm *adjutorium*; ut homo faciliùs possit. Gratiæ adeò *necessitatem*, & *efficaciam* moventem corda, voluntates, hancque tùm *prævenientem*, tùm *cooperantem*, nescivit Pelagius.

Dari eam *Gratiam*, hinc & *Justificationis* illam, secundùm propria merita, scil. benè utentibus Libero Arbitrio, & mandata Dei custodire conantibus; non dari ex solâ gratiâ, per fidem in Christum.

Causam *Prædestinationis ad gratiam & gloriam*, esse prævisionem Bonorum operum, & perseverantiam in illis, ex recto Liberi Arbitrii usu, exceptâ tamen gratiâ *Apostolatûs*.

Prædestinationem ad mortem nullam dari, solam dari in Deo *præscientiam* peccatorum.

His accessêre Controversiæ minùs principales,

les, priorum ferè appendices; de *Usu* & effectu *Baptismi*, maximè in parvulis; ità de variis affictis à Pelagio, tanquàm quæ ex *Catholicâ* doctrinâ sequerentur; item de Peccatis *ignorantiæ*, essentne peccata?

Accesserunt duæ aliæ: una de *Juramento* ut illicito; altera de *divitiis* Baptizatorum abdicandis, statuente Pelagio.

4. *Præsidium* frustrà quæsitum à Pelagio, in Scriptis Patrum antè *Augustinum*; ut quæ in argumentis aliis ex professo versarentur, tum in gravioribus, puta de Gratiæ necessitate, Corruptione hominis &c. longè aliter à Pelagio tradidissent.

5. *Loca* propagationis fuère, in Italiâ, primò quidem occultiùs, hinc in Palæstinâ, dein & in Africâ, Galliâ, Britanniâ &c.

6. *Oppositiones* in grassantem hæresim factæ, authores habuerunt, tum *Romanos* hoc ævo Episcopos; tum *Concilia* varia mox Carthagine, Milevi, Romæ, &c. celebrata; tum *Patres* ac pios *Antistites*, ac præ cæteris omnibus Hieronymum, Aurelium, Augustinum, Marium Mercatorem, &c. præter *Edicta* Principum & Imperatorum, Honorii, Valentiniani III. & Theodosii Junioris. Historiam Pelagianam exhibent in nostris Jac. Usserius, Joh. Latius, Gerh. J. Vossius. in Pontificiis varii, sed diversis studiis & affectibus, prout vel doctrinæ *Augustini* favent, cum Jansenio Yprensi, vel *Molinistarum* hypothesi deserviunt, cum Augustino (si Deo placet) conciliandæ. Et in Jansenium quoque acerbior Natalis Alexander, *Tomo* x. in quo de Hæresi Pelagianâ.

II. *Semi-Pelagiani*, quasi medii inter Pela-
 gium

gium & Orthodoxos, alio nomine *Massilienses* dicti, paulo post in Galliis primùm exorti sunt, ferè circâ A. CCCCXXX.

1. *Fautores* præcipui fuêre, *Joh. Cassianus*, discipulus Chrysostomi; *Faustus* ex Abbate Lirinensi Rejensis Episcopus; *Vincentius*, quem Lirinensem fuisse negat Baronius, rectiùs alii probant, ac fusè de Noris Historiæ Pelagianæ *Lib.* II. *C.* XI. tùm *Gennadius* Massiliensis Presbyter, *Honoratus* Massiliensis Episcopus, aliis & *Hilarius* Arelatensis, quanquàm hi ab aliis vindicandi.

2. *Capita* in quibus favebant Pelagianis, undè illis nomen, fuêre: Tum de *Viribus arbitrii* saltem quoad initium boni, fidei, conversionis; Tum de *συνεργεία* seu *cooperatione* Dei & Hominis, Naturæ cum Gratiâ; Tum de Prædestinatione *ex prævisis*, non quidem meritis, sed tamen conatibus, bonâ voluntate, fidei initio; Tùm de *universali* Gratiâ, quoad voluntatem salvandi, mortem Christi pro omnibus, & vocationem omnium ad salutem; Tum de possibili apostasiâ Sanctorum, contrà *Perseverantiæ* speciale donum.

Emolliebant subindè sua, nec se de *universis* loqui, sed de quibusdam. Speciale & illis dogma fuisse dicitur, circà *Prædestinationem infantum*, ex prævisione vitæ ab iis instituendæ.

3. *Opposuêre* sese huic Pelagianismo incrustrato, post Augustinum, Cœlestinus Papa, Prosper Aquitanicus, Fulgentius, Primasius, Lupus Tricassinus, Cæsarius Arelatensis, Germanus Antissiodorensis, alii; Adhæc Synodi variæ, & Romani præterea Episcopi, Hormisda, Felix IV. &c.

Hoc

Hocne seculo fuerit *Prædestinatiana* aliqua Hæresis; quæ, nec piis prodesse bona opera, si ad *mortem prædestinati*, nec impiis mala, si *ad vitam*, ex malè intellecto Augustino statueret; meritò disceptatur? Negantibus præter nostros, Jansenio, Mauguino, Cabassutio, aliisque, tanquàm commentum Semi-Pelagianorum, & meritò; contrà Baronium, Spondanum, Sirmondum, Petavium, & familiam Jesuitarum.

III. De *Nestorianâ* Hæresi, summatim observantur ex Socrate, Theodoreto, Cyrillo, Liberato, Actis Ephesinis, aliisque,

1. *Author* Nestorius, Episcopus Constantinopolitanus, ex Presbytero Antiocheno, Anno CCCCXXVII. ordinatus, homo fastuosus, severus, rudis Antiquitatis teste Socrate, author Theodosio Juniori de ferendâ lege *adversus omnes Hæreticos*, Cod. de Hæret. L. V. Mox ipse non Pelagianæ modò Hæreseôs fautor, sed & novæ gravissimæque antesignanus, ipso jam Anno CCCCXXVIII.

2. *Occasio* fertur, temeritas Anastasii cujusdam Presbyteri, opinionibus Judaicis imbuti, ferre nolentis receptam inter Orthodoxos phrasin, quod *Maria* esset Θεοτόκος *Deipara*. Seu jam impulsus à Nestorio fuerit, seu mox eundem patronum nactus, publicis Concionibus, mox frendentibus bonis, ac populo ipso Constantinopolitano. Substituebat autem Nestorius phrasin alteram, dicendam esse Mariam Χριστοτόκον *Christiparam*.

3. *Capita* Hæreseôs non perindè videntur ab omnibus tradita. Certum enim Nestorio quædam initio esse impacta, quasi v. gr. aut *duas* in Christo *Naturas*, aut *Unionem* utriusque in *uno*

Christo, disertè sustulisset. Veriùs peccavit primo *in phrasi*, negans *Mariam esse Deiparam*, benè fuisse *Christiparam*; adeòque *Christum* quidem ex Mariâ natum, non *Deum* vel Dei Filium, confundens Deum & Deitatem.

Secundò, *in modo unionis* explicando, nempe Deum seu Verbum fuisse Homini ex Mariâ nato conjunctum, ità quidem assumpto, ut illi Deus velut in *Templo* habitaret, undè Christum hominem esse Θεοφόρον; ex quo sequebatur Dualitas Personarum.

Tertiò, in torquendâ *sententiâ* & *phrasi* Ecclesiæ Catholicæ, ac divexandâ, quasi hæc Naturas confunderet, Apollinarismum induceret, &c. ut solent qui nova moliuntur.

4. *Damnatio* Hæreseôs, primùm à Cyrillo, Alexandrino, habitâ Synodo A. ccccxxx. tum à Cœlestino Papâ, acceptis illinc à Nestorio, hinc à Cyrillo Alex. literis, pro veteri consuetudine cum primâ sede communicandi; mox Anno ccccxxxi. ut infrà pluribus, ab Ephesinis Patribus, & à Theodosio Imper. qui Nestorium posteà in Ægyptum relegavit, miserè (ut fert Euagrius *Hist. Lib.* 1.) extinctum.

5. Inter *fautores* statim habiti sunt, *Theodoretus* Cyri Episcopus, scribens contrà Anathematismos Cyrilli, sed purgandus postea; & *Johannes Antiochenus* cum suis, initio favens non tam causæ quàm personæ Nestorii, ex æmulatione adversùs Cyrillum. *Theodorus* Mopsvestæ in Ciliciâ jam antè Episcopus, ut & *Ibas* Edessenus, scriptâ quadam ad Marin Epistolâ, fuêre ejusdem Hæreseôs ex scriptis suis post mortem postulati; & magister quidem

Nestorii

Nestorii habitus Theodorus, qui Diodori Tarsensis, & Flaviani Antiocheni Discipulus fuerat. Mox *Oriente* toto, per Syriam, Chaldæam, Assyriam, Mesopotamiam, dispergenda hæresis, sedes ibi suas in hunc diem fixurâ sectâ Nestorianorum.

IV. Majores datura turbas *Hæresis Eutychiana* fuit. Ejus 1. *Author* fuit Eutyches, Archimandrita seu Abbas Constantinopolitanus, qui in Concilio Ephesino adversùs Nestorium masculè disputârat. Accessit fautor Hæreseôs *Dioscorus* Episcopus Alexandrinus, Præses Ephesini II. sub *Theodosio Jun.* congregati, damnatus in Concilio Chalcedonensi, exauthoratus, & in exilium missus.

2. *Occasio* fuit error Nestorii, quem dùm confutare aggressus est apud Monachos suos Eutyches, in oppositum errorem incidit, perpetuis in Ecclesiæ Historiâ rei exemplis; dùmque duas in Christo Personas negaret, Naturam in Christo utramque confudit.

3. Tempus vulgatæ Hæreseôs, circà medium ferè seculum quintum A. Ch. CCCCXLVIII. Postquàm *Eusebius* primò Dorylæi in Phrygiâ Episcopus, Eutycheti familiaris, privatim quidem, dein & Synodus Constantinopoli habita, sub Flaviano, A. CCCCXLVIII. publicè hominem coarguisset, sed frustrà.

4. Capita Hæreseôs ista potissimùm fuêre, ut ex Breviario Liberati, Leonis Epistolis, Actis Conciliorum, Euagrio &c. constat. In Christo duas *fuisse* Naturas, *antè* utriusque conjunctionem, *post* Incarnationem verò sive adunationem Naturarum, *unam* tantum.

Nestorianos esse, qui duas Naturas in unio-

ne affirmarent, ſeu Chriſtum in duabus Naturis ſubſiſtentem, ſupponens non eſſe *Naturam* ſine *Perſonâ*.

Corpus Chriſti, poſt unionem, neque Mariæ Virgini Matri, neque nobis eſſe *Conſubſtantiale*, ſed in ipſo Incarnationis momento, permixtione Naturarum in unam, *Carnem* fuiſſe mutatam in *Divinitatem*. Hinc ſimile *ferri candentis*, etiam guttæ *mellis*, aut *aceti*, in mare vaſtum effuſæ &c. De cætero ſubſcribere ſe profeſſus Eutyches, *Nicænæ* atque *Epheſinæ* Synodorum Decretis.

5. *Damnatio* Hæreſeôs facta primùm eſt, per *Flavianum* Epiſcopum Conſtantinopolitanum, convocatâ Synodo, A. Chr. ccccxlviii. in quâ Eutyches, fruſtrà admonitus & pertinax, & deludere conatus Patres reſponſis ambiguis, ſimul Archimandritæ dignitate, & Eccleſiæ communione, privatus fuit. A quâ tamen ſententiâ Flaviani ad Imperatorem, in cujus Aulâ inviſus Flavianus eſſet Chryſaphio Cubiculariorum principi; provocavit, retractandâ mox causâ in alterâ Synodo Conſtantinopolitanâ; Tùm & circumvenire Leonem Epiſcopum Romanum, ſcriptis ad eum literis, ſed fruſtrà, tentavit Eutyches. Poſteà damnandâ Hæreſi in Synodo *Chalcedonenſi*, Marciano Imperatore, de quâ infrà.

6. *Approbatio* verò Hæreſeôs mox facta in Synodo Epheſinâ II. A. Chriſti ccccxlix. Quæ hinc Pſeudo-Epheſina, & λῃστρικὴ dicitur, ſeu *latrocinium*, ob decretum, modumque agendi violentum, & inhumanum, prædonum more, præſide *Dioſcoro* Alexandrino, & damnatis ibi Flaviano, Euſebio Dorylæenſi, Theodoreto &c. tanquàm Neſtorianis. Hinc

Hinc judicio *Leonis* Romani rem commisêre ipsi illi damnati, nec tamen *ut legitimi & præcipui Judicis controversiarum*, ut Baronius cum suis ad A. CCCCXLIX. *Num.* V. Sed ut illius qui esset in Episcopis & in Occidente primus, cujus esset Orthodoxia nota, & ad quem ipsemet Eutyches rem jam antè detulisset. Ad hæc causarum hujusmodi pridem à *Sardicenis* fuerat arbiter constitutus, nullo sanè jure Divino, sed Canone Ecclesiastico. Absurdiores, qui hinc colligunt, *supra Concilium esse Pontificem*, quoniam à Concilio in speciem Oecumenico ad Leonem provocatum; imò à Synodo λῃστρικῇ, in quâ Flavianus crudeliter habitus, legati Leonis in carcerem trusi, omnia vi acta, favente Aulâ Dioscoro.

7. *Secutura* tùm ex ipsâ Hæresi, tùm ex furore fautorum illius, & ex sectatorum numero, mala ingentia, & toti Ecclesiæ funesta. Inter quæ censenda sunt, radices altissimæ Hæreseôs, in Ægypto, Palæstinâ, Armeniâ, Syriâ, Æthiopiâ, &c. in hunc usque diem. Adhæc *furores* passim Eutychianorum, post depositum à Chalcedonensibus Dioscorum, & substitutum Proterium: Imprimis seditio in eum Proterium Alexandrina, per Timotheum Ælurum, & Petrum Moggum, Marciano Imperatore fatis functo; undè cruentæ cædes, mox gravissimi motus, de quibus statim.

8. *Sectæ* variæ indè natæ, ut totidem Eutychiani erroris propagines; in quibus celeberrima illa, quæ *Acephalorum* nomine venit.

Ratio *nominis*, quod Petro Mongo vel Moggo, suo antè *Capite*, sive *Patriarchâ*, à se rejecto, (ut qui subscripsisset Henotico Zenonis,

nec

nec Chalcedonense Concilium ampliùs damnaret, anteà factiosorum Episcopus) nullum certum suæ factionis haberent caput, undè *ἀκέφαλοι*.

Origo prima, post Henoticum Zenonis, & confirmatum Petrum Moggum in Alexandrino Patriarchatu ab Imperatore, adeòque post annum CCCCLXXX. Undè secessionem fecit confusa multitudo, Chalcedonensi Synodo infesta: Capitibus mox futuris, *Petro Gnapheo*, Antiochenæ sedi per seditionem primùm præficiendo, sub *Leone* Augusto, A. CCCCLXXI. postea restituendo sub Zenone, inductu Acacii Constantinopolitani; deindè Acephalorum capite *Severo*, in eandem sedem intrudendo, sequente Seculo inchoato, undè dicti *Severitæ*, vel *Severiani*. Ex his *Jacobitæ*, *Monophysitæ*, Eutychianorum propagines.

Huc referenda secta *Fullonianorum* vel *Theopaschitarum*, authore illo *Petro Gnapheo* sive *Fullone*, Antiocheno Episcopo. Nempè primus hic asseruit, quoad phrasim, *unam de Trinitate Personam esse passam*, seu Divinitatem Filii fuisse Cruci affixam; Imò secundùm alios, passam fuisse ipsam *Trinitatem*, nisi Petrus τὸ Τρισάγιον ad solum Christum retulit. Undè in Hymnum tùm receptum in Ecclesiâ, seu in Τρισάγιον, ad verba Ἅγιος, Ἅγιος, Ἅγιος, intrusit illud ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς *qui crucifixus est pro nobis*, ut ipsam Divinitatem passam esse, ex Eutychiano errore, confirmaret. Opposuit sese acriter, & Fulloni, & ipsi Acacio Constantinopolitano, cum Fullone communicanti, Felix II. circà A. CCCCLXXXIV. Atque eidem *Gnapheo*, vel *Cnapheo* apud Baronium,

debentur publicæ Litaniæ ad Sanctos, speciatim invocatio Virginis Θεο[illegible] teste Nicephoro.

Huc spectat Secta *Armeniorum*, dùm nempe Armenii, impulsore quodam Ethanio Armenio, secessionem hoc seculo fecêre, rejecto Concilio Chalcedonensi, at Oecumenicis tribus prioribus susceptis. Accessêre *ritus* nonnulli, Armeniis in hunc diem speciales: Retinuêre & Τρισάγιον Petri Gnaphei, uti reliqui Monophysitæ: *Imagines* nullas unquàm coluêre, nullâ adhuc lege, eorum antè separationem, introductas. Sed de *Armeniis* aliàs, quorum defectionem *Jacobo* cuidam demùm tribuunt, sequente Sec. Eutychius, & Nicephorus.

VIII. *Concilia hujus Ævi, Oecumenica seu Universalia & Particularia.*

Oecumenica hoc Seculo duo celebrata, *Ephesinum* I. & *Chalcedonense*.

I. Quoad Synodum *Ephesinam*. cujus prolixa extant *Acta*, in Tomis Conciliorum, *Tomo* III. & de quâ etiam *Liberatus* in Breviario; Euagrius Hist. *Lib.* I. &c.

1. *Locus* fuit Ephesus, Urbs Asiæ minoris, & Metropolis Asianæ Diœceseôs, opportuno situ, eligente Theodosio.

2. *Tempus* annus Christi CCCCXXXI. Cœlestino Romano Episcopo, Theodosio Juniore imperante: Postquàm Nestorius jam damnatus hæreseôs esset, in Synodis Romanâ per Cœlestinum, & Alexandrinâ per Cyrillum, A. CCCCXXX.

3. *Occasio* fuit, crescens hæresis Nestorii Patriarchæ

triarchæ Constantinopolitani, quam in Synodo Alexandrina damnarat Cyrillus, non perindè approbatis Cyrilli *Anathematismis*. Hinc Nestorii in Cyrillum molimina, anathematismi reciproci; accusationes apud Theodosium; Undè consilium indicendi Synodum Universalem.

4. *Convocator* Synodi Theodosius, missis vocatoriis *Literis*; ad Romanum, Thessalonicensem; Alexandrinum; Antiochenum, Hierosolymitanum, Carthaginensem, quin ad ipsum Augustinum Hipponensem, sed intereà tristi fato interceptum. *Præses* Synodi ipso jure, Patriarcharum in Oriente tum primus, *Cyrillus Alexandrinus*, suo quoque nomine, ut fatetur Valesius. Quanquàm initio & *Cælestinum absentem* rogatus repræsentaverit, ut Episcopum primæ sedis, quo sensu ejus *Vicarius* audiit: Suos tamen Legatos ad Concilium ubi misit Cœlestinus, his Ephesum delatis, tunc nomine Cœlestini, Cyrillus deinceps suo, præsederunt.

5. *Pertinacia* verò insignis *Nestorii* initio statim apparuit; Ephesum quidem delati, sed comparêre in Synodo cum suis Episcopis detrectantis, & contumeliis in eam grassati, etiam blasphemas voces repetentis, *Ego bimestrem & trimestrem Deum non dico*.

6. Undè post expectatum diu satis, sed frustrà, *Johannem Antiochenum*, moras cum suis nectentem; post recitatam Fidem Nicænam; post lectas Literas Imperatoris, Cyrilli ad Nestorium, Nestorii ad Cyrillum; post lecta etiam excerpta ex Patribus, & alia ut erronea ex Nestorii ejusdem scriptis &c. statim *Actione* 1.
lata

lata est in Nestorium sententia. Decretum de Fide habuit; *Mariam Virginem esse Deiparam* seu Θεοτόκον, pertinaciter rejiciente phrasin Nestorio. Hinc & depositus Nestorius, ac condemnatus ab Episcopis cc. secundùm alios pluribus, subscripturis sententiæ Legatis Romanis, statim ab adventu, *Actione* III.

7. *Schisma* verò quoddam in Synodo natum est, occasione serioris adventûs Johannis Antiocheni, post factam condemnationem Nestorii, diu licet à Patribus Ephesinis exspectati. Hinc Johannes, collecto ex suis Concilio, Cyrillum Alexandrinum, & Memnonem Ephesinum damnat, stante à Johannis partibus Theodoreto Cyri Episcopo. Vicissim *Johannes* Synodi sententiâ damnatus fuit, cum sociis. Sed res tandem inter Johannem & Cyrillum, interveniente Theodosio, & Johannem Antiochenum ad consensum permovente, composita fuit.

8. *Decreta* alia & *Acta* Concilii Ephesini, in quo scripti Canones VIII. secundùm Codicem Ecclesiæ Universæ, & Johan. Scholasticum, Zonaram, Balsamonem &c. Photio VII numerante, aliis VI. tantùm, ut Vaticanis Codicibus. Plerique in *Nestorium*, *Celestium* Pelagianum, horumque Sectatores. Præterea decretum de Juribus Ecclesiarum, deque Præsulibus *Cypri*, ut per se ipsos Ordinationes facerent, servatis antiquis juribus, omnique innovatione Antiocheno interdictâ. Rectè ibi caverunt Patres, *Ne sub Sacerdotii prætextu κοσμικῆς ἐξουσίας τῦφος mundanæ potestatis fastus irreperet.*

11. Synodi *Chalcedonensis* summatim observanda

vanda sunt, ex *Actis* Tomo iv. Edit. Labbeanæ:

1. *Locus* Chalcedon Bithyniæ Civitas, è regione Byzantii, licet *Romæ* vel in *Italiâ* indictum voluisset Concilium Leo Episcopus, suis ad Imperatorem literis, secùs statuente Marciano, & Leonem per sacram evocante. *Nicææ* primò indicta fuerat Synodus, sed ut faciliùs interesset ipse Imperator, *Chalcedonem* translata.

2. *Tempus*, annus Christi ccccli. Marciano anno superiore ad Imperium assumpto, Leone I. Episcopo Romano, & Anatolio Constantinopolitano, xx. annis post Synodum Ephesinam.

3. *Convocati* Concilii author & moderator, Marcianus Augustus, testibus literis Imper. *Episcopi* in Concilio fuêre numero dcxxx. *Leone* Romano per Legatos Præsidis Ecclesiastici locum obtinente, ut Patriarcharum primo, tùm huic proximo Anatolio Canstantinopolitano.

4. *Occasio* Concilii, fuêre errores Eutychetis & Dioscori Alexandrini, & Pseudo-Ephesinæ Synodi, in quâ Dioscori violentiâ & dolis nova Hæresis triumpharat. Undè clamores passim Orthodoxorum, & expostulatoriæ ad Theodosium, & ad Pulcheriam Augustam, Literæ, Valentiniani, Gallæ Placidiæ, Leonis Romani, aliorum, quibus altera Synodus petebatur, videndæ in *Parte* 1. Actorum Chalcedonensium. Quare nec sessurus in novâ Synodo Dioscorus Alex. loco suo, ut judex, sed in medio Synodi, ut reus, pro more.

5. *Actiones* Concilii xvi. fuêre, præter ea quæ im-

immediatè illud exceperunt; & in iis inserta *Acta* Pseudo-Ephesinæ, & Conciliorum Constantinopoli habitorum, in causâ Eutychetis. *Actione* III. damnatus ac depositus est *Dioscorus* Alexandr. *Actione* V. post diligens examen, prodiit Definitio Fidei, quâ confirmata Fides trium primorum Conciliorum, Nicæni, Constantinopolitani, & Ephesini; damnata Hæresis ut Nestoriana, sic Eutychiana; & ad Symbola priora attexta Confessio, de *Christo Domino*, *Dei Filio*, *in duabus Naturis*, *unâ* autem *Personâ*, subsistente, factâ eâ unione Naturarum, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, καὶ ἀχωρίστως. *Actione* XV. conscripti sancitique sunt *Canones* XXVIII. de omni Ecclesiæ Disciplinâ, ac præcipuè Clericali, de Monachis, Diaconissis, Virginibus, Raptoribus, &c. Quanquàm nonnisi XXVII. appareant in Collectione Dionysii Exigui & Isidori, & in Codd. variis quales Romæ usurpati. Sed Canonem XXVIII. de *æqualibus honoris privilegiis*, Archiepiscopi Novæ *Romæ*, cum *Veteris* illis, confirmandum *Actione* XVI. habent Photius, Balsamo, Zonaras, Græci alii Collectores; quin XXIX. ac XXX. addunt Græci, videndos *Tomo* IV. in fine *Act.* XV. Honoris autem delati *Throno Constantinopolitano* additur ratio, quoniam ut in *Civilibus*, ob Imperium Civitatis, sic etiam *in Ecclesiasticis*, esset Nova Roma ἡ δευτέρα μετὰ τὴν πρεσβυτέραν, *secunda post Veterem*, ordine quidem temporis, æqualis gradu honoris. Hinc & *Exarchi trium* Diœcèseôn, Ponticæ, Asianæ, Thracicæ, eodem Canone, Constantinopolitano ut Patriarchæ subjecti. Et confirmatus modò fuit paulo expressiùs *Canon.* III.

Con-

Constantinopolitanæ Synodi; Oecumenicæ secundæ, præsente tùm Timotheo Alexandr. de quo suprà.

Et hic frustrà Baronius, Perronius, Allatius, omnes reliqui, in *Canonis* authoritatem insurgunt, ut spurium vel subreptitium, & absentibus Legatis Romanis cusum, fraude Anatolii scilicet, ac Leone mox reclamante. Sed ultrò abfuêre Legati Leonis, rogati à Synodo ut interessent, ex *Actione* XVI. *col.* 796. Ac supposuit falsò Leo Romanus, & in causâ propriâ, infringi sic Canones *Nicænos*, refutantibus Chalcedone Patribus, eâdem *Actione* XVI.

7. *Successus* verò hujus Concilii fuit partim salutaris, ob assertam fidem Catholicam, & Hæresim repressam; partim luctuosus, ob furores Eutychianorùm, & turbas excitatas, factione Dioscori. Undè in hunc diem à solis *Melchitis* hæc Synodus in Oriente recepta; Lapis offensionis omnium reliquorum, etiam qui aliàs faciles de Fide consensuri videbantur, modò aboleretur hujus Synodi memoria.

III. Præter hæc Concilia, fuêre particularia multa, *Nationalia* & *Provincialia*, imprimis Africana, Italica, Gallica, Hispanica, Orientalia, de quibus in Tomis Conciliorum, *Tomo* II. III. & IV. Edit. novissimæ. Celeberrima sunt aliquot *Africana*, habita in diversis causis, imprimis *Pelagianâ* & *Donatisticâ*, Aurelio Carthaginensi Episcopo, & Augustino Hipponensi.

Ex iis Conciliis Africanis, numero XVIII. (quorum V. habita sub finem superioris Seculi, reliqua hoc Seculo ad A. Christi 419. inclusivè) plerisque etiam *Carthaginensibus*, sub Aurelio

relio Episcopo, excepto uno habito *Hippone*, A. Christi 393. & *Milevi* altero, A. Christi 402. conflatus est *Codex Canonum Ecclesiæ Africanæ*; celeberrimus ille, quem illustrarunt post Veteres ex nostris Justellus, & nuper Beveregius.

In his Canonibus varii notatu dignissimi, tàm circà *ritus*, quàm circà *disciplinam*; In specie etiam contrà *transmarinas appellationes*, *Can.* XCII. & ut nemo *princeps Sacerdotum*, aut *summus Sacerdos* diceretur, *Can.* VI. notato posteà fastu Romani Episcopi jam tùm se exerente. Nempè dignissimæ cumprimis sunt omni memoriâ Literæ Concilii Carthaginensis, ad Bonifacium & ad Cælestinum Papas, in causâ *appellationum*; perstringente Synodo in postremis *fumosum seculi typhum*, & fraudem in Nicænis Canonibus supponendis, post diligentem in Oriente inquisitionem, coarguente. Vide ad calcem Canonum Africanorum.

IV. Conciliis præterea multis particularibus occasionem dederunt illæ ipsæ *Hæreses*, de quibus antè, Pelagiana, Semi-Pelagiana, &c. Sic & *causæ* Hilarii Arelatensis, Flaviani Constantinopolitani, Theodoreti, Acacii, Moggi, Fullonis &c. de quibus subindè locis suis.

V. Celebris & *Collatio Carthaginensis* cum Donatistis, A. Christi CCCCXI. congregatis jussu Honorii Partis utriusque Episcopis; sed in quâ Donatistæ *forensibus* exceptionibus, ac *præscriptionibus* moratoriis, causæ ipsius cognitionem declinarunt. Vide *Introductionem* pleniorem nostram.

IX. *Mo-*

IX. *Motus per Eutychianos à Synodo Chalcedon. Facta Leonis, & Zenonis Imperatorum. Lites inter Acacium, Moggum, Talajam, & Romanæ sedis Episcopos.*

Huc varia spectant quæ verbò indicasse hoc loco satis sit. V. gr.

I. Et primò Historia *Proterii*, post remotum Dioscorum ex Archi-Presbytero in Alexandrinum Episcopum ab Orthodoxis electi, Anno CCCCLIII: Post mortem verò Marciani, seditione plebis Alexandrinæ (facientibus *Timotheo Æluro*, Episcopo nuper Eutychiano, & *Petro Moggo* tùm Diacono) crudeliter in Baptisterio ipso interfecti, laniati; ex Euagrio, *Lib.* II. & Liberati *Breviario*, *Cap.* XV.

II. *Leonis* Imperatoris, optimi Principis, ab utraque parte solicitatà, Literæ Circulares datæ ad Ecclesiarum Episcopos, Romanum, Constantinopolitan. reliquos, ut sententiam suam, habitis Synodis, quantocyus referrent, tum de Timotheo Æluro, tum de Synodo Chalcedonensi, quam factiosi volebant esse antiquatam, certè ejus retractari decreta, in aliâ Synodo. Graves & parænetic as Imperatoris ad Anatolium Constantinopol. voces, de legitimo deliberandi modo, in Episcopali conventu, refert Euagrius, *Lib.* II. *Cap.* IV. & Acta Chalcedonensia, *Parte* III.

III. *Motus* subsecuti, ad sententiam unanimem Episcoporum, post instantias quoque Leonis Romani apud Imperatorem, & decreta

Leo-

Leonis Imp. Nempè *Timothei Æluri* abdicatio, remotio; Alterius *Timothei*, doctrinâ Catholici, in locum Proterii electio, rata sub Leone ac Zenone Augustis; Æluri per Basiliscum Tyrannum restitutio; Zenone ad Imperium redeunte, secuta Æluri mors spontanea veneno hausto, A. CCCCLXXVIII. Tùm *Petri Moggi*, ex Archidiacono, à factione Eutychianâ in Æluri locum surrogatio; Zenonis decretum, pro Timotheo Catholico (Salophaciolo) in Episcopatum reducendo; Ac tandem, postquàm hic Timotheus vitam cum morte commutasset, A. CCCCLXXXII. certamina pro successione in hujus Timothei dignitatem, inter *Petrum Moggum* Eutychianæ factionis, restituendum scilicet in Episcopatum, & *Johannem Talajam*, ex Presbytero & Oeconomo Alexandrino à Catholicis in Episcopum electum. Nempè hujus electioni mox reclamavit *Acacius* Constantinopolit. varia apud Imperatorem causatus; & *Petrum Moggum* recipi suasit, certis conditionibus, si subscriberet *Henotico Zenonis*, si *Proterianos* & Clericos *Timothei Catholici* susciperet, & si *Synodicas* pro more ad Romanum, qui tùm Simplicius, ad Acacium, ad reliquos Episcopos, daret, quod à Moggo adimpletum. Multis ista Euagrius.

IV. Motus *Antiocheni* per *Petrum Gnapheum*, seu Cnapheum, id est Fullonem, qualis anteà fuerat, Eutychianæ factionis. Hic mixta primò internis motibus Ecclesiâ Antiochenâ, quam regebat Martyrius Orthodoxus, Episcopatum (abdicante se ultrò ob turbas Martyrio) per vim invadit; mox Chalcedonense Concilium damnat; appendicem Τερσαγίῳ, nempè,

pè, *qui Crucifixus est pro nobis*, lege sancit; à Leone depositus sub Basilisco restituitur; motus iterùm à Zenone, intereà variis sedem Antiochenam occupaturis locum facit, ut *Juliano* cuidam canonicè electo, tùm *Stephanis* duobus, hinc *Calendioni* per Acacium exauthorando; Ac tandem, faciente Acacio Constantinopolit. ex æmulatione in Felicem II. Romanum, & favore in Petrum Moggum Alexandrinum, tandem sedem recuperat *Fullo*, A. CCCCLXXXIV. postquàm *Henotico* Zenonis subscripsisset, sed fraudulenter. De hoc extat integra Dissertatio Henr. Valesii, Viri Clariss. qui multas dispungit *Epistolas*, in Conciliorum Tomis tanquàm à Felice, Acacio, & aliis in causâ Fullonis scriptas, sed illi suppostitias.

v. *Henoticum* Zenonis Imperatoris, post amotum Basiliscum, seu Literæ *Pacificatoriæ*, pro conciliandis in Ægypto Catholicis & Eutychianis, impulsu Acacii Constantinopol. prodiit A. Christi CCCCLXXXIII. ad Ægyptiacæ Diœceseôs Antistites. In hoc repetita fides Orthodoxa, damnati errores Arii, Nestorii & Eutychetis, ac Concilia Oecumenica priora confirmata, licet nominatim Chalcedonense non exprimeret. Undè *Hæsitantes* dicti, per invidiam à Latinis, qui Henoticum amplexi.

Subscripserunt autem Henotico, præter *Acacium* Constantinopolitanum, *Petrus Moggus* Alexandrinus, Talaja sede illâ moto, & deinceps, *Petrus Gnapheus* Antiochenus, eâ lege restitutus, ac Calandioni suffectus; uterque simulatâ fide Orthodoxâ, & consensu cum Romano ac Constantinopolitano. Nec aliter horum restitutioni faverat Acacius, quàm quod consensissent

fissent in subscriptionem Orthodoxæ Formulæ.

Iniquissimum verò est Baronii, & de *Henotico*, & de *Zenone* tanquàm Hæretico Eutychiano, judicium, ob invisum utrumque Romanæ sedi. Aliter à Baronio sentiunt æquiores in ordine Pontificio, tùm ex ipsis Henotici verbis, tùm ex Epistolâ Zenonis ad Felicem Romanum; *Pro certo haberet* Felix, se, & Petrum Moggum, & omnes Ecclesias, *Sanctissimum Chalcedonense Concilium suscipere & venerari*, apud Euagrium, *Lib.* III. C. XX. *Fabulas* quoque, ex Euagrio & Metaphrastâ, de Zenone ad bestias redacto, deque Theclæ martyris coràm eo apparitione, parùm judiciosè refert Baron. ad A. Christi CCCCLXXVI. & sequentem.

VI. *Certamina*, hinc inter Acacium Constantinopolitan. & Petrum Moggum, illinc Romanos Episcopos Simplicium, Felicem II. & Gelasium.

Occasio potissima fuit, *Joh. Talajæ* Alexandrini, per Imperatorem abdicatio, suasu Acacii, & *Petri Moggi* hominis subdoli inthronizatio; etiam *Petri Fullonis* illa, in sedem Antiochenam, ex modò narratis.

Occulta verò *causa* fuit, æmulatio Romanæ sedis in Constantinopolitanam, hinc in Acacii facta, se *inconsultâ*, & illorum protectio qui ad se confugerent, ut primam sedem, quod *Johannis Talaiæ*, & posteà *Calendionis Antiocheni* factum fuit, quos moverat Acacius. Longa historia, longæ ambages: Nempè de *Johannis* ad Romanum perfugio; De *Simplicii* Rom. in Acacium Constantinopol. indignatione, literis ad Zenonem, responsis; De Felicis successoris rescriptis, citatione Acacii, excommunicatione ejusdem (secundùm Cano-

nes, ut contendebant Romæ) ob communionem cum Moggo Hæretico; De iteratâ ejus excommunicatione, cum Petro Fullone, secundum H. Valesium; De resistentiâ & exceptionibus Acacii; De continuatione certaminis sub Gelasio Romano, & Acacii favore apud Zenonem, & Anastasium; donec sub Justino Imperat. sequente seculo, (Hormisdâ Rom. Episcopo) nomina Acacii & Moggi, qui vivere desierant, Tabulis delerentur, cum anathemate, sed & nomina Zenonis & Anastasii Imperatorum. Referunt Theodorus Lector, Euagrius, Liberatus, Nicephorus, Acta à Sirmondo edita &c. Henr. Valesius, *Notis* ad Euagrium, *Baronium* in multis coarguit, in hac omni Acacii causâ. Nos quid à singulis peccatum fuerit, tùm in Oriente, tùm Romæ; & quàm infeliciter ex hac omni causâ adstruant suprematum Romani in Orientales, fusiùs diximus, *Introd.* pleniori, hoc Titulo, *Num.* VII. VIII.

X. *Patres & Scriptores Ecclesiastici hoc Seculo, etiam Fœminæ illustres.*

1. Ex *Græcis* Patribus celebres cumprimis, *Epiphanius*, mortuus circà annum CCCCIII. ætate grandævus, & *Chrysostomus*, mortuus in exilio, anno CCCCVII. de quibus ad præcedens Seculum.

Theophilus Alexandrinus, ex privatâ æmulatione in Origenistas, factus hostis acerrimus Origenis; sic Chrysostomi immitis cum Epiphanio persecutor; patruus Cyrilli, & de quo supersunt pauca.

Syne-

Synesius Ptolemaïdis in Cyrenaicâ Episc. longè disertissimus, *Hypatiâ* olim usus magistrâ: Cæterum fertur Semi Paganus admotus Episcopatui, Theophilo tùm Alexandrino, quem hoc obtentu recusaret; *mortem præ Sacerdotio* sibi optans, ex ejusdem *Epistolis.* Fuit variis Platonicis & Pythagoricis erroribus imbutus; de quo est Lucæ Holstenii Dissertatio.

Isidorus Pelusiota, à loco habitationis, discipulus sed & vindex Chrysostomi, florens sub Theodosio Juniore, Monachus & Presbyter; *Epistolis* scriptis clarus, quæ elegantiam & pietatem spirant, & quas *ad duo millia scripsisse*, habet Facundus Hermianensis, Defens. Trium Capitul. *L.* II. C. IV. Mortuus est post Synodum Ephesinam.

Cyrillus Alexandrinus, Theophili Patrui vel Avunculi Successor, A. CCCCXIII. doctrinâ multijugâ, Orthodoxiæ studio, certaminibus contrà Nestorium, scriptis benè multis, etiam authoritate, inter prima hujus ævi lumina. Acrior initio in Nestorium, visus, *Anathematismis* suis. Nec in Cyrillum satis æquus videtur Socrates, Novatianis favens, in causâ omni inter Cyrillum, & Orestem Præfectum.

Theodoretus Cyri Episcopus, cum Cyrillo primùm, in causâ Nestorii, dein & cum Dioscoro Alexandr. commissus, præsens in utrâque Synodo Oecumenicâ, Interpres laudatissimus Scripturarum, & Historiæ Ecclesiasticæ aliorumque Scriptor; alio tamen Historico ei cognomine, qui Theodoretus *junior.* Ejus adversùs Cyrilli anathematismos scripta, quamvis posteà Nestorio ipse anathema dixerat, diu-

tinam illi invidiam, poſt fata, conciliarunt. Ineptiſſima eſt nupera Diſſertatio Nat. Alexandri, *Tomo* x. quâ Teſtimonia ex Theodoreti *Dialogis*, invicta adversùs Tranſſubſtantiationis dogma, conciliare nititur cum abolitione Panis & Vini. Videantur noſtra ad *Sec.* x. p. 996. 997.

Socrates Scholaſticus ſeu Cauſidicus Conſtantinopol. & *Sozomenus* Palæſtinus, ſectâ crediti Novatiani, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores, circà A. Chriſti ccccxl. Theodoſio adhuc imperante: De quibus obvia ſunt Eruditorum judicia.

Adde *Baſilium* Seleucienſem, membrum Synodi λῃςρικῆς, poſteà pœnitentiâ ductum; *Theodotum Ancyranum* ſub Theodoſio Jun. *Heſychium* Presbyterum Hieroſolymitanum; *Gelaſium Cyzicenum* ſub Zenone Imperat. qui conſcripſit Acta Nicæna, &c.

II. In Latinis floruêre hoc adhuc Seculo *Hieronymus* & *Auguſtinus*, hic decennio illi ſuperſtes, de quibus ad Secul. iv. Nec Criſim de tantis Nominibus, eorumque ſcriptis, hæ anguſtiæ capiunt. *Decem* nævos in Auguſtino reprehenſos à Dallæo noſtro, Tractatu de *Uſu Patrum*, dùm eluere conatur Natalis Alexander, in Auguſtino, T. x. à *pag.* 556. affectum & carpendi libidinem prodit.

Anteceſſit fatum *Ruffini* Aquilejenſis, Verſionibus, Scriptis, certaminibus, & erroribus Origenianis, inclyti, ſed & plerumque illaudati.

Frequentiſſimi verò in Occidentali Eccleſiâ, & Africanâ, fuêre hoc ævo Scriptores, de quibus ſingulis judicia hæ paginæ reſpuunt. Tales

les fuêre, *Sulpicius Severus* Presbyter; *Prosper* Aquitanicus; *Paulinus* Nolanus Episcopus; *Gaudentius* Brixianus; *Paulus Orosius* Hispanus, Presbyter; *Aurelius Prudentius* Poëta Christianus; *Hilarius* Arelatensis Episcopus; *Salvianus* Massiliensis, Presbyter; *Leo* I. Episcopus Romanus; *Joh. Cassianus*, de quo in Semi-Pelagianis; *Vigilius* Episcop. Tridentinus; *Vincentius* Lirinensis Monachus & Presbyter; *Claudianus Mamertus* Presbyter; *Gennadius* Massil. Presbyter; *Eucherius* Lugdunensis, cui filius *Salonius*; *Sidonius Apollinaris*, Episc. Claro-montanus; *Sedulius* Presbyter; *Arnobius* junior; *Petrus Chrysologus* Ravennatensium Episcopus; *Gelasius* Romanus Pontifex &c.

III. Adde Fœminas hoc ævo vel literis vel sanctitate celebres: Eas inter *Pulcheriam* Augustam; *Eudociam*, non Arcadii sed Theodosii Junioris uxorem; *Probam Falconiam* Romanam, uxorem Adelphii Viri Proconsularis; *Hypatiam* Philosopham Alexandriæ docentem, de cujus cæde, quod fovere lites inter Orestem & Cyrillum crederetur, Socrates, *Lib.* VII. C. XV. *Paulæ* matronæ Romanæ filiam *Eustochium*, de quâ prolixè Hieronymus, in Epistolis, & aliàs.

XI. *Turbæ Variæ, & Persecutiones seu in Episcopos, seu in Ecclesias, hoc Seculo.*

I. Non hic locus est prolixè memorandi persecutiones in Viros pios excitatas: Cujusmodi fuit illa *in Joh. Chrysostomum*, odiis Arianorum,

rum, Severiani Episcopi, Theophili Alex. Epiphanii, Eudoxiæ Imperatricis expositum, ac tristi exilio mulctatum, in quo diem obiit extremum, Comanis Armeniæ II. ad Pontum Euxinum, undè mox infelix *Johannitarum* Schisma: Sic sævitum in *Flavianum* Constanstantinopolitan. ex plagis acceptis in Synodo λῃστρικῇ moriturum: Sic in *Theodoretum* Cyri Episcopum, exauthorandum factione & calumniis Dioscori Alexandrini, tanquàm Nestorianum; licet restituendum posteà: Sic in *Orthodoxos* passim, per furores Eutychianos nominatim in *Proterium* Alexandrinum, suffectum ejecto Dioscoro mox à Synodo Chalcedonensi, sed experturum ipsâ feriâ Jovis ante-Paschali rabiem furentis turbæ, miserè laniatum intrà Ecclesiam in ipso Baptisterio, ut multis Euagrius: Sic in *Acacium* Constantinopolit. invisum Romanis Episcopis, Simplicio, Felici, Gelasio; uti in Galliis in *Hilarium* Arelatensem, Sanctissimum Episcopum, objectum odii ac persecutionis Leonis Romani, obtentu ejecti injustè & in alienâ Diœcesi *Chelidonii* Vesontionensis Episc. reverà ut fimbrias suæ potestatis in Occidentem omnem dilataret Leo, favore Valentiniani III. Sic in *Euphemium*, tùm in *Macedonium*, Constantinopolitanos Præsules, in *Flavianum* Antiochenum, in Orthodoxos plures, sæviit sub finem seculi Anastasius Imperator, Eutychianis favens; detrusis in exilium Viris optimis, apud Euagrium, & alios.

II. Graviores fuerunt persecutiones, quæ in Ecclesias integras motæ; Qualis illa quæ excitata *Romæ* & in *Italiâ*, (Arcadio & Honorio Princi-

Principibus) per *Gothos*, Italiam vastantes sub initia Seculi, accedente Paganâ multitudine, Ethnicam rursum persecutionem inducere molitâ. Sic & per *Wandalos*, Africâ egressos, afflicta Italia, ultrà medium Seculum, Genserico Duce.

2. In *Hispaniâ*, sævitum per *Alanos*, *Gothos*, *Wandalos*, Honorio imperante, maximè per Gundericum Wandalorum Regem Arianum, sub quo plurimi Martyres.

3. In *Galliâ*, itidem per *Wandalos*, *Gothos*, *Hunnos* Ecclesiam devastantes subHonorio, &c. De quibus Gregorius Turon. & Francorum Historiæ:

4. In *Africâ* primò quidem passi multa Orthodoxi, per furores *Donatistarum* & *Circumcellionum*, de quibus multis Augustinus: Dein per *Wandalos* Arianismo addictos, primùm Genserícho vel Gizericho Rege, in Africam trajiciente Anno CCCCXXVII. hinc totiûs Africæ domitore, à Gadibus ad Tripolim; dein Hunnericho ejus Filio & Successore; sub quibus Episcopi innumeri sedibus pulsi, & genus omne suppliciorum atque immanitatum in Ecclesias exercitum: De quibus prolixè *Victor* Uticensis, potiùs Utensis Provinciæ Byzacenæ, hujus Seculi scriptor, ex eo cæteri.

5. In *Britanniâ* per Pictos, Scotos, & evocatos adversùs istos Anglo-Saxones, Gentili superstitione; Christianis ad montana, vel in oppositam continentem fugere coactis, ex Gildâ, Bedâ, aliis.

6. In *Perside* per successores Isdigerdis, ut pluribus Theodoretus, & quâ occasione factum, sub finem Historiæ suæ.

7. In *Oriente* per *Anastasium* Imperat. sub finem seculi, primò Orthodoxiâ simulatâ, etiam sub Syngraphâ, saltem Henotico probato: Dein verò Eutychianismo palàm defenso, Syngraphâ suâ ab Euphemio, tùm & à Macedonio, sed frustrà repetitâ, Orthodoxos sedibus movit, speciatim *Euphemium* Constantinopolitanum, post & successorem ejus *Macedonium*, aliosque, ex Euagrio, & Theodoro Lectore. Refert Euagrius *Lib.* III. & ex eo Nicephorus *Lib.* XVI. subornasse Anastasium pueros, qui turpis flagitii, à Macedonio sibi intentati, Episcopum eum accusarent, sed retectâ protinùs nuditate, & eunichismo ostenso, calumniæ arguendos.

XII. *Memorabilia quædam alia hujus Ævi miscellanea.*

Huc præ reliquis referenda videntur:

I. *Codex Theodosianus* hoc ævo compositus, auspiciis Theodosii Junioris, editusque Constantinopoli vulgò quidem ad diem, v. Kal. Mart. A. CCCCXXXV. Nempè collectio est Constitutionum Constantini M. & Successorum, ex quibus decidendæ lites & controversiæ, & undè plurima quæ ad Antiquitates Ecclesiæ spectant, ejusque Fidem, Ritus, Regimen, Disciplinam.

II. Factum *Eudoxiæ* Augustæ, de quo Socrates *Lib.* VI. C. XI. Hæc Severianum in Syriâ Episcopum, redditum Chrysostomo invisum, & suspectum Hæreseôs, desiderans conciliatum Johanni, hunc ut flecteret, filium suum Theodosium, vix bimulum, ad genua Johannis in ipsâ Ecclesiâ abjecit, ac ægrè tandem quod voluit impetravit.

III. *Edicta* quædam Principum memorabilia: Tale eſt Edictum Valentiniani & Theodoſii, *Cod. Lib* 1. *Tit.* VIII. Ne quis *ſignum Salvatoris* (Crucis) *vel in ſolo, vel in ſilice, vel in marmoribus humi poſitis inſculpère, vel pingere* tentaret.

Accedat Edictum *Valentiniani* III. Imp. A. CCCCXLV. quo primatus Rom. Epiſcopi, planè ex nutu *Leonis* I. tam in Gallicanas quàm in alias Eccleſias Occid. ſancitus fuit, atque adeò cujus eſſet judicio *univerſis* ſtandum, petitâ ratione à *Petro*, à dignitate *Urbis*, à *Synodali* authoritate.

Huc facit conceſſio ejuſdem Valentiniani, facta Epiſcopo Ravennatenſi (Cuſpiniano referente) utendi *Pallio*, quo nonniſi Cæſares uti conſueverant. Ravenna tùm ſedes Imperatoris, undè dignitatis Eccleſiaſticæ incrementum.

IV. *Miracula* ſine fine huic ævo adſcripta, circà Martyres, Epiſcopos, Baptizandos, Ægros &c. apud Euagrium, Byzantinos, Gregorium Turon. Sigebertum, Nicephorum, id genus Scriptores, ex quibus Annales ſuos implet Cæſar Baronius: V. gr. celebratum eſt illud de *Attilâ*, Romam properante concitato gradu, ut ferro & flammis omnia devaſtaret, ſubitò autem gradum referente, non tantùm ad patheticam Leonis Epiſcopi orationem, ſed & ad viſionem quandam, ralatam Baronio ad A. Chriſti CCCCLII. N. LVIII. Subridet ipſe Maimburgius, in Hiſtoria Leonis Romani.

Sic vulgatum illud, *de Ampullâ Rhemenſi*, cum ſacro Chriſmate per Columbam roſtro delatâ,

latâ, quum baptizandus jamjam esset per Remigium Clodovæus, & deficeret Chrisma: Referunt Seculo IX. Aimoinus, Fledoardus, Hincmarus, ex his cæteri, pari fide quâ miricula reliqua ad conversionem ejus Regis, & Gentis Francorum, perpetrata, apud Surium, alios. Tacent hujus & sequentis ævi Scriptores.

Nec finis his narrationibus foret; Vide alias apud Magdeburgenses, *Cent.* V. C. XIII.

V. *Pœnæ* de Persecutoribus divinitùs sumptæ. Quò referuntur v. gr. *Prodigia* quæ Constantinopoli accidêre, post missum Chrysostomum in exilium, referentibus Theodoreto, Socrate &c. Sic *Tyrannorum* tristia fata, ut Basilisci Imper. à Zenone expulsi, Rhadagaisi Gothorum Regis, Genserichi, & Hunnerichi, Wandalorum, Attilæ Hunnorum Regis, Odoacri Herulorum, &c. ex Paulo Orosio, Paulo Diacono, Jornande, Sigeberto &c.

VI. *Canonicorum* Collegiá instituta, secundùm quosdam, hoc Seculo, Gelasio Papâ, seu Clericorum, qui communibus regulis, & quasi in communi Scholâ, ac velut in Monasterio, cohabitarént, ad Ecclesiæ ministeria. Sed jam antè Gelasium, in *Vitâ* Augustini, leguntur hujusmodi Collegia Clericorum Regularium, & in *Vitâ* Hilarii Arelatensis. Quod nomen primitùs officii & regulæ, deinceps beneficii & dignitatis fuit. De quibus omnium instar videndus Hospinianus noster.

VII. *Finis* Occidentis *Imperio*, Momylio Augustulo ultimo Imperatore, purpurâ spontè depositâ, ac rerum summâ in *Odoacrum* Herulorum regem, Gothici generis, post occu-

patam

patam Italiam, translatâ, hinc primum Italiæ Regem, A. Christi CCCCLXXVI. Simplicio Romæ Episcopo. Interfectò Odoacro Anno CCCCXCIII. successit *Theodoricus* Ostrogothorum Rex, qui & Siciliam, Rhætiam, Noricum, Dalmatiam, vicinasque regiones tenuit, & Hispaniam tutorio nomine administravit, ex Procopio, Cassiodoro, Jornande, aliis.

XIII. *Res Gentilium, & Judæorum.*

1. De *Gentilibus*, præter *Conversiones* suprà memoratas, hoc etiamnum ævo observantur, 1. Innumerabilis quaquaversùm in & extrà Rom. Imperium *multitudo*, & passim adhuc sacrificia, simulachra, Theatra &c. Quibus tamen saluberrimas constitutiones opposuerunt Imperatores, insertas *Codici* utrique, Tit. de *Paganis*.

2. *Fautores* Gentilismi, Sacerdotes, Philosophi, Oratores, Proconsules, Præsides, v. gr. Optatus Constantinopolitanæ, & Orestes Alexandrinæ Urbis præfecti, hic infestissimus Cyrillo Alex.

3. *Persecutiones* per Gothos, Hunnos, Barbaros, & per insanam multitudinem excitatæ; unde crescere Paganis animi, & spes instaurandi Paganismi, publicis calamitatibus Christianis adscriptis.

4. Christianorum adversùs Gentiles *Disputationes*, & in hanc rem plurima apud Orosium, Cyrillum, Theodoretum, Salvianum, alios, cumprimis verò apud Augustinum, ut in Quæstionibus, sic in Aureo illo Opere *de Civitate*

Dei: Quod se occasione irruptionis Gothorum, hinc Paganismi in Christiana sacra insurgentis, scripsisse, per aliquot annos in eo detentum Opere, Libris XXII. absoluto, ipsemet in Procœmio Augustinus testatur.

II. De *Judæis* ferè memorabiliora sunt I. *Tumultus* passim ab ea Gente excitati, cumprimis Alexandrinus ille in Cyrillum, & in Christianos omnes, Oreste tum Urbis præfecto, sed mox datâ perfidiæ pœnâ, Socrate teste. Plures eorum in Christianos molitiones, fraudes, impietates refert Socrates, *Lib.* VII. v. gr. Judæum impostorem sæpiùs baptizatum, pecuniis ità colligendis, sed tandem *aquâ evanescente*, quum se ad Baptismum sisteret; ita Judæos in Syriæ partibus, puerum crucifigentes, ludibrii causâ, sed daturos pœnas.

2. Historia de *Cretensi* Impostore Judæo, Mosem se jactitante, ac pollicito suis reditum in Palæstinam per exsiccatum Mare, sed infelici successu, Thodosio Jun. imperante; apud eundem Socratem, *Lib.* VII. C. XXXVIII.

3. Consummatio seu obsignatio *Operis Talmudici*, seu Gemaræ Babylonicæ, à Rabh Ase inceptæ, & à Rabh Jose perfectæ, Anno Æræ Judaicæ MMMMCCLXI. qui annus est *obsignati Talmudis*, ac lege inter omnes Judæos recepti, respondens A. Christiano CCCCCI.

4. *Synagogæ* passim Judæis ac *Scholæ* relictæ, indultu Principum, Arcadii, Honorii, Theodosii &c. vel ex Codice Theodosiano. *Cœlicolæ* qui fuerint, quales adjunguntur Judæis & Samaritanis, disquiritur Pleniori Introd. T. I. p. 518. 519.

Finis Rerum Quinti Seculi.

SE-

SECULUM SEXTUM.

INcipit hoc Seculum VI. cum Anno Christi DI. Anastasii Imperatoris Anno XI. Theodorici Regis VIII. post deletum Imperium Occidentis sub Romulio Augusto, vulgò Augustulo, annis XXV.

Summatim observanda hoc Seculo, pro hujus Epitomes modo;

I. *Status Ecclesiæ, ineunte Seculo.*

I. *Romanum* Episcopatum obtinebat Symmachus, successor Anastasii II. superato Anti-Papâ Laurentio, sed cujus factio novum illi negotium creavit, A. 501. quando habita Synodus *Palmaris* in ejus causâ, jussu Theodorici, de quâ infrà: *Byzantinum* tenebat Macedonius; *Antiochenum* Flavianus; *Hierosolymitanum* Helias, mox in exilium mittendi ab Anastasio, ob fidem Chalcedonensem; *Alexandriæ* verò Episcopus tum fuit *Johannes Niciota*, doctrinâ Orthodoxus, Henotico Zenonis recepto.

II. Turbabant Ecclesiam 1. Persecutio *Anastasii* in Orthodoxos, quos ferè ubique per Orientem summovit, decretorum Chalcedonensium infensissimus hostis. Pluribus Euagrius, & Byzantius.

2. Jugum *Vandalicum, Gothicum*, sub quo gemebant Ecclesiæ in Africâ, Hispaniâ, Italiâ, & passim Occidente; erupturis mox persecutionibus per Trasæmundum Wandalorum, per Cobadem Persarum Reges &c.

III. Flo-

111. Florebant hac vertente ætate in Scriptoribus Ecclesiasticis *Procopius* Gazæus Sophista, laudatus Photio; *Ruricius* senior Lemovicensis; *Paschasius* R. Eccl. Diaconus; *Alcimus Avitus* Viennensis Episcopus; *Ennodius* Ticinensis Episcopus; *A. Manlius Severinus Boëtius*, Vir Consularis; *Fulgentius* mox Ruspensis Episcopus; *Gildas* Albanius Britannus &c. quærendi in Bibliothecâ Max. Patrum, plerique & seorsim editi.

II. *Propagatio Ecclesiæ hac Ætate.*

Huc faciunt omninò,

1. Conversiones aliquot *Regum* & *Principum* ex Euagrio, Procopio, Paulo Diacono, & Chronographis intellectæ. Quos inter Rex *Colchorum* fertur, ad occasum Iberiæ, sub Justino Imperat. quæ regio *Lazica*, hodiè *Mengrelia* dicta. Certè sub Justiniano fuêre hi μάλιϛα πάντων Χριϛιανοὶ *omnium maximè Christiani*, apud Procopium de Bello Persico. Sic *Saracenorum*, & *Homeritarum* è regione Æthiopiæ, feruntur Reges Principesque Christiani, tempore Justiniani; undè legatio hujus ad Homeritarum Regem, & Æthiopum quoque, ut *pro Religionis communione* Romanis se contrà Persas adjungerent, teste Procopio *Lib.* 1. de B. Pers. C. xx.Ità sub finem Seculi Rex *Cantuariensium* Æthelbertus, primus in Anglo-Saxonibus suscepit Christianam fidem, inducente Reginâ, operâ Augustini Monachi, & Sociorum, qui Româ submissi. Accedant ab Arianismo conversi ad *Catholicam* fidem *Burgundionum* Reges, Seculo VI. inchoato, Gundibal-

dibaldus occultè primò, dein palàm Sigismundus filius. In Hispaniâ consimiliter *Suevorum* Rex Theodimirus, nec diu posteà *Wisigothorum* Principes, Ermenigildus & Reccaredus, Arianismo repudiato fidem Nicænam adoptarunt, ut pluribus ex Johanne Mariano Hispano, ex Collectione Conciliorum Garsiæ, & ex Chronographis constat.

II. Hinc Conversiones integrarum *Gentium*; Quas inter feruntur malè *Iberi*, jam vehementer Christiani sub Justino Imperatore & conversi Seculo superiore. Veriùs vicini *Colchi* seu *Lazi*, *Abasgi*, *Tzani*, ad Pontum Euxinum, & intrà Tanaim, ac Caucasios montes, Populi, à Justiniano subacti; secuturis ætatibus redituri ad pristinam penè barbariem.

Æthiopes, si Scaligero fides est, non antè Justinianum Christiani fuêre, sed invitis Historiæ Ecclesiasticæ scriptoribus, invito Procopio, *Lib.* I. de B. Pers. C. xx. qui meminit *Hellesthæi* Æthiopum Regis pridem Christiani, καὶ ὡς μάλιστα, ac conversuri Homeritas. Hinc pro antiquitate Versionis Æthiopicæ multa Waltonus, sed incertâ ejus origine.

Juxtà alios conversi etiam primùm *Armenii*, sed veriùs perversi ad sectam *Jacobitarum*. Nam hi Christiani jam tempore Chrysostomi, certè Theodoreti, qui S. Scripturæ, in linguam *Armeniacam* versæ, meminit.

Addè *Anglo-Saxones* converti cœptos, expirante Seculo, ex Anglorum Chronicis, & Antiquitat. Ecclesiæ Britann.

III. Conversiones *privatorum* innumeræ, partim ex Gentilismo, partim ex Judaismo, partim ex Muhammedismo, partim ex Arianismo,

nismo, vel ex Eutychianismo: De quibus vide Magdeburgenses, vel Hottingerum ad hoc Seculum, ex Euagrio, Gregorio Turon. Nicephoro Callisti, & posterioribus Chronographis.

III. *Doctrina hujus Seculi Catholica.*

I. Colligitur ista: 1. Ex Formulis publicis tùm receptis ac Symbolis, uti Apostolico, Nicæno, Constantinopolitano, Chalcedonensi, &c. 2. Ex Decretis & Canonibus Conciliorum hujus ævi, de quibus infrà, & passim; & ex Constitutionibus Justinianæis. 3. Ex scriptis hoc seculo editis à *Fulgentio*, *Avito* Viennensi, *Facundo* Hermianensi, *Primasio*, *Cassiodoro*, *Gregorio* I. &c. Quorum hic *Confessionem* suæ fidei, in signum mutui *consensûs*, misit pro more ad Cyriacum & Patriarchas cæteros, ex Epistolis Gregorii, non invito Baronio.

II. Hinc patet retenta fuisse *fundamentalia* Capita, seu de *Principio* Fidei, Scripturâ S. seu de reliquis ex eâ eductis *Articulis*, ut S. Trinitate, Personâ Christi, impotentiâ Arbitrii, Gratiæ particularitate & efficaciâ, Justificatione per fidem, Sanctificationis imperfectione &c. De *Eucharistiâ*, aliàs disceptatur, *Transsubstantiationis* commento adhuc ignoto; ut vel ex ipse *Anastasio Sinaitâ* in Oriente, & ex *Facundo Hermianensi* Latino scriptore, de quibus infrà, invictissimè demonstratur.

III. Imò luculenter, vel ex ipso Gregorio, Papatui admoto A. Christi DXC. constat doctrinæ ejus ævi, etiam in Latinâ Ecclesiâ, ab hodiernâ Pontificiâ discrimen. Convenit enim Gregorio cum doctrinâ Protestantium,

1. In

1. In capite de *Scripturarum* canone, sufficientiâ, lectione necessariâ;

2. De *Oecumenici Pontificatûs* & re, & titulo Anti-Christiano, superbo &c. Ubique etiam se subjectum Imperatori, ut *Domino* suo, testato scriptis & factis Gregorio, ad decessorum suorum exemplum.

3. De *adoratione* Dei unîus, rejecto cultu religioso *Imaginum*, Angelorum, Creaturarum, & *omnimodò* quidem; *Adorare imagines omnibus modis vita* &c. Epist. ad Serenum Massiliens. ut pluribus nos Historiæ Imagin. *Sect.* I. *Num.* IX.

4. De Justificatione hominis *per fidem*, solâ Dei gratiâ, exclusis *meritis* propriis, in quo multus est in Moralibus Gregorius.

5. De *impotentiâ* Arbitrii humani ad bonum; deque *imperfectione* hominis, & sanctissimorum peccatis.

6. De *Pastorali* officio, curâ, institutione, undè Gregorii jam Episcopi Liber, ejusdemque frequentes Conciones ad populum.

7. De *Eucharistiæ* Sacris, linguâ tum intelligibili, non sine communicantibus; Missis *privatis* ignoratis Gregorio; ut & ignoratâ Communione *sub unicâ* (quicquid nuper Mabillonius) azymique *in os* injectione, *hostiolis*, *adoratione* Eucharistiæ, &c. De his aliisque collecta vide ex Gregorii *Moralibus*, *Homiliis*, *Epistolis*, Libro de *Curâ Pastorali*, quàm fidelissimè loca à Magdeburgensibus, *Cent.* VI. C. IV. Flaccio Illyrico in Catalogo *Lib.* VI. in *Gregorio*, Petro Molinæo in *Vitâ Gregorii*, & Theologis aliis, dùm has controversias exequuntur. Vide & pleniorem Introductionem nostram,

hoc

hoc ipſo Lemmate. Quin ex uno Lud. Maimburgio, in *Hiſt.* Pontificatûs Gregoriani, luculenta paſſim excerpas documenta, contrà Papalem tyrannidem, uſurpationes, ſuperſtitiones varias, opinionem meritorum, abuſus Miſſaticos, Monaſticos, id genus alia.

IV. *Nævi, errores, ſuperſtitiones quædam hujus Ævi, in Doctrinâ & Cerimoniis.*

I. Huc ſpectant v. gr. Orationes ad Sanctos pro vivis interceſſuros; Templa eorum memoriæ jam dicata quaquaverſùm, & Feſta; Imaginum publicus uſus; Veneratio nimia Reliquiarum; doctrina de Purgatorio; de abſolutâ Baptiſmi neceſſitate &c. De quorum origine, & primis natalibus, dictum fuit ad Seculum quartum, *Cap.* v. & ad Seculum quintum, eodem *Titulo.* Multiplici tamen à fœdâ Superſtitione & Idololatria poſterioris ævi diſcrimine, ut ex ſequentibus Seculis conſtabit.

II. Huc facit *Cerimoniarum* novus quidam apparatus, & creſcens in plurimis *ſuperſtitioſ.* maximè verò inde à temporibus Gregorii I. ſub finem Seculi. Quanquàm Gregorio huic multa afficta quæ Gregorii non ſunt, v. gr. *Dialogorum Libri* IV. *De Vitâ & Miraculis Patrum Italicorum*, Græcè tranſlatis. Quos abjudicarunt Gregorio I. cordatiores in Pontificiis, non modò ob ſtyli indubiam barbariem, ac diverſitatem à Gregoriano, ſed etiam quia nonniſi ſeries eſt Monachalium fabellarum, adſtruendis ex gr. Virtuti Reliquiarum aut ſigni Crucis, Igni purgatorio, Apparitionibus Animarum, Libe-

Liberationibus vi Missarum, Paupertatis Monachalis merito, sanctitati, in specie illi *Benedicti Nursini*, cui κακοδοξογνωσία, prædictiones miræ, suscitationes mortuorum, sanationes miraculosæ, productiones vini, aquæ, olei, annonæ, ubi deessent, planè divinæ, sexcenta alia atque anilia tribuuntur; Nempè commendando à Monachis huic Benedicti instituto, quod id genus fraudibus surrexit ad fastigium illud opulentiæ potentiæque. Sic assuta varia ad *Epistolas* Gregorii, pro conficiendâ *adoratione Imaginum*, aut *potestate Romani Episcopi*, suprà Reges, Principes, Patriarchas totiùs Orbis &c. Blondellus, Rivetus, & Eruditi alii demonstrarunt, & quandoque Petrus Gassanvillæus, editor Gregorii novissimus.

Certum tamen hoc ævo increvisse magis ac magis religionem ergà Imagines, aut signum Crucis, ergà τὴν Θεοτόκον, Johan. Baptistam, Apostolos, Sanctos, Martyres, &c. Legantur Procopius, Euagrius, Gregorius Turonensis, Beda, &c.

Hinc *Templa* nova passim constructa, & eorum de nominibus appellata, plurima etiam à Justiniano, ex *Procopii* Historiis.

Nova *Festa* passim celebrata, & inter ea Festum *Purificationis*, *Februis* Gentilium oppositum; Festum *Annunciationis*, aliàs *Incarnationis*, *Conceptionis*; Festum *Natalis S. Iohannis*, *Cathedræ* S. *Petri* &c. Sic *Processiones ante-Paschales*, tributæ Agapeto I. coævo Justiniano Imper.

Sic *Litaniæ* etiam ad *Virginem* dici cœptæ; quæ hucusque apud Catholicos ad *Deum* solum directæ fuerant, sed & apud Latinos hoc Se-

culo,

culo, ubi institutæ *Litaniæ*, seu *Rogationes* ad Deum, tempore luis sævientis, calamitatis, &c.

Sic mirè adaucta superstitio *Reliquiaria*; crescente in dies illarum numero, & opinione virtutis, & nundinatione, & fictis in dies miraculis, facta etiam extensione ad *crepidas*, *caligas*, *ferramenta*, *pulverem abrasum ex Catenis Petri* &c. probante vehementer Gregorio I. in *Epistolis* passim. Undè tempore Gregorii I. passim huc illuc missitatæ, miraculorum causâ, collocatæ autem subtus Altari, in parietibus Templorum, & in Baptisteriis, ex eodem Gregorio.

Sic *Consecrationum* novi ritus in Latinâ Ecclesiâ, novis adhibitis Missarum solemnibus, Litaniis, suffitu, positione Reliquiarum in noviter constructis Templis &c.

Sic crescens fuit superstitio in *Vestibus* sacerdotalibus; *Luminarium* diurno usu; *Missis* super defunctis; *Satisfactionibus* pœnalibus irrogandis; *Exorcizandis* obsessis; abstinentiâ à *Carnibus* ad Jejunii rationem &c.

Huic Seculo originem debent, novæ *Jejuniorum* leges, ut *Jejunium Adventûs*; *Jejunium Rogationum*, antè Ascensionem Domini; & si quæ alia, fasso nuper Thomassino, Tractatu de Jejuniis.

Cumprimis verò *Officii* & *Canonis Missatici* nova per Gregorium ratio constituta fuit, totiusque Sacri *Ministerii*; multis ab Orientalibus & Græcis, uti sunt Antiphonarum, & Cantionum ritus, mutuatis. Hinc dispofita per singulos anni dies, festos & non festos, Psalmodiarum, Antiphonarum, Cantionum, Lectionum, Oratio-

rationum, Commemorationum, Geſtuum, Habituum, Horarum, &c. tota ratio, ſecundum varias Miſſæ partes; faſſo Gregorio *Lib.* VII. Epiſtol. ſe in his *ab Apoſtolorum conſuetudine diſceſſiſſe*. Nihilominùs ſuam retinuerunt Liturgiam Mediolanenſis, Gallicanæ, Hiſpanicæ, Eccleſiæ, aliæque, vix tandem Officium Romanum ubique ſancituro Gregorio VII. Lepida verò hiſtoria eſt, apud Durandum, *Lib.* V. C. II. de poſitis, tempore Adriani I. ſuprà Altare Officio *Romano*, & *Ambroſiano*, ibique per noctem relictis, ut poſtridie Deus aliquo ſigno manifeſtaret, quodnam horum in Eccleſiis ſervari vellet; repertum verò fuiſſe Gregorianum per Eccleſiam *diſperſum*, Ambroſianum ſolum *ſuprà Altare* relictum; Quo ſigno edocti, prius *per totum mundum eſſe diſpergendum*, Ambroſianum verò in *ſolâ Mediolanenſi* ſervandum: His artibus Roma fimbrias ſuas dilatabat.

Dubium, an ad hoc jam Seculum referenda, ex *Can.* III. Concilii II. Turon. A. 567. *aſſervatio* Euchariſtiæ S. *in Altari*, eaque *in viaticum* pro morientibus, à Græcis accepta, ex uſu præſanctificatorum in Quadrageſimâ. Doctiſſ. Mabilonius, huc jam refert, ex *Tomo* V. Concilior. *Columbas* appenſas in Altaribus Sacris, aureas vel argenteas, ſcil. *in repoſitorium Euchariſtiæ*, ſed meris conjecturis, de Liturgiâ Gall. L. I. C. IX.

Et his aliiſque nova ſenſim Chriſtianiſmo facies inducta; accedente illâ *Clericalis* & *Monachalis* Diſciplinæ in Latinâ Eccleſiâ, per Pontifices, eorumque Apoſtolos ſeu Emiſſarios, & per Benedictum ejusque ſucceſſores, invectâ. De quibus loco ſuo.

V. *Re-*

V. *Regiminis Ecclesiastici ratio hoc Seculo. Invalescens Pontificum Roman. dominatio. Discrimen tamen ab hodiernis moribus.*

I. *Ordinum* sacrorum, sacrarumque *Dignitatum*, eadem ferè hoc seculo ratio, quæ priori; crescente tamen in dies luxu, ambitione, avaritiâ, usurpationibus Romanorum Præsulum.

Hinc sensim aucta jura *Patriarchalia*, etiam *Episcopalia*, favore Principum, & quoque Justiniani. Hinc & subordinata istis dignitatibus varia in Oriente officia, Ἀρχοντίκια, ac nati in Ecclesia Σύγκελλοι, *Syncelli*, *Protosyncelli*, proximi Patriarchæ; Ἐξωκατάκελλοι, Ἔκδικοι *Defensores*, Πρωτέκδικοι *Primi defensores* (deinceps *Cancellarii* dicti) Χαρτοφύλακες, Σκευοφύλακες, *Vice-Domini*, *Oeconomi*, *Sacellarii*, *Referendarii*, *Visitatores*, &c. De quibus Catalogi Ecclesiasticarum Dignitatum, & Officialium Constantinopolit. Ecclesiæ.

II. Cumprimis certare hoc seculo de primatu *Romanus* & *Constantinopolitanus*, uterque fretus *Veteris* & *Novæ* Romæ prærogativis; singulis autem Patriarchis quoad jurisdictionem inter se *æqualibus*. Nec *Romanus*, in iis quæ ad disciplinam attinerent, quicquàm decernere absque consensu *Synodi*, quales hunc in finem congregarunt Papæ.

Et Constantinopolitano quidem, æquè ac Romano, *Oecumenici* titulus datus hac ætate, tùm ab Imperatoribus, uti à Justiniano frequentiùs, in Codice & Novellis, tùm à Conciliis,

ciliis, & ab universo Clero; Undè & in hunc diem Patriarchales Ecclesiæ dictæ *Oecumenicæ*, sensu à Latinorum illo diverso.

Vehementer autem isti titulo refragatus est, post Pelagium II. Gregorius I. Romanus, vocans *superbum*, *novum*, *blasphemum*, *profanum*, *Diabolicum*, *stultum*, *frivolum*, *Antichristianum* &c. cumprimis Libro IV. & VI. *Epistol.* quâ de re ad Seculum VII.

III. Interim augeri cotidie in majus Episcoporum Romanorum *in Occidente* dominatio, procul agentibus in Oriente Imperatoribus, saltem omnibus modis ad hôc eniti Pontifices. Hinc facta, *Symmachi* Anastasium *excommunicantis*, & *Pontificiam* dignitatem longè suprà Imperatorium efferentis; *Hormisdæ*, urgentis favore Justini Imperat. anathema *Acacii*, & omnium *qui non in omnibus consentirent cum Ecclesiâ Apostolicâ*; *Johannis* II. abusi titulo *Capitis Ecclesiarum*, *& omnium Sacerdotum Dei*, in rescripto Justiniani ad Epiphanium, *Cod.* de S. Trinit. & Lege vulgò *Inter claras*; *Agapeti*, *Anthimum* Sede Constantinopolitanâ moventis, favore Justiniani; *Vigilii*, *Vicariatum* Rom. sedis concedentis Archiepiscopo *Justinianæ primæ*, aut Quintam Synodum, ut volunt, *Epistolâ* confirmantis; *Pelagii* II. & *Gregorii* I. Constantinopolitano abjudicantium *Universalis Patriarchæ* titulum, aut *inobedientiam* ergà Rom. sedem accusantium. Quibus *omnibus*, *Papæ* jam tùm potestatem magis magisque extendere; *Vicarios* passim in Occidente constituere; in Constantinopolitanos immodestiùs se gerere; Archiepiscopis passim imperare ut sibi obnoxiis; causarum omnium

cognitionem & appellationes sibi vindicare; illud, *Tu es Petrus*, importunè ebuccinare &c.

Undè nihil mirum est malis artibus, factionibus, vi grassatos esse ad Pontificatum: Et hinc *Antipapæ* hoc Seculo Symmachus & Laurentius; Bonifacius II. & Dioscorus; Sylverius & Vigilius, hic vi apertâ, & simulatâ apud Theodoram hæresi, adeptus dignitatem: Unde Baronius de Vigilio, ad A. DXXXVIII. *In sedem Petri violenter intrusum; qui Simoniacam labem contraxisset; Sacrilegum; Schismaticum; Invasorem; Lupum; Pseudo-Episcopum; Antichristum* &c.

IV. Frustrà verò Baronius, inter alia, 1. Quæ *facta* multa, seu ex arrogantiâ Pontificum, seu ex indulgentiâ quandoque Imperatorum, contendit *esse juris*; 2. Quæ juris *humani* (ut v. gr. honos habitus primæ sedis Episcopo, tituli ei passim adscripti, potestas in Occidentis Ecclesias, vel ex Edicto Valentiniani, &c.) vult esse *Divini* juris; 3. Quæ facta per modum *arbitrii* delati Romanis Episcopis, vel *consilii* expetiti, interpretatur de supremâ eorundem ac judiciali potestate. 4. Quæ *communia* Constantinopolitano, ut fuêre tituli *Oecumenici*, *Capitis Ecclesiarum* &c. facit Romani Episcopi propria. 5. Mirè abutitur facto *Agapeti* Anthimum Constantinopolitanum abdicantis, ac Mennam illi surrogantis; ut & Literis illis Justiniani ad *Johannem* Papam, ac Rescripto ad *Epiphanium* Constantinopolit, *Cod. de S. Trin. l. 7.* & 8. nec non exaltatione *primæ Justinianæ* in *Vicariatum* Apostolicæ sedis, in partibus Orientis, qui anteà fuerat *Thessalonicensis*, ob Paparum remotissimam sedem ab Orientalibus,

libus, quibuscum semper communicavit Roma. De singulis fusiùs Blondellus, J. Capellus, Salmasius, & nos quoque pleniori *Introductione hoc Tit.*

v. Discrimen verò illorum temporum ab usurpatâ deinceps potestate, & tyrannide Romanor. Pontificum, facilè cognoscet, qui attenderit exempli causâ, 1. Missos illâ ætate non semel Romanos Episcopos, qui *legatione* fungerentur ad Cæsares Constantinopolitan. uti *Johannem* 1. vel *Agapetum*, ex eorum Vitis. Ità agnovisse Pontifices se Imperatorum *legibus, jussionibus subjectos*, ut *Dominis suis*, quibus *obedientiam* deberent &c. literæ Paparum testantur ad Imperatores Orientis, & ipsius Gregorii 1. ad Mauricium Imperat.

2. *Archiepiscopi* ac *Patriarchæ Senioris Romæ* titulo, Romanum hoc etiamnum ævo venisse; sic ab ipso Justiniano appellatum; Constantinopolitano solo *ordine* sessionis postposito, *Nov.* CXXXI.

3. *Electionem* Rom. Episcopi fuisse tum penes Clerum Populumque Rom. *confirmationem* penes Imperatorem, post redditam huic Italiam; suis & Ravennatensi *Exarcho* in constituendo Pontifice juribus.

4. *Cardinales* tum vocatos in Ecclesiis majoribus, ut Romæ, Ravennæ, Mediolani, *Presbyteros* seu *Curatos* vel *Curiones* singulis Parœciis præfectos, tanquàm primos vel præcipuos, ex *Epistolis* Gregorii, fatente multis Carolo Molinæo, Libro *de Mon. Francor.* & aliis.

5. Ignota adhuc fuisse *Annatum*, *Investituræ* Pontificiæ Episcopor. *Juramenti fidelitatis*

 ergà

ergà Roman. sedem, *Legatorum à latere* vel *Internunciorum* in Aulis Regum, *Præsidentiæ* in Conciliis Universalibus, *Infallibilitatis* Pontificiæ, *Dispensationum* Papalium, asservati *Thesauri Indulgentiarum* &c. usurpata deinceps jura.

6. Nullas adhuc Romanis Episcopis paruisse *Provincias*, *Urbes*, minùs *Rgena*: hinc nulla tum fuisse vel jura vel etiam insignia Majestatis, Superioritatis, Principatûs terreni; nulla certè in genuinis hujus ævi Monumentis occurrere. Suberant verò hinc indè prædia, fundi, ædes, animantium greges, & quæ id genus alia, vel ex *Epistolis* passim Gregorii I. Et hæc speciminis nunc loco sufficiant.

VI. *Justinianus Imperat. Facta ejus Ecclesiastica.*

I. Beata hoc Seculo Ecclesia laudatissimis Principibus fuit, ut *Justino* seniore, qui dissidium inter Orientales & Occidentales composuit; sic cumprimis ejus successore *Justiniano*, qui ab A. C. DXXVII. totis ferè annis XL. Reipubl. & Ecclesiæ quàm utilissimè præfuit. De quo in Veteribus Procopius Cæsariensis, Agathias Scholasticus, Euagrius, Zonaras, Cedrenus, Suidas &c. Nec tamen suis nævis caruerunt Sacratissimi Principes, ac cumprimis Justinianus, nimium deditus Theodoræ, libidinosissimæ simul & artificiosissimæ fœminæ, cum quâ divisit Imperium.

II. De Justiniano autem multa ab hoc loco *aliena* sunt; Uti virtutes civiles, inprimis Justitiæ post Religionem prima cura; Juris Ro-

Romani ac Cæſarei digeſtio; bella tria maxima fortiter geſta, Perſicum, Vandalicum, ac Gothicum; purgata à Barbaris Italia, Africa, Sicilia, Sardinia, virtute Beliſarii, & Narſetis; Subacti Eruli, Abaſgi, Lazi, Tzani, ad Tanaim, Euxinum, & Caucaſum populi, atque ad Chriſtianam fidem perducti; variæ in Juſtinianum conjurationes factæ; ac Beliſarii tandem fortiſſimi Ducis caſus, conſpiratione Theodoræ, & Antoninæ adulteræ conjugis, &c.

Sec & multa de eodem Juſtiniano vel *fabuloſa*, vel certè *dubia* tradita literis: Uti abjectiſſimi natales, ruditas literarum, ſegnities animi, avaritiæ ſordes, opinio de ſuâ ἀφθαρσία, & ſi quæ id genus alia, Viris Eruditis vindicata: Ità quæ de *Beliſario* retulerunt, per Juſtinianum tandem excœcato, & ad mendicitatem redacto; non tacituro rem Procopio in Hiſtoriâ Ἀνεκδότῳ.

III. Eminuit præ reliquis in glorioſiſſimo Principe cura *Religionis*, & *Eccleſiæ*, quam *præcipuam ſollicitudinem Imperialem* dixit; ſed quandoque nimia circà quæſtionum ac Controverſiarum otioſa, v. gr. de ἀφθαρτοδοκία, aut etiam de Tribus Capitulis. Hinc certamina cum Eutychianis; Anthimi deturbatio; trium Capitulorum damnatio; indignatio in Vigilium, evocandum Conſtantinopolim; Synodi Univerſalis indictio; priorum Confirmatio; reverentia Patriarchis, & Epiſcopis, & Sacerdotibus habita; Baſilicæ ab eo multæ conſtructæ ſpeciatim illa *S. Sophiæ*; Diœceſibus jura adſcripta, reſtituta, variè immutata; Diſciplina Clericalis & Monaſtica reſtituta, &c. Hinc

 uno

uno verbo Ecclesiasticæ Constitutiones ac sanctiones innumeræ, tàm circà *Res* sacras, seu *principales* seu *accessorias*, quàm circà *Personas* Ecclesiasticas, seu Orthodoxas seu Heterodoxas, seu superioris seu inferioris Ordinis, seu in Ecclesiâ, seu extrà Ecclesiam quales Apostatæ, Judæi, Pagani, passim in *Codice* & *Novellis*.

IV. Frustrà autem in potestatem illam *Nomotheticam*, & in facta plurima Justiniani ut usurpatæ potestatis, ut Imperatoriæ licentiæ, ut à Constantinopolitano Patr. profecta, insurgunt Scriptores Pontificii, & quoque Baronius ad A. Christi DXXVIII. *Num*, II. Imò Leo Allat. de Perpet. Consens. *Lib.* I. C. XV. Justinianum *tam licenter in Ecclesiasticas sanctiones esse debacchatum, ut quas novis sancitis non perverterat, eas suâ authoritate stabilierit.* Ast verò insistit vestigiis ut piorum sub V. T. Regum, sic Antecessorum suorum Justinianus, Ecclesiæ utiliter prospexit, Canonibus Antiquis vim legum addidit, Constitutiones multas salutariter adjecit, paruit etiam illius legibus Antiquitas, paruêre Pontifices, hinc & multæ leges *Decreto* insertæ apud Gratian. Undè & cordatiorum in Latinis longè sunt æquiora judicia, & cumprimis Gallorum, Juri Regio asserendo. Absurdus verò Alexander Natalis, ad *Secul.* VI. in Justiniano, hujus Imperatoris Constitutiones de Ecclesiæ Disciplinâ, *vim nullam habuisse, nisi quia sunt ab Ecclesiâ receptæ, & approbatæ*, id est à Romanis Pontificibus, Gregorio I. Johanne VIII. aliis. Longè aliter ad Imperatores suis in Epistolis, Bonifacius, Cœlestinus, Leo, Vigilius, Gregorius I. &c. quorum

rum hic Legem Mauricii, *ne Milites in Monasteriis susciperentur*, licet magnoperè improbaret, *tamen jussioni subjectus, eandem per diversas terrarum partes transmitti fecisset* &c. *Imperatori obedientiam præbens. Epist.* LXII. *Lib.* II. *Ind.* XI.

V. Magnis Principis *virtutibus* permixta quædam *vitia* memorantur: Ut propensior in Eutychianos voluntas, γυναικοκρατία, segnites in re militari, superstitio in Mariam Virg. Aphthardocitarum error extremo senio adoptatus, in mutandis legibus inconstantia quædam, alia apud Procopium in *Hist. Arcanâ*, apud Euagrium, Zonaram, Suidam, &c.

VII. *Hæreses Ecclesiam conturbantes hoc Seculo.*

I. *Arianæ* hæreseôs mira fuit propagatio, quà hac etiamnum ætate infecti fuêre in Oriente Episcopi & Christiani benè multi; in Italiâ Gothorum Reges, in Africâ Vandali, in Hispaniâ Westgothi, Suevi, passimque sub his Antistites, Ecclesiæ integræ, faciente Arianorum sævitiâ & persecutione. Sed tamen ab *Arianismo* ad Catholicam sedem, intrà Hispanias, conversos fuisse *Suevos* & *Visigothos*, inclinato Seculo, ex Hispanorum ac Gothorum Chronicis, & ex Collectione Conciliorum Hispaniæ, apud Garsiam, suprà *Cap.* II. monitum fuit.

II. Missis autem Hæresibus superiori jam ætate notis, item Eutychianæ familiæ memoratâ ibi Sectâ *Acephalorum*, ad Seculi V. C. VII. turbarunt cumprimis hoc Seculo, ex eâ-
Mm 4 dem

dem quidem familiâ, sed sub aliis nominibus, primò *Severitæ*: Reverâ iidem cum Acephalis, à Severo Antiochiæ Episcopo, suffecto in locum Flaviani, Seculo VI. inchoato. Alio nomine *Monophysitæ*, quod unam tantum naturam in Christo post Incarnationem profiterentur: Etiam *Theopaschitæ*, quod Divinitatem ipsam passam ac mortuam esse affirmarent: Etiam *Tritheitæ*, quod in S. S. Trinitate tres Substantias & Naturas, per omnia similes statuerent, ne divinitatem *Patris* & *Spiritûs S.* incarnatam, aut passam dicerent: Duce horum *Johanne Philopono* Philosopho & Grammatico, juxtà Nicephorum, *Hist. Lib.* XVIII. c. XXXVII. & L. Quanquam tres *Deitates* dicere erubescerent.

III. His accedunt *Jacobitæ* in Syriâ & Oriente; cujus sectæ author Jacobus quidam, Syrus genere, homo obscurus, *Severi* & *Gnaphei* discipulus, aliàs *Zanzalus* ob conditionem abjectam, à quo fluxit Secta Jacobitarum, hodieque per Syriam, Armeniam, Mesopotamiam, Ægyptum, Æthiopiam &c. diffusa, & *Melchitis* contradistincta. Fusé Eutychius Batricides, *Annal.* T. II. ad tempora Anastasii Imperat. & Nicephorus Hist. *Lib.* XVIII. C. LII.

IV. Accessit nova hæresis, cujus Sectatores dicti *Aphthartodocitæ*, seu *Incorrupticolæ*, etiam φαντασιασταὶ *Phantasiastæ*; de quibus Euagrius, L. IV. Liberatus in *Breviario*, Leontius Byzant. *de Sectis*, Nicephorus *Lib.* XVII. & XVIII. alii.

Locus & *Tempus* fuit in urbe Alexandriæ, *Timotheo* isthîc Episcopo, Eutychianæ factionis, seu Acephalorum, Justiniano Imperatore.

Origo

Origo ex controversiâ natâ inter ipsos Eutychianos: An Corpus Christi à conceptione *φθαρτὸν corruptibile* fuerit, an *ἄφθαρτον incorruptibile?* Severus, qui tum in Ægyptum ad Timotheum se receperat, respondit *corruptibile*: Julianus Halicarnassæus, ejusdem familiæ, *incorruptibile*, eo nempè sensu, quod Christi corpus expers fuisset *famis*, *sitis*, *fatigationis*, & affectionum id genus corruptibilis naturæ, quas nonnisi specie tenùs passus esset, unde *φαντασιασταί*. Hinc familiæ *Severitarum*, & *Julianitarum*, ac qui Juliano accedebant vocati, ut diximus, *Aphthartodocitæ*; qui autem Severo adhæserunt dicti *Phtartolatræ*, seu *Corrupticolæ*, Dein & priores dicti *Gajani*, posteriores *Theodosiani*, utrique tamen Synodo Chalcedonensi infesti. Scilicet à *Gajano*, & *Theodosio*, qui post Timothei Asterii mortem in Sedem Alexandrinam evecti fuerunt, ille factione plebis, hic Theodoræ Augustæ patrocinio; prior Gajanus Julianum Halycarnassium, posterior Theodosius secutus Severum Corrupticolam. Quâ de re præfati Scriptores.

Fautor verò *Incorruptibilitatis* fuisse fertur Justinianus Imperator, teste Euagrio Historico, & post eum Zonarâ, aliis; undè & persecutiones Justiniano tributæ in Episcopos Orthodoxos: Sunt tamen qui Justinianum hac in parte defendant, & Euagrium accusent falsi. Restitit autem forti animo *Anastasius* Antiochenus, destinctionis ergò dictus *Sinaita*, à prioris habitationis loco, ex Euagrio, Nicephoro, post à Justino juniore in exilium missus, cujus & hoc de argumento Orationes exstant.

v. Denique celebris fuit hæresis *Agnoëta-*

rum, exorta ferè sub finem Seculi, in Ægypto, eademque propago Eutychianorum, de quâ iidem qui antè Historici, & in Actis Conciliorum, in specie Synodi VI.

Nomen hæresi fuit à dogmate quo asserebant Christum *ignorasse* diem Judicii, etiam secundùm *Deitatem*: Ratio autem, quia non aliam in Christo Naturam post unionem agnoscerent, præter Divinam, seu ex duabus Unam compositam, & tamen Corrupticolarum hypothesi adhærerent. Alio nomine dicti *Themistiani*, à Themistio Diacono Alexandrino, à quo dissensit hac in parte Timotheus, tùm Alexandriæ Episcopus; quem Themistium malè confundit Nicephorus *Lib.* XVIII. c. 2. cum Themistio Philosopho Ethnico, Interprete Aristotelis, sub Imperatoribus Juliano, Joviniano, Valente. *Agnoëtas* confutarunt varii, ac præcipuè Eulogius Alexandrinus, coævus Gregorio I. cujus ad Eulogium extant Epistolæ.

VIII. *Contentiones inter Catholicos, de quæstionibus nonnullis, imprudenter natæ.*

1. Hujusmodi fuit Controversia, *An unus de Trinitate crucifixus in carne esse, rectè diceretur?* Affirmabant Monachi Scythæ Constantinopolitani, duce Joh. Maxentio, Justino autem seniore Imperante; Negabat vehementer Hormisda Papa Romanus, palàm damnans cum Legatis suis, locutionem hanc, quâ *Christus crucifixus, unus ex Trinitate* dicebatur.

Quum

Quum tamen id flueret ex sententiâ Orthodoxâ de *Verbo incarnato*, & ex phrasi Scripturæ S. ac Patrum priorum; otiosè licet ac præposterè hæc moveretur controversia.

Tempus natæ ejusdem fuit circiter Annus ccccc. xviii. sub initia Justini. *Occasio* autem, illinc error Nestorianus, cui dùm se Orthodoxi opponunt, rectè tuentur eam phrasim, *Unum de Trinitate fuisse incarnatum, ità etiam crucifixum;* hinc error Eutychianus, qui eam phrasim in sensum Theopaschitarum detorquere facile posset.

Abusi verò sunt Hormisdæ judicio tum *Nestoriani*, tum *Origenistæ*. Hinc etiam displicuit illud omnibus Orthodoxis, pòst & Justiniano Imperatori, & Patribus Concilii Oecumenici V. & Hormisdæ successori Johanni II. decernenti contrariam assertionem illi Antecessoris sui.

Undè in varias sese formas vertit cum suis Baronius, ut sententiam Hormisdæ excuset, & Papam ab errore liberet, Maxentio autem & Monachis sensum Hæreticum & *Eutychianum* impingat, ad An. Chr. DXX. & DXXXIII, Sed ab *Eutychianismi* suspicione liberabat se cum suis Petro Diacono, Johanne Leontio, & *cæteris*, Joh. Maxentius, contrà Epistolam Hormisdæ, in *Tomo* IV. *Bibl Patr.* Liberabant eum quoque Africani, scripto Libro de *Incarnatione & Gratiâ*, operâ Fulgentii. Undè Cæsarem Baronium erroris hac parte postulat ipse quoque Natalis Alex. T. XII. *Differt.* II. Hac autem de quæstione prolixissimè Forbesius noster, *Lib.* III. *C.* XXI. Ex eâ quæstio altera nata, essetne *Christi Persona composita*,

posita, Vide Introd. Plen. T. I. pag. 457.

II. Sic nata vel renata potiùs quæstio, *de die celebrandi Paschatis*, & quidem potissimùm in Britanniâ, Scotis adhuc celebrantibus Pascha more Judaïco, seu XIV. Lunâ, ex inveteratâ consuetudine; aliis contendentibus, celebrandum esse more Romanæ Ecclesiæ, ipsâ die Resurrectionis, seu Dominicâ; Illi ad Joannis Euangelistæ, cum Asianis, hi ad Petri & Pauli traditionem, vel ad Petri claves provocabant, Romæ scilicet tum venditari solitas. De quâ controversiâ, quæ sequentibus Seculis recruduit, ex Bedæ Historiâ Eccles. Gentis Anglorum, Usserius *Antiq. Britann. Cap.* XVII. Forbesius *Instr. Hist. Lib.* III. *Cap.* XXX.

III. Sic nata controversia. *An aliquis post mortem sit damnandus, vel anathematizandus?* Nempè occasione Theodori Mopsvesteni pridem mortui, in Concilio tamen Oecumenico V. sub Justiniano Imperatore anathematizati, simul cum Origene Adamantio, ac defensoribus Trium Capitulorum, id est scriptorum Mopsvesteni, Ibæ ad Marim Persam, & Theodoreti contra Cyrillum. Et Orientalibus quidem in hoc restitit Vigilius Papa, negans *mortuos anathematizandos*, & multæ per Occidentem Ecclesiæ. Sed Vigilius homo varius fuit, ambitioni suæ serviens, modò damnans, modò quæ damnasset retractans, ad nutum Imperatoris, quæ tùm Paparum ἀναμαρτησία fuit. Quâ de re Lemmate sequenti.

IX.

IX. *Concilia hoc Seculo celebrata. Oecumenicum V. sub Justiniano.*

1. Ut *particularia* hac ætate Concilia propemodùm fuêre innumera, sic *Oecumenicum* unum, ordine V. Quod demùm diu posteà pro tali habitum fuisse, postquàm assensus Vigilii Papæ accessit, & Successorum, fingit de suo Baronius, nullo omninò teste, ad A. C. DLIII. Num. CCXXIV. & post eum Perronius, Petrus de Marca, ac recentiores. Hujus verò Concilii Universalis strictim heic observanda veniunt:

1. *Locus*, Urbs Regia Constantinopolis, hinc Constantinopolitanum II. *Tempus* verò secundùm alios annus Chr. DLI. plurimis & veriùs annus DLIII. Justiniani XXVII. Romano Episcopo Vigilio, Constantinop. autem Eutychio.

2. *Occasio* fuit, ex Liberati Breviario, in Tomo V. Concil. ex Euagrio, Theophane, Photio, & ex ipsis Collationibus Concilii: Primò quidem, repullulantes passim & turbantes *Origenistæ*, cumprimis in Palæstinâ, Monachis quibusdam pro more authoribus, damnatis hoc nomine ab Eustochio Episcopo Hierosolymitano. Secundò, Disputationes *de tribus Capitulis* Concilii Chalcedonensis, natæ primùm per Nestorianos quosdam, quales habebantur, negantes improbata eo Concilio fuisse scripta *Theodori* Episcopi Mopsvesteni, aut illa *Theodoreti* contrà Cyrillum, aut Epistolam *Ibæ* Episcopi Edesseni ad Marim Persam, qui Nestorianæ sententiæ adhæsisse ferebantur.

Contrà subdolè Acephali urgere eorum damnationem, intactâ scilicet Synodo Chalcedonensi; Orthodoxi verò, illinc ut salva esset authoritas Concilii Chalcedonensis, hinc ut reducerentur ad concordiam Acephali, inter se contendere: Undè consilium Justiniani de Synodo *Universali* indicendâ, ex ejusdem Sacrâ ad Synodum, ex Liberato, ex Libello Synodico, Photio, reliquis.

3. *Convocatio* Concilii facta pro more per Justinianum Imperatorem omnium calculo, præterquàm Baronii & mancipiorum. Natalis Alexander novissimè, convocationem factam *non repugnante Vigilio*, cujus & repugnantia frustrà fuisset. Vocatus autem iteratis invitationibus *Vigilius* Papa Romanus ad Concilium fuit, qui tum adhuc Constantinopoli præsens. Non tamen sessionibus interfuit Vigilius, reverà ob contentionem cum Constantinopolitano *de primatu*: Et quicquid urgeret Princeps & Concilium, respondit se scripto sententiam expositurum.

4. *Præses* igitur Concilii (in quo subscripsêre Episcopi CLXV. & in iis tres Patriarchæ) fuit, non *Vigilius* in Urbe præsens qui Concilio restitit, non Vigilii forte Legati, sed Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus, Mennæ successor.

5. *Acta* hujus Concilii fuerunt, 1. Confirmata fides quatuor Conciliorum, Nicæni, Constantinopolitani I. Ephesini, & Chalcedonensis. 2. Anathematizatus & damnatus Theodorus Mopsvestenus, post lectum ejus Symbolum, ut *execrandus*, & *blasphemiarum eructator*. 3. Damnata etiam *ut impia* scripta Theo-

Theodoreti, addictioris quondam partibus Nestorii: Etiam Epistola Ibæ ad Marim Persam, ut Nestoriana, & pariter *impia*. 4. Anathematizati præterea *Origenes*, *Arius*, *Macedonius* &c. & damnata Anathematismis x. prioribus scripta Origenis, ejusque errores. Formula extat in Collatione VIII. Concilii, in quâ sententia *Concilii*, & Anathematismi XIV.

6. Succedanea hujus Concilii fuêre: Acerrimæ oppositiones factæ per Vigilium Papam Romanum, ut durante Concilio, sic eo finito, hinc exilio mulctandum à Justiniano: Tum quæstio illa ipsa, de anathematizatione exorta: Hinc schisma natum inter Ecclesias Orientis, & Vigilium cum suis, ac multos Occidentalium, recipere hanc Synodum cum eo detrectantes. Imò cum posteà Pontifices Romani Synodum approbassent, ab illis ipsis Episcopis secessionem fecêre, (ex Pelagii I. Epistolis) multæ Ecclesiæ Occidentles, per Italiam, Galliam, & Hyberniam, subscribere nolentes isti *demortuorum anathematizationi*.

7. Fertur tamen *Vigilii Epistola* Decretalis pro *Confirmatione* Synodi V. Apostolicâ scilicet authoritate, eodem A. Justiniani XXVII. edita eadem ex Christianissimi Regis Bibliothecâ, cum Dissertatione, à Petro de Marcâ, A. 1642. tacita autem Baronio, ignorata Anastasio, & Antiquitati, undè meritò supecta est. Suspicionem augent, quod profecta ea primùm ex scriniis Romanæ Ecclesiæ, fatente Petro de Marca, & Græcè descripta demùm (ut ferunt) Seculo XIII. à Græculo quodam, A. 1276. id est tempore *Michaëlis Palæologi*,

quì

qui Michael omnia ad nutum Latinorum composuit, ut ex Byzantinis Historicis, & ex Allatio ipso, constat. Licet dari facilè possit, *consensisse* posteà Vigilium *Justiniano*, ut restitueretur sedi suæ, quo Vigilius ingenio fuit vel judice Baronio; at morte paulò post intercipiendus fuit.

11. Concilia *particularia* hoc ævo innumera habita, cùm in Oriente, tùm in Occidente. Inter Constantinopolitana, celebre illud *sub Mennâ*, adversus *Anthimum* A. 536. anterius Oecumenico V. in quo Mennas Præses, licet adessent: Legati Romani, Baronio Mennam *Vicarium* Agapeti quàm ineptissimè statuènte. Anthimus ille homo Eutychianus, ac vafer, favore Theodoræ in Sedem Constantinopolit. intrusus fuerat, mox tamen insurrecturis in eum Episcopis, & ipso Justiniano, dùm fidem Orthodoxam profiteri ingenuâ Confessione renueret, quibus accessit Agapetus, delatus tùm fortè Constantinopolim, & legatus Theodati Italiæ Regis.

Concilia in Occidente plurima, tùm in causâ *Doctrinæ*, tùm in *Disciplinæ* alterâ, præcipuè Gallicana, & Hispanica. In Gallicanis eminent *Aurelianense* 1. Clodoveo Rege, cujus notabiles sunt aliqui Canones de Ritibus, & disciplinâ Monachali; *Epaonense*, post conversionem Sigismundi Regis ab Arianâ Hæresi, operâ Aviti Viennensis; *Arausiacum* II: contrà errores Semi-Pelagianorum, præside Cæsario Arelatensi, qui eandem cum Avito Viennensi, & Fulgentio Ruspens. causam ageret, A. DXXIX. *Aurelianensia varia*, instauratura disciplinam, Clericalem & Monachalem, & inter alia ut nemo Pontifex consecraretur, *nisi*

cum

cum voluntate Regis, *Can.* x. Aurelianensis v. *Autissiodorense* A. DLXXVIII, in quo Canones, ut Clerici conjugati abstineant ab uxoribus; ne duæ Missæ una die in eodem Altari, ne *mortuis* tradatur *Eucharistia*; ne mulieres *nudâ manu* eandem accipiant &c. De his aliisque Synodis vide Collectionem Sirmondi, & Tomos Concilior IV. V.

Hispanicas Synodos, post conversionem Theodomiri Suevorum Regis, & Reccaredi Gothorum, collegit Garsia Loaisa; Et in iis Canones plurimi notabiles, sive contrà *Hæreses*, sive contrà abusum *Disciplinæ*, nullo interventu Romanorum Pontificum, Regiâ authoritate utique conspicuâ.

Undè hac ætate in confesso est, convocatas fuisse Synodos authoritate *Principum*, ut in Oriente per Cæsares, sic Gallicanas per Clodoveum & successores, Romanas per Theodoricum, Hispanicas per eorum temporum Reges, &c. Quod ex harum Synodorum Collectione luculenter intelligitur, ubi passim profitentur, convenisse sese per *Regale præceptum*, *per ordinationem gloriosissimi Regis* &c.

X. *Scriptores Ecclesiastici hoc Seculo celebriores.*

1. In Græcis & Orientalibus sunt principuè; *Procopius Gazæus*, Rhetor, non confundendus cum Cæsariensi Historico, Scholiorum prolixiorum author in varios Libros Vet. Test. hujus (ut videtur) ætatis, nec multum adultæ. Ejus enim discipulus fuisse traditur Photio, Codice CLX. Choricius Sophista, ἐν τοῖς Ἰουστινιανοῦ χρόνοις. Quædam edita debentur diligentiæ Joh. Meursii, V. Cl. *Jo-*

Johannes Maxentius Monachus, & Presbyter Antiochenus, qui causam de Gratiâ contrà Faustum, & alteram Monachorum Scytharum contrà Hormisdam luculentissimè defendit, iniquè admodùm vapulans Baronio ad A. C. DXV. *Num.* XXIII. Pariter enim & *Nestorianos*, & *Acephalos* impugnavit Maxentius; cujus Libelli sunt in Magnâ Bibliotheeâ Patrum, T. IV. Edit. A. 1654.

Leontius Byzantius, scriptor idem adversùs Origenistas, Nestorianos, & Acephalos; De cujus ætate adversa sunt Baronii, Bellarmini, & Phil. Labbei, aliorumque judicia. Coævus omninò fuit *Eulogii* Alexandrini, hoc Seculo admodùm inclinato, & Gregorii Romani. Vide Labbeum, & ex eo Oudinum.

Euagrius Scholasticus, à Pontico & ab altero Euagrio Antiocheno, qui Seculo IV. vixêre, diversus, Continuator Historiæ Ecclesiasticæ, Socratis, & Theodoreti, sub Tiberio, usque ad XII. annum Mauricii; In dogmatis accuratior, judice Photio, nec pari ubique Historiæ fide, fabellis non paucis obtrusis in causæ Iconolatricæ præsidium.

Anastasius Sinaita, ex Monacho Episcopus Antiochenus, ad extrema Justiniani, qui Acephalis & Aphthartodocitis restitit. Hic si author Ὁδηγοῦ, quem tribuunt alii Anastasio posteriori, probaturus Corpus Christi *antè Resurrectionem* fuisse *Corruptibile*, argumentum petit ab *Eucharistiâ*, quæ sit verè illud *Corpus Christi*, quod erat aptum pati, frangi, dividi, *corrumpi*, dentibus atteri, uti Eucharistiam ipsam *corruptibilem* esse experientia docet. Alienissimus ità Anastasius à sententiâ Rom.

Rom. Ecclesiæ, quæ Corpus Christi longè diversum in Eucharistiâ sibi fingit.

Eulogius Alexandrinus; sub Tiberio & Mauricio Imperat. laudatus Gregorio Romano, è cujus diversis Operibus Excerpta reliquit Photius *in Biblioth*, Codd. CCXXIV. CCXXVII. Mittimus alios.

II. In Latinis & Occidentalibus celebriores sunt, nam memorasse hos satis est, quorum alibi descripsimus characterem, *Introd.* T. I. à *pag.* 563. *Ennodius* Ticinensis Diaconus, sub initium hujus Sec. cujus Epistolas & Opuscula edidit Sirmondus; *Fulgentius* Ruspensis Episcopus, discipulus notissimus Augustini; *Alcimus* Avitus Archiepiscopus Viennensis; *Cæsarius* Episcopus Arelatensis; *Primasius* in Africâ Episcopus, tempore V. Synodi Oecumenicæ; *Marcus Aurelius Cassiodorus* Senator Romanus sub Theodorico; *Anicius Manlius Severinus Boëthius* Scriptor de Consolatione Philosophiæ, Consul Romanus, Theodorici jussu interemptus; *Paschasius* Diaconus Rom. Eccl. à Ratberto diversus; *Dionysius* Exiguus, Abbas Romanus, Collector Canonum; *Gregorius* Archiepiscopus Turonensis, miré fabulosus; *Ferrandus* Carthaginensis Diaconus, discipulus Fulgentii; *Liberatus* ejusdem Ecclesiæ Diaconus, auctor *Breviarii* historiæ Nestorianæ & Eutychianæ; *Facundus* Hermianensis in Africâ Episcop. cujus Libros XII. ad Justinianum, primùm edidit Sirmondus; *Gregorius* Magnus, hujus nominis primus, ad Papatum evectus, circa A. C. DXC. qui acriter restitit titulo *Universalis Episcopi*, & de quo aliàs plura, ac suprà *Cap.* III. & IV.

Ex

Ex his Scriptoribus luculenta paſſim documenta excerpſêre Theologi, adverſùs Papalem Tyrannidem, recoctum Pelagianiſmum, Tranſſubſtantiationem, cultum Creaturarum, Superſtitiones ac Traditiones varias R. E. Certè nullo artificio Natalis Alexander T. XII. C. IV. *Art.* VII. (poſt Sirmondum, Arnoldum, & ſuos) eludere conatur verba Facundi Hermianenſis, producta à me T. I. *Introd.* p. 562. Quibus Facundus, negat *panem eſſe* Corpus Chriſti *propriè*, ſed ità *dici*, *nuncupari*, quatenus eſt *Sacramentum Corporis*, quatenus *myſterium Corporis in ſe continet*. Quid illi? per *panem* intelligi Facundo *ſpecies* tantùm & *accidentia panis*, continentia verè & reipſâ Corpus Chriſti, non ipſamet illud Corpus.

XI. *Perſecutiones excitatæ hoc Seculo.*

Fuerunt illæ non unius generis. Talis 1. Per *Wandalos* in Africâ, à quibus ejectus eſt in exilium Fulgentius Epiſcopus, cum LX. & ampliùs Epiſcopis aliis, Byzacenæ Provinciæ, poſteà reſtitutus, ſub Hilderico. Vide vitam Fulgentii, & Auctorem Hiſtoriæ Miſcellæ, pariter Procopium Lib. I. Belli Vandal. & Euagrium *Lib.* IV.

2. Per *Theodoricum* Gothorum Regem in Occidente, laudatum alias Principem; ſed addictum Arianiſmo: Undè ſub extrema regni peſſimarum molitionum obtentu, gladio trucidavit Boëtium, virum Conſularem, cum Symmacho ſocero, mox pœnitentiâ ductus. Procopius *Lib.* I. de Bello Goth. C. I. vocat hoc Theodorici facinus in ſubditos, τὸ πρῶτον

καὶ πλειστάτιον ἀδίκημα, *primam & ultimam injuriam* ab eo Rege admissam.

3. Per irruptiones *Hunnorum* in Thraciam, Græciam, Gentis Scythiâ Asianâ, ultrà Mœotidem & Tanaim exortæ, dein post vastationes varias in Pannoniis considentis. Adde irruptiones. *Francorum*, & *Alemannorum* in Italiam, inducentibus Gothis, post exactum bellum cum Justininiano Imperat. De quibus Agathias Scholasticus, Paulus Diaconus, Chronographi. Tandem ab A. DXI. *Anglo-Saxones* devastarunt Britanniam omnem, pulsis ad montana Britannis, deinceps *Wallis*, undè Walliæ nomen.

4. Memoratur & atrox facinus *Leovigildi* Visigothorum in Hispaniâ Regis, qui cùm esset Arianæ factionis, filius autem consors Regni conversus esset ad Orthodoxas partes, eundem in carcerem compegit, ac securi percussit, testibus Gregorio Turonensi, Paulo Diac. & Hispanicarum rerum scriptoribus..

5. Adde persecutiônem *Alboini*, Longobardorum Regis; in variis Italiæ ac Liguriæ partibus, qui voverat se deleturum omnes Christianos: Repressus tandem fertur in ingressu Urbis Ticinensis, casu equi miraculoso, apud Paulum Diaconum, de Gestis Longobard. *Lib.* II.

6. *Chosroëm* etiam, filium Cabadis, Persarum Regem, aggressum bello esse non tam Romanos, quàm *Deum Christianorum*, multis Procopius, cumprimis in Persiæ, Armeniæ, Mesopotamiæ, Syriæque partibus. Conversum ad Christianum fidem sub exitum vitæ, memorat credulus Euagrius, *Lib.* IV. *ut fere-*

bant,

bant, & quidem *Sergii* Martyris quodam miraculo inductum: Tacet Procopius, nec respondent ultima Chofrois.

7. Perfecutionem *Anaftafii* Imperat. initio hujus Seculi, in Orthodoxos, & præcipuarum fedium Epifcopos, ex Euagrio, aliifque, jam ad fuperius feculum retulimus.

XII. *Incrementum Monachatûs in Occidente, hac ætate.*

1. Natus fcilicet hoc Seculo eft celebris Ordo *Benedictinorum*, antiquiffimus inter Latinos. Cujus

1. *Author* Benedictus Nurfinus, in Umbriâ Italiæ natus, pertæfus bellorum, ex Eremita Monachus factus, collectis fociis inftituti, & *Regulâ* conditâ, cui à Benedicto nomen: De cujus portentis & miraculis mendaciffimæ Legendæ, & Dialogi Gregoriani.

2. *Tempus* fuit, initium ferè hujus Seculi, Baronio demùm A. DXXIX. mortuo eo Benedicto circà annum DXLII.

3. *Locus* primùm ad *Caffini* montem, & villam M. Varronis, in Campaniâ, ubi Cœnobium feu Monafterium condidit in crepidine montis, cui fupereminet mons *Cairus*; in quo Apollinis aram olim exftitiffe ferunt, à Benedicto fubverfam. Difcipuli Benedicto præcipui, *Maurus*, & *Placidus*, moxque hoc inftitutum latè per Europam propagatum eft, miris Ordinis incrementis, quo fafcinarentur etiam Reges, Principes, Magnates, & indè congeftæ opes.

4. *Regulam* quod attinet, & inftituta præcipua

cipua fuêre: Quod carnibus & vino abstinêre jussit; Quod ciborum quovis die mensuram statuit, libram panis propensam seu inclinatam, sed quæ fuerit *unciarum* XXXIII. & semis; quum Romana esset unciarum XII. Quod opus manuarium, & quotidianum, suis injunxit; Quod secularibus negotiis Monachis interdixit; Quod pro vestitu esse voluit *cucullum*, sub quo *tunicâ*, cum *scapulari*, colore vestis singulorum tum libertati relicto &c. Vide Regulas Benedictinas, apud Holstenium, in Codice Regularum, aliosque.

5. *Propagines* verò Benedictinorum innumeræ, quamvis diversis sub nominibus; dùm nempè subindè abusus inter Benedictinos exorti, modò ab his, modò ab aliis reformantur. In Galliis *Regula* tribuitur hoc ævo *Cæsario* Arelatensi, scripta etiam Monialibus seu Sanctimonialibus, ut vocant; alia *Aureliano* Arelatensi; tùm & *Columbano* Luxoviensis Monasterii conditori, multiplicatis ab hoc Vigiliis, Psalmodiis, & adstrictâ paupertate. In Britanniis Benedicto σύγχρονος fuit alter Monachorum Patriarcha *Comgallus*, conditor Cœnobii Bannochorensis, de quo statim.

6. *Opes* quibus aucti sunt Monachi planè regiæ; Hinc mox opulentissimæ Abbatiæ, pingues fundi, instructissima horrea, æraria, divitiæ immensæ, quibus ditati fuêre hi Monachi immodicis donationibus, ex opinione primùm sanctitatis &c. Planè ab instituto recessuri; quod fuit paupertatis professio quædam, & austeritatis. Hinc mox ab origine degenerasse, & in quibus, pluribus nos Introd. plenioris T. I. p. 560. 570.

Ab-

Absurdè autem Baronius, occasione hujus Benedicti, prolixè pro more declamitat de laudibus Monachatûs, perstringens *infelicissimos Novatores*, ad A. DXXIX. *Num.* X. *& seq.* Immemor iste *Novationum ac Superstitionum* quas in Christianam religionem invexêre Monachi, indè à Benedicto illo, innovandis sine fine Regulis, hac & secuturis ætatibus.

11. Ordines alii adscribuntur huic ætati, quales,

1. Ordo *Apostolicorum*, vel *Apostolicus*, primo institutore, circà A. DXXX. *Congello* illo vel *Comgallo*, nobili Britanno, an Hyberno, à sanctitate & doctrinâ commendato. Hic Banchorense Collegium, Comitatûs Cestrensis, (in quod Pelagius ex Ægypto Monachismi primordia quædam intulerat,) convertit in Cœnobium mox refertissimum Monachis, & variorum per Europam Monasteriorum caput, Bedâ teste. Regulam Congelli in Scotiam, Burgundiam, Galliam, Germaniam, Italiam, aliasque regiones diffuderunt *Columbanus*, *Galbus*, horumque socii, ex Britannorum Annalibus, ex Balæo, Sigeberto, Urspergensi, Chronographis cæteris. Sed ex Hyberniæ Ultoniâ prodiisse omnes censet Usserius Armachanus, ubi fuerit Bangor, Benchor, & Bangorense Cœnobium, juxtà sinum Fergusianæ Petræ, ad litus Orientale, & ubi *tria* Cœnobitarum *millia* Comgallus habuerit sub suâ Præfecturâ, ex ejusdem Vitâ. Idem Cœnobium à *Malachiâ* Hyberniæ, Episcopo, Bernardo coævo, instauratum fuisse refert in ejus Vitâ Claræyallensis. Distinguendi fortassè, *Congellus Anglus*, & *Comgallus* Hybernus, uterq; Monasticam vitam professus. 2. Ordo

2. Ordo *Gregorianorum*, si novus Ordo fuit, scilicet à Gregorio in Siciliâ Monasteria erigente, antè Pontificatum adeptum. Habuitque id Gregorius, ut Monachos vellet inprimis abdicâre se omnibus bonis, miro ejus hac in parte rigore; mirâ & ubique commendatione Monachatûs. Videantur Epistolæ Gregorii; nam ejusne sint *Dialogorum* Libri, fabellarum pleni, ad commendationem hujus instituti, meritò dubitatur.

XIII. *Memorabilia quædam miscellanea.*

Huc referri possunt, è multis, ex gr.

I. Origo *Æræ Christianæ* per Dionysium Abbatem, qui primus annos à Nativitate Christi supputare docuit, circà A. C. DXXXII. imperante Justiniano. Supposuit Christum natum A. IV. Olymp. CXCIV. Quâ de re in Isagoge Chronologicâ, & fusè Parens noster de *Ærâ Christianâ*.

II. *Juris Justinianæi* incunabula, seu Romani Veteris ac Cæsarei ordinata Collectio, auspiciis Justiniani. Dux operis Tribonianus J. C. de quo varia judicia, Pagano cætera, compluribus Viris aliis laboris sociis. Et primò quidem confectus *Codex*, initio Imperii Justinianæi, sed posteà emendandus augendusque, ex Cæsarum indè ab Hadriano Constitutionibus; Tum *Pandectarum* compositioni, seu digestioni Romanæ prudentiæ in L. Libros, per immensa volumina dispersæ, triennium datum à XVI. viris: Hinc IV. *Institutionum* Libris jus omne Romanum contractum, per Theophilum & Dorotheum, Triboniano duce; Quibus accesserunt

runt tandem *Novellæ* Justiniani ipsius Constitutiones. In libros *Isagogicos*, *Principales*, & *Accessorios*, distribuunt.

III. Pulsio *Arianorum* ex Hispaniis, præeunte Theodomiro Suevorum Rege, mox secuto successore Leovigildi, Reccaredo Rege, qui cum totâ West-Gothorum gente Orthodoxam fidem professus est, Synodo Toletanâ III. ad id indictâ, anno DLXXXIX. Ab Arianismo penitus profligato, natum nomen Regis *Catholici*. Extinxit quoque in Italiæ, & Africæ partibus Arianismum Justinianus, Gothis, & Wandalis subactis, ut fusè Procopius. Vide suprà *Cap.* II. *Num.* I.

IV. *Anglo-Saxonum*, hoc ferè ineunte seculo, totâ Britanniâ devastatâ, in Heptarchiam distributio, ex Bedâ, & Britannorum Chronicis: Ut primum regnum esset illud *Cantii* vel *Canciæ* ubi Dorovernium, quod primò erectum: Alterum, Saxonum Australium, *South-sexiæ* nomine, ubi Cicestria &c. Tertium, Orientalium Anglorum, *East-Angliæ* nomine, in quâ etiam Cantabrigia: Quartum, Orientalium Saxonum, *East-Saxiæ*, ubi Essexia, Middel-Sexia, & in hac Londinum; Quintum, *Merciorum*, seu Angliæ mediterraneæ, amplissimum idem, ubi Oxonium, Glocestria, Lincolnia. &c. Sextum, *Nordhumbrorum*, inter Humbram fluv. & Edinburgi fines, ubi Eboracum, Lancastria, &c. Septimum, Occidentalium Saxonum, *West-Saxiæ*, ubi Cornubia, Devonia, & Occiduæ Dioeceses.

V. Gravia, quibus Deus Ecclesiam & Rempublicam afflixit mala; præter superiores persecutiones, bella, vastationes, hæreses, certamina. Testes Procopius, Euagrius, Gregorius

gorius Turonensis, Paulus Diaconus &c.

Hujusmodi fuit pestis horrenda, Justiniani ævo quæ Euagrio teste, ab Æthiopiâ & Ægypto totum Orbem pervagata, LII. annos duravit, & Constantinopoli aliquando x. hominum millia unâ die absumpsit, ex Procopii fide

Sic pestis illa quæ sub Mauricio Imperat. Italiam & Occidentem afflixit, *Inguinaria* dicta, quâ extinctus Pelagius Papa. Ferunt, homines passim *sternutando* animam efflasse; Undè creditur mos ille natus sternutantes salutandi cum voto; reverà Paganæ pridem superstitionis, etiam Judaicæ consuetudinis, quo de ritu Eruditi.

Portenta id genus, terræmotus, Cometas, alia prætermittimus. Mirum *Antiochiæ* Urbis fatum subitò oppressæ, sed à totali interitu (ut ferunt) vindicatæ pio consilio viri senis, undè Θεῦ πόλις, & à Justiniano instauranda. V. Euagrium, Cedrenum, &c.

Sub finem hujus ævi *Longobardi* Italiam penè totam occuparunt, exceptis Româ, Ravennâ, Papiâ, à Narsete invitati post creatam illi apud Justinum Augustum invidiam: Duce tùm Alboino Rege, post Gepidos in Pannoniis à se deletos, & occisum Cunimundum, ex cujus cranio poculum ad bibendum fecit, ductâ post ejus filiâ Rosimundâ. Adi Historiam Longobardicam Pauli Warnefridi, *Libro* II.

VI. *Fabulosis* narrationibus, e. gr. de *miraculis* per demortuorum Reliquias, per Imagines, per Mariam Virginem, per Sanctorum invocatorum intercessiones, quæ tùm fuit invalescens superstitio; Item de *miraculis* circà Monachos, Eremitas, aut per homines id genus, Benedictum, Mau-

rum, Placidum, Gallum, Columbanum, Martinum,&c. de *apparitionibus* Animarum, Dæmonum, similibus; quibus ut ſanctiſſimis hiſtoriis (ex Monachorum unâ fide, aut commentitiis Tabulis) ſuos Annales farcit ad hoc ſeculum Baronius, nullum quoque eſſe modum voluerunt Euagrius, Gregorius Turonenſis, Paulus Diaconus, Sigebertus, Nicephorus, Naucleus, alii.

Hujuſmodi & illa, v. cauſâ, de abſorptis *profundâ voragine*, qui ab Arianis eſſent rebaptizati, ex Vigilio, apud Baronium ad A. CCCCCXXXVIII. Alia, ex Euagrio, *Lib.* VI. de *puero* Hebræo, quia deguſtaſſet Euchariſtiæ particulam, in fornace ardente toto triduo illæſo, in quem conjectus à Patre; Alia, de Imagine Salvatoris, telo transfixâ, & *ſanguinem emittente*, ex Sigeberto; Alia, de *Imagine Chriſti* ad Abgatum miſſâ Edeſſenorum Palladio, quum à Choſroë obſiderentur, memorante primùm Euagrio, & de quâ nos alibi fusè. Meritò etiam habentur in fabulis, à viris emunctioris naris, *Beliſarii* cœca mendicitas, uti *Narſetis* ſemi-viratus, Procopio, Agathiâ, & probatioribus Hiſtoricis tacita. Plura hæc Epitome non capit.

VII. De *Judæorum* rebus, nihil admodùm memoratu dignum eſt: Præter Scholas Babylonicas, doctoribus jam *Geonim*; rebelliones paſſim & furores in Chriſtianos, cumprimis in *Paleſtinâ*; coërcitiones per Imperatores factas, in ſpecie Juſtinianum, variis Conſtitutionibus, quas inter celebris illa, *Nov.*. CXLVI. de Linguâ quâ Hebræis legendæ Scripturæ.

VIII. In *Ethnicis* inclyti hac ætate fuere, præ

præ cæteris: *Procopius* Cæſareâ Palæſtinus, inſignis Hiſtoricus & Orator; *Agathias* Scholaſtici cognomento, Legibus datâ Alexandriæ operâ; *Priſcianus* celebris Grammaticus, ſub Juſtino & Juſtiniano; *Tribonianus* ille Juriſconſultus, de quo ſuprà; *Proclus* Mathematicus, alter Archimedes, ſummus Chriſtianorum inſectator, cui Joh. Philoponus reſpondit; *Simplicius* Phryx natione, enarrator Epicteti, quem ſub Juſtiniano quoque vixiſſe tradit Suidas.

FINIS SECULI SEXTI

ET

TOMI PRIMI.

